Les Bibliothèques Virtuelles Huıanistes

Extrait de la convention établie avec les établisseıents partenaires :

- ces établisseıents autorisent la nuıérisation des ouvrages dont ils sont dépositaires (fonds d'Etat ou autres) sous réserve du respect des conditions de conservation et de ıanipulation des docuıents anciens ou fragiles. Ils en conservent la propriété et le copyright, et les iıages résultant de la nuıérisation seront dûıent référencées.
- le travail effectué par les laboratoires étant considéré coııne une « oeuvre » (nuıérisation, traiteıent des iıages, description des ouvrages, constitution de la base de données, gestion technique et adıinistrative du serveur), il relève aussi du droit de la propriété intellectuelle et toute utilisation ou reproduction est souıise à autorisation.
- toute utilisation coıınerciale restera souıise à autorisation particulière deıandée par l'éditeur aux établisseıents détenteurs des droits (que ce soit pour un ouvrage édité sur papier ou une autre base de données).
- les bases de données sont déposées auprès des services juridiques coıpétents.

Copyright - © Bibliothèques Virtuelles Huıanistes

I. F. F. V. A.

Par li Tomi
Non comuni
Equico - Nuceria
Vite illustrium
B. 2a 15 8
nn

4597

87 **GIOVIO** (Paolo). Vitae illustrium virorum. Tomis duobus comprehensae et propriis imaginibus illustratae. *Basileae, P. Pernae opera ac studio,* 1578, 2 tomes en 1 vol. in-fol., encadr. au titre, fig. et portraits grav. sur bois, rel. époque, plein vél. iv. (61) 600 F

Illustré de gravures sur bois tirées de la collection de portraits que Paul Jove réunie dans son « musée ».

BIBLIOTHEQUE NATIONALE TOURS 2/013

PAVLI IOVII

NOVOCOMENSIS

EPISCOPI NVCERINI

Vitæ

Illustrium virorum

Tomis duobus comprehensæ, & proprijs imaginibus illustratæ.

PETRI
PERNAE TYPOGRAPHI
BASIL.
OPERA AC STVDIO
CIↃ CI LXXVIII.

BIBL. PUBL.
BASILEENSIS

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS, DOMINO ERNESTO FRIDRICHO, ET DOMINO IACOBO

Marchionibus Badenſibus & Hochbergenſibus, Landgraviis in Sũſenbergk, Dominis in Rotelen & Badenvveiler, &c. fratribus, Dominis ſuis Clementiſsimis,

S. P. D.

EX omnibus rebus, quæ dignitatem & ſplendorem habent, illuſtriſſimi Principes, nihil eſt literis doctrinaq; præſtantius. Aliorum enim generum honores, primùm poſiti in eo loco, quò temeritas inconſtantiaq; fortunæ proficiſci poteſt, facilimè pervertuntur ab ærumnis, quibus circumfuſa eſt hominum vita, tum etiam, cùm plurimùm florere, & in portum quietis atq; tranquillitatis invecti eſſe videntur: deinde ut in nullam turbulentam incurrant fortunæ tempeſtatem, tamen niſi in orbem terræ diffuſi, literis celebrentur, in paucorum illi hominum verſantur oculis atq; ſermone, & paulatim dilapſi ex animis poſterorum obſoleſcunt vetuſtate. Literæ verò liberè per omnium hominum & locorum memoriam pervagatæ, nullis incluſæ terminis, nullis turbinibus iactatæ aut fluctibus fortunæ, perennem gloriam perpetuámque dignitatem conciliant, quam ſparſam ad omnium ætatum ſempiternam laudem, nullus caſus pervertere, nulla mors obruere, nulla oblivio inobſcurare poteſt. Et cùm in alijs dignitatibus ita contracta res ſit & adducta in angustum, ut in uno tantùm hæreat, & is qui dignitatem accepit, in alios proferre & communicare, quibus cùm velit, non poſſit: Literarum gloria latiſsimè patet, nec ſolùm ad illos, qui ipſi literis excellunt, ſed ad omnes pertinet, quibus literati homines æterna teſtimonia laudis impartiunt: neque ita unquam concluſa eſt literaria dignitas, quin in multos redundet. Quibus omnibus, cùm literæ cæteris honoribus præſtent, tum illud primarium eſt, quòd alia omnia, quæ homines in excelſo illuſtriq; loco ſita eſſe, & ſplendere plurimùm arbitrantur, tamen illuſtrata literis ad maiorem gloriam ſplendeſcant multò magis, nec ſine literis poſſint tueri dignitatis ſuæ & virtutis lucem, quin eam oblivione implicatam nox reſtinguat. Itaq; etiam iſtorum, quæ in veſtro ordine ſumma eſſe videntur, antiquitas generis, magnitudo imperij, & rerum præclarè geſtarum gloria: nullum eſt quod literarum lumen & ingeniorum laborem non deſideret, & quod excultũ literis, non floreat: deſtitutum ab ijſdem atq; deſertum, non intereat & iaceat in tenebris. Quis enim vetuſtatem familiæ teſtari ſuæ poſſet, niſi literis mandatam atq; cuſtoditã in libris, literati homines poſteris reliquiſſent? Imperium autem nemo unquam ſine doctrinæ atq; literarũ adiumentis inculpatè geſſit, & fuit ſemper per omnes ſeculorum ætates, in omnium hominum ſenſibus infixum, Tyrannidem eſſe, non Imperium, in quo plus voluntas quàm doctrina valeret: tum verò florere & beatum eſſe Imperium, cùm doctrina inſtituti homines, & literis ad humanitatem conformati, in ſumma dignitate collocarentur. Quid de gloria dicam, percepta ex rebus pulcherrimè adminiſtratis? quæ quidem nulla eſſe poteſt abſq; literis. Eſt enim gloria, Clementiſsimi Principes, illuſtris factorum & meritorum fama, non illa quidem unius ſeculi breviſsimo ſpacio circumſcripta, ſed pervagata per infinitam poſteritatẽ & omnium gentium atq; ætatũ memoriam. Nemo tam hebes unquam fuit, ut gloriam exiſtimaret eſſe, quam paucorum hominũ & annorum recordatio definiret, ſed quæ nullis terminata finibus

ad omnium posterorum laudem propagaretur. Nec se quisquam in pericula & labores obiecit, quibus duobus gloria parari solet, ut uno seculo celebraretur, sed ut laudis suæ fructum ex nominis prædicatione in omnes terras disseminatũ apud posteros obtineret. Quod etsi omnes incredibili cupiditate, summoq; studio contenderunt, ut ex gloriosis atq; egregijs factis assequerentur: tamen præclaram multorum laudem, magnis partam laboribus, temporis diuturnitas oppressit, quòd literis nõ fuisset consignata. Nam quæ sine literis, sermone tantũ nituntur & commemoratione hominũ, tametsi sunt ampliſsima, & celebrata multarum gentium testimonijs, tamen nisi libris retineantur, & literarũ tanquam lumine accendantur, necesse est longinquitate & vitio temporis, eorumq; morte, in quorum animis insederãt, paulatim obscurari, et ex luce memoria q; hominum evanescere. Ne veteres illos admodum antiquos Heroas & duces Germaniæ commemorem, quorum non solùm res gestas extinxit vetustas, sed nomina etiam funditùs delevit: quid ante centum annos à maioribus nostris susceptũ aut perfectum est, quod non mandatũ & inscriptum literis, non periit, remotum ab omni sermone & cogitatione hominum? Itaq; sine literis nulla est, non solùm in communi minorũ gentium, sed etiam in vestra summa, ampliſsimaq; dignitate gloria: aut ut sit, tamẽ diuturnitate tabescit, et paulatim extenuata, oblivione coteritur in unius vitæ atq; seculi curſu. Vera autem solidaq; gloria in doctrina atq; literis tota est constituta. Inde eam peti, inde hauriri necesse est, quæ in oculis posterorũ, & in infinita cõsequentis temporis perpetuitate florere debet. Alexander magnus cùm summam fortunæ præstantiam & totius penè orbis terræ esset consecutus imperium, tamen in illa cumulata omnium bonorũ atq; fortunarũ complexione, quòd videret nullam constantem & perpetuam dignitatẽ esse sine literarũ adiumento, multos secum eruditos homines, & excultos doctrina circumduxit, quorum literis res & laudes illius in orbẽ terræ ad sempiternã, perennemq; memoriam disseminarentur. Et ille ipse cùm scriptorum multitudine et literatorũ hominum ingenijs abundaret, tamen ingemuisse dicitur, cùm ad Achillis tumulum astitisset, & collaudasse huius fortunam, cuius virtutes ab Homero essent prædicatæ: quasi non modò nulla esset rerum summarum sine literis immortalis gloria, sed eò etiam esset illustrior, quò is maiorem doctrinæ laudem habet, qui literis mandat.

Quòd cùm ita sit, & inter omnes dignitates illa antecellat, quã literæ vel genuerunt, vel aluerunt et auxerunt: dixi enim in utroq; genere plurimũ valere literas: nulla autem sit omnium ordinũ & gentium dignitas, quæ ijsdẽ ad splendorem possit & immortalitatẽ carere: perspicuum est, illustrisimi Principes, magnã illis gratiam ab omnibus deberi, qui ad summorum hominum & illustrium factorum gloriam laudemq; celebrandam studium ingeniumq; contulerũt suum: Et permagni interesse, tum multos reperiri, qui talem suscipiant tam laudabilem laborem, & tam necessarium ad parandã atq; retinendam gloriam, tum esse eos in publica luce conspectuq; hominũ. Nam si in literis gloria consistit, & literæ ab eruditis hominibus tractantur, profectò sine literatorum labore literæ ipsæ conticescent, & sine literis omnium hominũ atq; factorum gloria morietur, silentio damnata, & deleta oblivione. Quid verò, si literis doctorum hominum res consignatæ & inscriptæ, tamen à luce populari, hominumq; conspectu peregrinentur? omnem enim tum etiam gloriam necesse est iacere, oppressam tenebris & caligine noctis obscuratam. Itaq; in pulcherrimã consiliorum rationem ingredi videntur, tum qui res gloriosas eruditis literis complectuntur, tum qui eas ante hominũ propositas conspectum, proferunt in lucem, & typorũ atq; imaginum ornamentis tanquã novis & magnis adiumentis ad librorum perpetuitatem expoliunt. Quæ me etiam causa incitavit, ut cùm aute à plurimos illius generis pulcherrimos sanè et clarisimos authores luce ornassem, eundẽ nunc cultum Iovij libris tribuerem, quos de vita excellẽtium

virorum

virorum scriptos reliquit, & eos anteà sæpe excusos denùo recuderem, luminibus typorum et imaginum artificiosè fabrefactarum clarissimè illustratos, in quibus non solũ virtutum & gloriæ effigies à Iouij ingenio expressæ, sed corporum etiam ducta affabrè singulari artificio, lineamenta, conspicerentur: quod existimavi nõ exiguum pondus habere ad libri, et inde ad authoris atq; omnium, qui libro continentur, perennem æternamq; memoriam. Ego certè ut omnia consilia ad eum semper scopum defixi, ut publica res literaria ex meis officijs magnam utilitatis & ornamentorũ fructum perciperet, ita in hoc libro nec impensarum, quæ tamen multum creverunt, nec tædiorum habui rationem, quin præstantissimũ librum singulari artificio perpolitum in lucem palàm darem, testem meæ erga literas & posteritatem voluntatis. Nec dubito, ex omnium hominum ordine futuros, qui susceptum consilium meum collaudent.

Vobis verò, illustrissimi Principes, inscribere librum, & in vestrum patrocinium consecrare, visum est. Primũ quòd animum mihi & cogitationes ad omnes familias Germanorũ principũ circumferenti, nulla occurrit, in qua plures non solũ armis essent & divitijs, verùm etiam literis & eruditione celebrati: quam vobis felicitatẽ gratulari volui, & suadere, ut in avita et antiquissima pulcherrimæ laudis possessione permaneretis, in quam non nuper estis paterna educatione & vestra voluntate profecti, sed venistis cõtinuata atq; perenni infinitõrum annorũ hæreditate. Nam ut veteres Hermannos, Rudolphos, & Friderícos præteream, quorum fuit semper in Germanico Imperio amplissima potestas & gravissima authoritas, inchoata sub Henrico IIII Cæsare, anno 1100, et inde continenter in vos prorogata. Extant multa testimonia sparsa in latinis literis et historijs, quæ Rudolphi paris & Bernardi primi, filij, maiorũ vestrorum doctrinam et propensam in viros literatos benevolentiam ostendunt. De Bernardi autẽ filio, Iacobo, vestro atavo quid gloriosius ad summã laudem prædicari posset, quàm quòd Sylvius Pius II Papa scribit, eum grandiorẽ factum suppuduisse, quòd educatione puerili q; disciplina non fuisset ad doctrinã et literas institutus, et iudicasse, cùm solus latissimam ditionẽ teneret, omnibus ornatus muneribus opulentissimæ fortunæ, eò feliciorẽ esse, quòd literas nesciret. O auream, ô dignã sapientissimo principe sententiam, quã in omnium animis, istius dignitatis atq; splendoris hominum infigi et insculpi operæ pretium esset. Sed tamen ille ipse Iacobus, literarũ ignarus, cùm natura ad laudem atq; virtutẽ duceretur, literas, literatos omnes, tum etiam, cùm illam præclarã et divinam vocem nondũ edidisset, in sinu ac familiaritate, in oculis, in delitijs habebat: et postea cùm intelligeret, quanti ad summum decus interesset, principem literatũ esse, filios omnes ad optimarũ artium & linguarum studia informari et exerceri, non iubebat solùm, sed impellebat. Inde Carolus, vester atavus, inde fratres eius Ioannes Trevirensis, Georgius Metensis Episcopi, Bernardus in Divorum numerum ascriptus, & Marcus, non solùm Reipub. & armorum, sed multò etiam magis religionis & cœlestis sanctimoniæ clarissima lumina prodierunt, omnes sapientia ornati, omnes eruditione exculti & nacti doctrinæ confirmationem ad eximiam atq; illustrem naturam. Caroli filij tres fuerunt, susceptí ex nobilissima uxore, Friderici Cæsaris sorore, Albertus, Fridericus & Christophorus vester proavus: quorum nullus extitit, qui non à puero ad literas assuefactus, doctrina excelleret, cùm etiam ad summam armorũ laudem pervenirent, et Fridericus Traiectensem ecclesiam incredibili cum celebritate literarũ & religionis gubernaret. Christophorus ut cultũ literarum à maioribus acceperat, traditũ hæreditate et multarũ ætatum possessione, ita summo studio elaboravit, ut filij omnes, vester avus Ernestus et eius fratres in omni liberali doctrina & digna vestro splendore à literatis hominibus, optimè instituti & perfectè eruditi essent: quod ipse Christophorus in literis profitetur scriptis Latinè ad summũ Pontificem ornatissimè, cùm se ait, curã omnem ad liberalem liberorũ institutionem contu-

liſſe. Nec fruſtrà aut ſpem ſuſcepit, aut labores et ſumptus collocavit. Nam cùm cæteri omnes inſtitutis & præceptis doctorum hominum literas didiciſſent, tum præcipuè Iacobus, cùm ætate antecederet, doctrina etiam ſuperare fratres, & optimorum ſtudiorum laude concupivit: qua cupiditate incredibiliter incenſus, bis Romam eſt profectus, ut inchoatam domi eloquentiæ & Philoſophiæ diſciplinam in clariſſimo maximarum artium & linguarum domicilio, literatorum hominum nutrimentis educaret, et ſimul in Pontificis concederet benevolẽtiam: quod utrumq; fuit egregiè conſecutus, Pontifex celerrimũ ingenium præſtantemq; doctrinam admiratus, illuſtrem gratiam & favorem in adoleſcentem effudit. Ille induſtria & diligentia, cùm omnium reconditarũ artium clauſtra perfregiſſet, ad tantam eloquentiæ doctrinæq; laudem aſcendit, quò tum nemo ex Italis pervenerat, et ne ipſe quidẽ Philelphus, quem in clariſſima honorũ luce et literarum verſantem dignitate, non puduit tamen ſenem primas ſapientiæ & dicendi laudes ad Germanum adoleſcentem deferre, atq; in eo illum ſibi & Italis omnibus anteponere. Quod Philelphi iudicium poſtea eventus illuſtravit, cùm renunciatus Epiſcopus Trevirenſis & ad comitia evocatus ab Imperatore, quòd imprimis diſertus eſſet, omnes Imperij cauſas eloqueretur, nec ſolũ Germanorum principũ legatis Germanicè, ſed tribus præſtantiſſimis oratoribus, Pontificis, Regis Galliarum, et Venetorum magnis verborum et ſententiarum ornamentis, eleganter atq; copioſè tribus externis linguis reſponderet, Latinè, Gallicè, Italicè, quò & æternam ſibi gloriam comparavit, & ſempiternũ ornamentum in Badenſem familiam, atq; adeo in totum Germanicum Imperium invexit. Cùm verò ampliſſima teneret dignitatis & honorũ ornamenta: tamen de ſumma animi contentione, quam ſemel ad literas applicaverat, & de toto ſtudiorum curſu nihil relaxavit: ſed ne vel cum morte dimitteret nominis ſui cõmemorationem, vel aliorum tantùm libellis prædicaretur, edidit ipſe libros, qui in Bibliothecis retinentur, indices illuſtris et minimè pervulgatæ eruditionis. Sic igitur lucentẽ honore & doctrina in flore ætatis: immatura mors ex hominum conſuetudine ad Deorum ſanctimoniam abduxit annos natum quadraginta: cuius interitu Imperium & literæ incredibilem calamitatem acceperunt: cùm quidem illud ornamento ſpoliatum & orbatum eſſet præſidio ſapientiſſimi principis, qui pacem conſilio, & dicendi gravitate bellum induſtria & ſcientia militarium rerum temperaret: literæ autem aſſiduum cultorem & patronum amiſiſſent, præditum poteſtate & opibus circumfluentem, qui & imperium & literas ad priſtinam dignitatem, veteremq; antiquæ gloriæ nitorem potuiſſet armis ingenioq; reſtituere. Mortuo illo et in cælum profecto, literarum poſſeſſionem avus veſter & eius fratres cum reliqua hæreditate ceperunt, atq; eam cultam diligentia & ſtudio: avus quidem Erneſtus in patrem & patruos veſtros beatæ memoriæ propagavit: à quibus conſervata non ſolùm, ſed etiam aucta ad vos pervenit. Nam & patrui in literarum artiumq; doctrinis ad magnam gloriam enituerunt: & pater veſter beatiſſimæ memoriæ tantos progreſſus fecit, ut Latinè purè ſcriberet ſemper, & loqueretur cùm vellet. De cuius ſingulari in literas & literatos propenſione quid dicam? cùm nihil haberet antiquius, niſi ut literarum & bonarum artium ſtudioſos, ſumptuoſis ſanè & magnificis impenſis in externis & domeſticis ſcholis aleret quàm plurimos. Et literatos viros benevolentia complecteretur ſtipendijsq; liberaliter invitatos ad aulam adduceret: in quo vidimus eum laboraſſe, ut cæteros Germaniæ principes, quantum animi magnitudine & pacis atq; belli uſu tantùm literarum cura & amore vinceret: proculdubiò, quòd prudentiſſimus princeps videret, quantum in literis ſitum eſſet ad Imperij moderationem, ad rem domeſticam, ad ſempiternam nominis in omnes conſequentes annos memoriam. Et edoctus atq; inſtitutus uſu, vellet exemplum vobis relinquere, expoſitum ad imitandum, ſicut ille traditum ab omnibus maioribus acceperat. Neque ſolùm vobis prælucere in literis cupiebat, verùm eò cogitationes curaſq;

ras̃q; referebat omnes, ut literati in honore ac precio eſſent, & literæ in veterem gradum reponerentur dignitatis, unde ab illis erant deiectæ, qui inanem alienam & externam laudem conſecuti, virtutem præmio & honore ſpoliant: quorum effrenatam & immoderatè exultantem libidinem continere pater veſter ſtudebat, ne virtuti noceret. Itaque illum literæ ſummis præconijs celebratum ad immortalem gloriam ſempiternæ memoriæ poſterorum commendabunt, quam nulla dies, nulla oblivio extinguet.

De conſanguineis veſtris, natis ex eodem familiæ initio, Hochbergicis Marchionibus hoc loco nihil commemorabo, ne epiſtola nimium creſcat: nihil de Alberto Epiſcopo Freiſingenſi, qui in Iuris & omnium bonarum artium cognitione ita excelluit, ut interpretes vinceret: nihil de Othone Epiſcopo Conſtantienſi, quem ſcripti iſtius loci annales impensè eruditum nominant: nihil de alijs, qui in eadem familia literas coluerunt. Satis enim conſtat, illuſtriſſimi Principes, ab infinito tempore in veſtro genere literas tanquam in ſinu & gremio conquieviſſe, & earum continentem perpetuamq; poſſeßionem, hæreditate maiorum continuatam, in vos fratres, illuſtriſſimi Patris obitu recidiſſe: neq; ullam eſſe in Germania principum familiam, quæ ſit ad alias maximas armorum, ditionum, & omnium fortunarum laudes, tantam, tam excellentem & tam præſtantem gloriam adepta literarum. Quod cùm ita haberet, quibus literarium munus, ſcriptum ad retinendam clarorum hominum dignitatem rectius quàm vobis antiquiſſimis poſſeſoribus literariæ gloriæ, & hæredibus ampliſſimarum dignitatum dedicarem, non potui cogitatione conſequi.

Deinde cùm literæ ad vos pertinerent, et earum vobis ingenerata eſſet cura atq; benevolentia, viſum eſt talem vobis librum offerre, in quo tanquam in ſpeculo conſpiceretis quantum cultum, quantum honorem illuſtriſſimi homines literis, & viciſſim quantam illis literæ dignitatem, quantam gloriam tribuiſſent. Nam illis omnibus, quos lumine doctrinæ ſuæ lovius cohoneſtavit, oblivio paucis illis annis interitum famæ & nominis attuliſſet, niſi literis tanquam præſidio muniti, ad ſempiternitatem cuſtodirentur. Quod cùm vobis quotidie ante oculos conſpectumque obverſaretur, non dubitavi, quin magnos aculeos infigeret ad amandam et ſequendam literarum dignitatem: non quòd his invitamentis egeritis, quos & naturarũ moderatio, & ingeniorum præſtantia, & voces præceptaq; clariſſimorum hominum in viam virtutis deducunt, ſignatam & impreſſam veſtigijs maiorum: ſed quòd perſuaſiſſem ipſe mihi, iſtiuſmodi libros & ſparſa in illis virtutis exempla, veſtræ ſæpe ætati præclarũ fructum attuliſſe. Vos ita profectò eſtis in vetuſtiſſima nati literarum poſſeſione, ita patris voluntate educati, ita inſtituti à doctiſſimis viris, ut literarum curam abijcere, aut benevolentiam inliteratos dimittere poſſitis nunquam. Quoties enim ad maiorum veſtrorum conteſtatam multis exemplis virtutem, quoties ad optimi laudatiſſimique patris prudentiam reſpicietis: toties inuſtas vobis ad literarum amorem à natura faces, ipſi accendetis, toties cogit abitis, ducem vobis ſequendam eſſe maiorum & patris authoritatem, ne in aliam ingreſſi conſiliorum & vitæ rationem, videamini maiores veſtros & patrem in omni gloria excellentem parviducere, vel eorum ſapientiæ anteponere veſtram. Quod etſi in iſta naturarum & morum temperatione: in illa, quæ ex vobis elucet, plena gloriæ & virtutis indole, nemo de vobis, ne quidem ſuſpicari poteſt: tamen non alienum eſſe iudicavi, inſtitutum vitæ veſtræ & ſtudiorum curriculum his libris confirmari. Fateor pulchrum eſſe, armis Principem & divitijs florere, quorum omnino curam debetis animo & diligentia complecti, ſine quibus dignitas veſtra & poteſtas non conſiſtet. Verùm hæc brevia ſunt, & cum vitæ tempore vaneſcunt. Literæ non ſolùm vivis proſunt, ſed mortuorum famam in omnes terræ fines ſparſam, ad poſteros perducunt, neque ullo tempore mori aut conſeneſcere patuntur. Ut exigui temporis brevem percipiatis, honoris, Imperij & voluptã-

tis fructum, pecunia potestis et armis consequi: sed tum, cùm fortuna domina rerum humanarum, & cùm moderatio rationis ex literis accessit. Ut verò illa eadem nõ uno seculo, sed in omnium consequentium annorũ perpetuitate possideatis: ut perennis vigeat nominũ et rerum vestrarũ gloria, neq; sepulta vobiscũ ex animis hominum discedat, ut post decursum infinitorum annorum posteri cognoscãt, fuisse vos aliquando illustres armorũ usu, imperij potestate & divitijs principes, illa omnia nõ armis, non imperio, nõ opibus, sed literis obtinebitis, sed libris, sed doctorũ hominum monimentis. Itaq; cùm curam suscipietis aliarũ rerum, quas honoris vestri & vitæ dignitas requiret, tum imprimis cogitationes & benevolentiam ad literarũ studia conferetis, in quibus simplicem videtis & apertam viam esse ad æternam gloriam: quam vos solam in omni vita spectare æquum est, & excludere aliarũ inanium rerũ cupiditatem, eoq; magis, quòd ex ea familia nati estis, in qua semper honor & splendor virtutis ac literarũ enituit. Nec enim ditionum tantùm & externarũ possessionum hæredes, verùm etiam consiliorum & virtutis esse debetis, nec novas suscitare in veteri familia vivendi rationes, sed eorum esse similimi, à quibus lucis huius usuram, & maximũ Imperium accepistis. Sed quid ego illa ad vos? qui primùm, pueri adhuc, tanta vestigia in relictã vobis à maioribus virtutis viam fecistis, & nunc progressi paululũ ætate, tantam spem apud omnes habetis excitatam laudabili vitæ vestræ ratione, & honestarũ rerum studijs, ut nihil à vobis, nisi excelsum, illustre, plenum dignitatis & gloriæ expectetur. Deinde in disciplinam estis traditi Caspari Schegkij, viri non solùm excellenti eloquentia & perfecta omnium bonarũ artium & iuris doctrina, sed magna etiam gravissimaq; authoritate, ut in pulcherrimo vos laudum atq; virtutũ cursu retinere, & si quando species aliqua fallacis voluptatis errorem obiecisset, quod mea & omnium opinione fiet nunquam, ad officium reducere sine mea & aliorum hominum cohortatione possit.

Revoco igitur me ad pensum meum: Et vos, illustrissimi Principes, per vestram & maiorum vestrorum expressam in vobis virtutẽ, per summam indolem, per ampliss imam potestatem humilimè oro, ut præstantissimum librum, meis impensis ornatum, & vobis inscriptum, sub vestris nominibus in publico apparere, æquis animis clementissimè feratis. Et tum me, tum librum in vestram gratiam atq; defensionem suscipiatis. Mihi quidem toto animo de vestra dignitate, & de libri ratione cogitanti, nihil sum visus alienum facere meo officio & aliorum consuetudine, si vobis, in quorum familia literæ tamquam in gremio semper floruerunt, eiusmodi librum dedicarem, qui natum in vobis et ductum à maioribus literarum amorem, authoritate & exemplis excellentium virorũ confirmaret: & in quem iuuentes, specimen videretis propositum ante oculos istius gloriæ, quæ literis acquiritur: quod vos quotidie, non quidem alliceret ad benevolentiam tribuendam literis, sed exacueret & inflammaret. In quo debita animi summissione peto, ut vestra voluntate, suscepti mei consilij rationes comprobetis: & deinde, ut omnia in æquissimam accipiatis partem, nec gravemini, deditum me ad officia & addictum vobis, gratia vestra humanissimè complecti.

Quod superest, clementissimi Principes, precor vobis à Deo immortali, ut religione et doctrina ornati, in summo amplitudinis, dignitatis, & omnium honorũ atq; divitiarum splendore, in perpetuo & æquabili secundæ fortunæ cursu, gloriosam vobis & utilem alijs vitam longissimè sine omni offensione perducatis, & tandem ex gravissima ætate ad Dei & sanctorum consuetudinem emigretis. Celerrimè ex Basilea, &c.

V. C.

Deditissimus

Petrus Perna Typographus.

PAV-

PAVLVS IOVIVS COSMO MEDICI ILLVSTRISS. FLORENTIAE DVCI, S.D.P.

INSIGNIVM aliquot procerum vitæ imitatione Plutarchi summę gravitatis philosophi, à me licentiore stylo perscriptę, quibus tu magnanime Cosme, spiritum dedisti cum elegantissimis formis, ut luculentius in publicum prodirent, excudēdas curaveris, iure optimo patrocinium tuum deposcunt adversus obtrectatores, vel hac una ratione, quòd censuræ tuæ iudicium subierint. Agnoscis enim (ut qui nostr orum temporum Historiam exactissimè calles) quo animi candore, quóve studio, & pudore asserendæ veritatis, ea quæ nos vidimus, posterorum memoriæ tradiderim. Intemperantis nanque ingenij foret, ea mandare literis atque edere, quæ summorum Ducum & Principum, qui adhuc vivunt & florent testimonio refelli possint, ut iam non aliunde locupletior & certior fides scriptis nostris constet, quàm ex his quæ à summis Regibus & Ducibus, qui b ella gesserunt, enarrata referuntur: Quando hæc infinita propè diligentia indaganti mihi (quod in tanto suscepto negocio summæ fœlicitatis fuit) cum universis cunctarum propè nationum Ducibus, aut illustris amicitia, aut non obscura familiaritas intercesserit, ut ex ipsorum sermone rerum gestarum, consilia atque eventus noscerentur. Quid enim universam toto cognito orbe collectam historiam, à quinquaginta ab hinc annis scribere auso, tantumque opus non invita Minerva ad hunc usquè annum perducenti, aut in hac vita beatius, aut post mortem extincta demum invidia glorioſius evenire potuit, quàm hoc incorruptæ libertatis specimen prætulisse? Sed id opus quod iam planè absolutum propediem edetur, excitabit (ut reor) apud nos, externasque gentes dissonos clamores, ut libido cuiusque feret, inter ambiguam laudem & certam obtrectationem existimationis meæ, cum factiosa superbaque ingenia passim occurrant, quæ multa tanquam adulatione aut odio depravata interpretentur. Verùm malignis aut ignorantibus egregij probique homines, inter quos tu ab excellenti virtute maximè illustris emines, tanquam iurati testes respondebunt, indignum esse ut ei maledicatur, qui ingenuo labore incomparabilem utilitatem tot expressis vitæ exemplis cum honestissima voluptate & vivis & posteris attulerit. Vale, Romæ XI. Kal. Maias.

1548.

GABRI-

GABRIELIS PHAERNI
CREMONENSIS.

Illustres animæ, quarum miro ordine mores,
Et clara Iovius facta chartis tradidit,
Seu vos imperijs in pace vigentibus auctæ
Seu bellica fuistis arte præditæ.
Quisquis inest vobis post fata novissima sensus,
Si, quæ hîc aguntur, scire vos credi licet,
Lætitia certè haud modica gestire, novoq;
Debetis alacres exilire gaudio:
Quum revirescentem longo post tempore famam
Vestram, atq; laudes excitatas cernitis
Facundi calamo Iovij, quem nostra prope unum
Aetas, vetustis inserit scriptoribus.
Quare etiam atq; etiam vos huic debere fatendum est,
Aeterna per quem vestra vivet gloria.
Nec minus insigni debetis plurima COSMO
Cui læta pulchræ paret ora Etruriæ,
Hæc qui vestrorum iuvenis generosus honorum
Monumenta, formis iussit excudi æneis,
Ille unus lapsas seclis vergentibus artes,
Et literarum studia neglecta erigit,
Ille fovet vates, illi pia carmina curæ,
Et restituta in pristinum sapientia,
Et quæ sidereos linquens Astræa recessus
Sub hoc revisit Principe humanum genus.
Utq; salutiferum radianti lumine sidus
Seu Veneris almæ, sive supremi Iovis
Tristitia fœlici levat exoriens aspectu
Astra, atq; lætos undiq; eventus ciet,
Non morbi, non bella vigent, maria alta quiescunt
Et aucta largis terra ridet frugibus,
Talis honorato Medicum de sanguine COSMVS
Orbi serenum illuxit Etrusco iubar,
Sustulit incestas pœnis ultricibus artes
Mores probrosos pepulit, induxit bonos,
Virtuti pretium, ingenijs honor additus, unum
Quemq; ad decora studia & artes allicit.
Pax secura viget, iustum dominatur & æquum,
Procul insolentes exulant iniuriæ.
Macte ista virtute animi, clarissime Princeps
Futura nunquam te silebunt secula.

PAV.

PAVLVS IOVIVS EPISCOPVS NVCERINVS HENRICO GALLIAE DELPHINO S. P. D.

QVVM ad Nicæam in ſpem exoptatæ pacis adductus Carolo fratri tuo Vicecomitum origines & principatus initia brevi commentario me perſcripturum promiſiſſem, nihil inde mihi antiquius fuit, quàm ut id quod ſuſceperam maturè perficerem. Arbitrabar enim non multo pòſt futurum, ut is ſummæ ſpei adoleſcens cùm optimo iure ſuo, tum præclara Cæſaris Auguſti liberalitate, Ciſalpinæ Galliæ imperio potiretur. Quamobrem non modò mihi honeſtum, ſed illi etiam maximè decorum atque iucundum fore providebam, ſi tantorum principum res geſtæ in arctum volumen referrentur. Nam eos bellica laude,& magnificentia operum,& ſplendore vitæ cum clariſsimis Græcorum & Romanorum comparari poſſe, ſine controverſia iudicamus. Ab hac vos nobiliſsima ſtirpe maternum genus regiæ Valeſiorum domui inſertum deducitis, unde hæc vobis Mediolanenſis regni hæreditas petitur, tot cruentis iactata litibus, nec ullis unquam immitis fortunæ terroribus intermiſſa. Regnavêre autem ex hac illuſtri familia duodecim Principes, centum & ſeptuaginta annis: tot enim ſunt ab Othone ad Philippum, in quo principum progenies defecit, quum is ſine legitima prole deceſſerit. Cæterùm confecto libro, quum offerendi huius muneris votum novus ex violatis inducijs renati belli tumultus aliquandiu fefelliſſet, tandem id totum Carolus ipſe atroci fato vobis ereptus interrupit: graviore quidem noſtro luctu, quòd iuvenis ſpectata virtute florentiſsimus, in ipſo partæ pacis limine conciderit. Id igitur quod ei debebam, tibi rerum omnium hæredi integra fide perſolvo. Tu verò ſapienter generoſeque feceris, ac planè regiè, ſi eo animo librum evolves, ut repudiatis vitijs ſummos tantùm virtutum flores decerpas. Id porrò tibi haud difficile fuerit, qui paternæ laudis æmulus atque avitæ conſtantiæ præclarus imitator, ita diverſas miro temperamento in unum virtutes miſces, ut iam Gallia minimè dubitet, quin ſis duobus longè maximis regibus maior atque felicior evaſurus. Vale.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI IN VITAS DVODECIM VICECOMITVM MEDIOLANI PRINCIPVM.

PRÆFATIO.

VETVSTATEM *nobilißimæ Vicecomitum familiæ, qui ambitioſius à prælta Romanorum Cæſarum origine, Longobardisque regibus deducto ſtemmate repetere contendunt, fabuloſis penè initijs inuoluere videntur. Nos autem recentiora illuſtrioraque vti ab omnibus recepta ſequemur, contentiſque erimus inſigni memoria Heriprandi & Galuanij nepotis, qui eximia cum laude rei militaris, ciuiliſque prudentiæ, Mediolani principem locũ tenuerunt. Incidit Galuanius in id tempus quo Mediolanum à Federico Aenobarbo deletum eſt, vir ſumma rerum geſtarum gloria, & quod in fatis fuit inſigni calamitate memorabilis: captus enim & ad triumphum in Germaniam ductus fuiſſe traditur, ſed non multo pòſt carceris cathenas fregit, ingentiſque animi virtute non ſemel cæſis barbaris vltus iniurias patriam reſtituit. Fuit hic, vt Annales ferunt, Othonis nepos, eius qui ab inſigni pietate, magnitudineque animi, canente illo pernobili claſſico excitus ad ſacrum bellum in Syriam contendit, communicatis ſcilicet conſilijs atque opibus Guliermo Montis ferrati Regulo, qui à proceritate corporis, Longaſpatha vocabatur: voluntariorum enim equitum, ac peditum delectæ nobilitatis viginti millia, ad Boemundum á Brunduſio transfretantem adduxere, ne Itali, vel ſtudio religionis, vel bellica laude Gallis inferiores eſſe viderentur. Cæterùm Otho iam duobus aſperrimis ad Nicæam atque Orontem prælijs ſpectate virtutis famam conſecutus, oppugnante demum Hieroſolymas Gothifredo glorioſa totius exercitus acclamatione coronam promeruit, quum Volucem Saracenorum Ducem medio in campo ad ſingulare certamen fortiſſimum quenque ex Chriſtiana acie prouocantem, ipſe vnus ante alios nihil eius immanis barbari ferocia, vel terribili inſignium armorum ſpecie permotus, fortiter atque feliciter deuicit, retulitque de confoſſi hoſtis galea opimum, plenumque immortali gloria ſpolium, auritam ſcilicet Viperam complicatis ſpiris minaciter à cono caſſidis erectam, & puerum paſſis manibus deuorantem. Quod vnum auſpicatæ virtutis argumentum, non modò gentilitiæ laudis geſtamen fuit, ſed & poſteris id inſigne audacter vſurpantibus & imperia, & opes, & latè gloriam portendit. Fuere qui exiſtimarent, volucem ex ſtirpe Alexandri Magni progenitum, tuliſſe pro inſigni viperam, ex Olympiadis fabula puerum parturientem, quòd ea à Draconeſe compreſſam fuiſſe Iouis imagine prædicaret.*

GABRIELIS PHAERNI
CREMONENSIS IN
Vitas Illustrium Virorum
Pauli Iouij.

Illustres animæ quarum mira ordine mores
Et clara Iouius facta chartis tradidit,
Seu vos imperijs in pace vigentibus auctæ,
Seu bellica fuistis arte præditæ.
Quisquis inest vobis post fata nouissima sensus,
Si, quæ hîc aguntur, scire vos credi licet,
Lætitia certè haud modica gestire, nouoque
Debetis alacres exilire gaudio,
Quum reuirescentem longo post tempore famam,
Vestram, atque laudes excitatas cernitis
Facundi calamo Iouij, quem nostra prope vnum
Aetas, vetustis inserit scriptoribus.
Quare etiam atque etiam, vos huic debere fatendum est,
Aeterna per quem vestra viuet gloria,
Nec minus insigni debetis plurima COSMO
Cui læta pulchræ paret ora Etruriæ,
Hæc qui vestrorum iuuenis generosus honorum
Monumenta, formis iussit excudi teneis,
Ille vnus lapsas seclis vergentibus artes
Et literarum studia neglecta erigit.
Ille fouet vates, illi pia carmina curæ,
Et restituta in pristinum sapientia,
Et quæ sydereos linquens Astreæ recessus
Sub hoc reuisit Principe humanum genus.
Vtque salutiferum radianti lumine sidus
Seu Veneris almæ siue supremi Iouis
Tristitia felici leuat exoriens aspectu
Astra, atque lætos vndique euentus ciet,
Non morbi, non bella vigent, maria alta quiescunt
Et aucta largis terra ridet frugibus,
Talis honorato Medicum de sanguine COSMVS
Orbi serenum illuxit Etrusco iubar,
Sustulit incestas pœnis vltricibus artes
Mores probrosos pepulit, induxit bonos,
Virtuti pretium, ingenijs honor additus, vnum
Quenque ad decora studia & artes allicit.
Pax secura viget, iustum dominatur & æquum.
Procul insolentes exulant iniuriæ.
Macte ista virtute animi clarissime Princeps
Futura nunquam te silebunt secula.

PAVLI

PAVLI IOVII

OTHO SIVE

LIBER I.

NOBILISSIMI Principatus fundamenta feliciter Otho iecit, Vberti filius, qui ab Asiatico Othone proauo nomen acceperat. Natus est Inuorio in pago apud Verbanum lacum, magnis quidem natalibus, sed patrimonio tenui, & tum adeo afflictis totius familiæ fortunis, vt quatuor tantùm, & planè ignobiliũ vicorum ditione, tot gentiles proceres maiorum suorum nomen tuerentur. Hi fuere Inuorium, Mastimum, Vergantum, & Olegium: fundos etiam sat amplos Mediolani extra portam Iouiam, à Sulthano Vicecomite emptos constat. Frequentibus

enim Barbarorum eruptionibus, & ciuili præsertim bello, cuncta apud Insubres conturbata prostrataque erant, vt non mirum sit, tantas opes in publica calamitate corruisse. Sunt qui ex genitura propter admirabiles syderum concursus, imperium ei à Mathematicis prænunciatum fuisse asseuerent. Verùm ipse repudiatis prorsus Astrologis, id vnum pro insigni ostento iocabũdus accepit, quòd Vicecomite Placentino Mediolani prætore, qui tum erat supremæ potestatis Magistratus, & Othone Cæsare imperante in lucem esset editus. Enituit satis maturè in adolescente ingenium alacre, præaltum, ardens, & (quod mirabile erat) graui prudentia temperatum: accesserat corporis atque oris dignitas maximè excellens: statura enim erat excelsa, & nexu neruorum longè firmissima, pectore autem lato atque extanti, & radiosis prægrandibusque oculis: eloquentia verò illustri, exquisitisque literis, quum oporteret ad iocunditatem exornata, adeo vt cum omnibus magnoperè placeret, etiam sibi meliore fortuna dignus videretur. Itaque ardente ciuili bello Gallia Cisalpina, domo egressus Romam se contulit ad Octauianum Vbaldinum Cardinalem, authoritate atque opibus florentem, à quo benignè susceptus, adscribitur familiæ inter honestissimos. Nec multò post, cum in ea domo aliquandiu virtutis eximiæ perurbanæque comitatis, & naturæ nequaquam fallacis, vel insidiosæ testimonia passim reli quisset, Octauiano prælta semper agitanti, in ocio pariter, atque negotio comes esse cœpit: adeo vt munera legationum obeuntem & trans alpes accitum inter præcipuos sequeretur, hisque maximè temporibus extra ordinem necessaria domesticæ disciplinæ officia, cæteris languentibus aut occupatis diligenter impleret, abnuenti semper & coacto similis, ne ambitione potius quàm obsequio aliena munia suscipere videretur. Literas enim scitè atque expeditè exarabat, dictabat eleganter, in omnique occasione œconomicarum rerum cuncta ad pietatem, ad decus, temperantiamque reuocabat: quibus maximè rebus ita appetente Cardinalis ingenio certissima laus pararetur, honesta quidem sibi in primis ad promerendam ampliorem gratiam, & demum ipsi Cardinali decora & vtilis ad petitionem summi Pontificatus contendenti. In vnam enim eam curam amplissimos senatores haud dissimulanter incumbere, vti aulæ artium peritus facilè intelligebat. His moribus iam abundè claro, & prospera vigenti fama, Leo Peregus Mediolanensis Antistes in exilio apud Legnanum mortuus nunciatur. Hunc Martinus Turrianus tanquam patronum ducemque nobilitatis vrbe pepulerat, quum ipse iam populi causam aduersus Patricios suscepisset, perturbataque Republica statum popularem cæsis dissectisque nobilibus induxisset. Oderat Octauianus Turrianos tanquam nobilitatis hostes. Erat enim è vetusta & illustri apud Etruscos Vbaldinorum familia, & priuati quoque odij causæ intercedebant, parum quidem honestæ, sed ob id validiores. Nam ei Martinus paucis antè annis notam nefariæ cupiditatis inusserat, quum fortè in Galliam iter habentem hospitioque susceptum, in templo diui Ambrosij, ne carbunculum mirabili fulgore & rara magnitudine conspicuum è donarijs auferret, armatus accurrens prohibuisset: Dicebat enim Cardinalis cupidè inspiciendo tractandoque eam gemmam omnino dignam videri, quæ ad ornamentum sacrorum solennium, in summa Pontificis Maximi thiara conspiceretur.

ſpiceretur. Hic eſt ille Vbaldinus prælto ambitioſoque ingenio, & magnis opibus potens Danthis Poetæ carminibus, obliquo probro ſimul & laude celebratus. Itaque ad excidium Turrianæ domus & ad condendum in Vicecomitum familia principatum, fatali euentu Otho Mediolanenſium Archiepiſcopus ab Octauiano declaratur, qui ampliſsima ad id poteſtate, iure munereque legationis fungebatur: idque approbauit Vrbanus Pontifex vel ob id quòd duos fœda diſſenſione Mediolanenſium defuncto Leoni ſuffectos audiebat, Raimundum ſcilicet Turrianum Martini patruelis potentia armisque potius quàm liberis ſuffragijs prouectum, & Franciſcum Septarienſem, quem virtutis commendatione populus tribusque omnes in odium Martini ueluti impotenter & ſuperbè dominantis extulerant. Fauebat Othoni Vrbanus, vt maieſtatis Pontificiæ iura tueretur. Itaque eum ritè conſecratum inſignitumque mitra & lituo paſtorali, ad ſacerdotij munus obeundum in Ciſalpinam Galliam dimittit, eò etiam cupidius quòd Turrianis infenſus erat: nam fortè per id tempus magno Othonis commodo Vbertus Pallauicinus Turrianorum copiarum dux, Placentinorum agros Pontificis ditionis populabundus afflixerat. Erepſerant Turriani paucis antè annis ad ſummam potentiam, ab initio in Republica popularem auram optimis artibus aucupantes: poſtremò autem dominandi libidine ac cenſi, totius publici conſilij formam, Prætoris arbitria, & ſuffragiorum denique omnium iura libertatemque ſuſtulerant. Fuere illis magnæ opes in Saxina valle, quæ eſt ad Larium lacum, creuerantque plurimum hæreditate Tacij Reguli, qui geminos è Belgica Gallia profugos Turrianos fratres militaris indolis ſibi generos adſciuerat, atque adoptarat in filios. Ab his progenitum ferunt ſuperiorem Martinum cognomine Gigantem, qui poſt egregiæ virtutis facinora ad Antiochiam multis in prælijs edita, à Saracenis captus, & miſerabili ſupplicio affectus fuiſſe traditur. Huius nepos fuit Paganus vir excellenti virtute prudentiaque, qui multa cum laude liberalitatis & pietatis, Mediolanenſes à Federico II Cæſare, ad Cohortiſnouæ oppidum cruento prælio profligatos ad ſe recepit, incredibilique benignitate omni humana ope adiutos fouit, domumque dimiſit: cui non multo poſt optimè de ſe merito gratiam retulere de mandato ei Prætoræ magiſtratu, ipſoque cum uniuerſa familia ciuitate donato. Paganus ita geſsit magiſtratum vt nemo temperantia, æquitate atque induſtria potior videretur, niſi populi atque infimæ plebis ſe defenſorem profeſſus, paulò acerbius patritios tanquam ſuperbè ac petulanter minores ordines diuexare ſolitos, patria exturbandos ſuſcepiſſet. Hunc fato functum & ad Claræuallis templum funere publico elatum, omnes ordines diu luxerunt, honeſtaruntque marmoreo ſepulchro inſculptis carminibus cum titulo magnificè atque feliciter adminiſtratæ reipublicæ. Pagano ſucceſsit Martinus frater vir ingenio perſpicaci, erecto ad laudem atque imperij, & gloriæ maximè cupido: cæterum (quæ ad id opportunè erant artes) multa ciuili clementia & lenitate temperato. Hunc populus defenſorem ſuum patriæque patrem appellauit. Paulum enim Soreſinam, Leonemque Peregum vrbis archiepiſcopi Patritiorumque duces VI expulerat, bonis exuerat, exilioque mulctarat, contuderatque adeo nobilitatis animos, vt Reſpublica numeroſo præualente in-

simorum hominum consilio in speciem libertatis, non obscurè autem ad vnum ipsius arbitrium regeretur. Eo modo nobilitate in ordinem redacta, & grassante plebe in patritium sanguinem, Pontifex Romanus affectam laceratāque ciuitatē miseratus, Rauennatem antistitem Mediolanum misit, qui christianæ pietatis officio cædes tolleret, odia mitigaret, statumque perturbatæ vrbis componeret. Is capita factionum ablegauit, & ante alios Martinum: sed is non multo post euocatus studio veterum amicorum, hostibusque ad Diui Dionysij templum tumultuario certamine profligatis, in vrbem est receptus. Exinde Martinus vsurpato imperio cuncta regere, plebisque præcipuè commoda tueri, & nouis & sellularijs hominibus præsidio esse: contrà verò nobilitatem asperrimis edictis armisque persequi, & latè vndique submouere. Confugerant patritij ad Actiolinum à Romano, quem Eccelinum perperam aliqui nominant, qui rei militaris peritia & immanitate crudelis ingenij duces omnes atque tyrannos anteibat. Is Cæsarianarum partium princeps erat, Federicoque secundo dux & miles operam nauarat. Itaque magnis coactis copijs aduersus Turrianos bellum suscepit, transgressusque Abduam in agrum Mediolanensem sese effudit, patritios in patriam reducturus, vlturusque eorum iniurias sanguinaria manu, nisi dij eam diræ pestis cladem auertissent. In eo enim metu & trepidatione, Martinus constanti animo populum sub signis eduxit, intercluſumque tyrannum amne Abdua cum à tergo Vbertus Pallauicinus, & Actius Atestinus, Bosiusque Douaria, fœderati principes instarent, commissa pugna superauit, tanta felicitate vt ipse tyrannus Nerone crudelior suo atque alieno cruore perfusus, cum sese incitato insigni equo eripere conaretur, viuus in potestatem hostium deuenerit, nec multo post in tabernaculo Bosij repudiatis remedijs expirarit: cum nullis vel benignis præcibus adduci posset, vt bene speraret, & obligari vulnera pateretur: toruis enim oculis ferociam spirans, neminique respondens, tot scelerum pœnas effugere accersita morte properabat, ne turpi incertæ vitæ desiderio ludibrijs ignominiæque superesset. Cæterùm eo prælio nobilitas prostrata fugataque est, & Martinus authoritate, gloria, atque opibus adauctus, soluto pudore dominatum arripuit, aboleuitque eius concilij nomen, quod populus sub Credentiæ nomine instituerat, cuius decretis ipse dudum solemni sacramento adactus se staturum iurauerat. Sed ea moderatione & temperantia Martinus vtebatur, vt nullum superbum aut insolens dictum ore vel gestu prorsus excideret. studebat tranquillitati, copiæ, vbertatique rerum omnium, Paulique Soresinæ aduersarum partium principis filiam matrimonio sibi copularat, vt & inimicis ducem opulentum detraheret, & pacem atque ocium se maximè cupere ostenderet. At patritij ab his nuptijs repudiato Paulo ad Iordanem Ruscam Comensem se contulerunt: quamobrem Martinus maiorem indies gratiam, exactæque prudentiæ opinionem est consecutus. Ad confirmanda quoque populi studia, declinandamque inuidiam, quum sumptuosius ædificare diceretur, omnes operas ad Ticinum conduxit, vt non procul ab Abiato oppido emissarium nauigabile deriuata parte amnis ad vrbem perduceret, ad facillimas subuectiones importandorum ex agris fructuum, qua incomparabili commoditate populus in quotidianos vsus perpetuo

petuo frueretur. Sub id tempus variæ patritiorum manus ab exilio latebrisque remotiorum oppidorum ad Othonem peruenerunt, patriam & sacerdotij sedem ex authoritate Pontificis repetentem. Hi nanque in nouam spem quæ exules & miseros nunquam destituit, erecti, vndique coiuerant, parabant arma, veteres amicos & propinquos qui domi remansissent, nunciis ac literis solicitabant. Itaque Otho crescentibus viribus, confecto noctu itinere ad Verbanum clientelasque suas contendit, Aronamque occupat, vt ea bello certa sedes foret, & firmiores demum copias tuto cogeret, ad bellum Turrianis inferendum. His rebus cognitis Martinus quanta maximè potuit celeritate copias ex oppidis deducit, Pallauicinum euocat, quem in quinque annos perampla mercede conduxerat, Ticinumque transgressus ad Aronam castrametatur. Horum aduentu Otho quum diu terrestribus & naualibus copijs obsessus & oppugnatus nihil vel repugnando vel erumpendo proficeret, fortunæ cesit, deditoque oppido noctu profugit, ne in conspectum hostis deueniret, & suos ex pactione seruauit incolumes. At Turrianus Aronæ, Angleriæ Brebiæque arces demolitur, vt nihil in quo hostis tutò consisteret, omnino relinqueretur. Exulante autem Othone, Martinus moritur, Philippoque fratri Reipublicæ gubernacula committuntur. Verùm ille confirmatis opibus ad principatum apertè contendens, se prætorem in decem annos creat: certantibusque etiam Comi intestino obello Vitanis atq; Ruscanis, vrbe potitur, prætoremque ibi de Vitanis creat. aduersarios expellit, in Volturenamque vallem vsque persequitur. Sed tanta vis erat patritiorum exulum, duce præsertim Othone, vt occulto metu plurimum angeretur, atque ob id parandas sibi omnino nouas amicitias affinitatibus atque coniugijs existimaret, vt aliquorum nobilium assensu & studio stabilire opes, retinere vim prætorij iuris, imperij authoritatem maiorum virtute collectam tueri posset. Itaque Guliermo Pusterlæ patritio filiam nuptui dat: ipse tum cælebs vxorem ex Biraga nobili familia ducit. traditur etiam vxor Francisco Turriano Iacobi patruelis filio, ex gente Castillionea, qua cognatione subnixus, dispersis iam atque attritis exulum viribus, vt impensæ parceret, Vbertum Pallauicinum exacto stipendij quinquennio missum facit, singulari Turrianæ gentis incommodo: nam ille contumelia accensus, per occasionem quantis maximè potuit artibus, patritijs adhærens Turrianos semper oppugnauit. Sub id tempus Carolus Andegauensis è Narbonensi Gallia in Italiam venit, euocatus ab Vrbano Pontifice aduersus Manfredum pontificiæ maiestatis authoritatem patris & proaui more conuellentem. Huius amicitiam quum Turrianus magno pere appeteret, copias eius intra fines recepit, & commeatu, veste, armis liberaliter iuuit, vt Gallorum præsidio firmior factus, Pallauicini nobiliumque exulum vim propulsaret: & quò præclarius studium eius erga regem ostenderetur, Emberrã natione Gallũ regis familiarẽ prætura ciuitatis ornauit. Philippus interea moritur repẽtino correptus morbo. Hic vir belli pacisq; artibus abundè instructus, principis & domini spiritus gerebat, virtute Martino par, sed astu & ambitione superior. Accepit imperiũ statim Napus quem Napoleonem aliqui appellãt, Pagani filius, vir militaris callido tyrãno, quàm moderato principi similior: etenim nihil illi antiquius fuit quàm pa-

tritios cædere, proscribere, omnibusque contumelijs atque iniurijs, exagitatos, ad internitionem delere. Erat Laudi Pompeiæ certus miseris & profugis receptus benignitate Vistarinæ familiæ, cuius princeps erat Succius. Hunc Napus obsessa & capta vrbe, periculoso certamine viuum cepit, atque interfecit, necatis etiam in carcere eius gentilibus atque amicis. Fisiragam vero familiam Vistarinæ ex aduerso æmulam, quæ Turrianæ factionis nomen tueretur, aduersariorum opibus ditat, & principem in vrbe constituit: vtque Guliermo Montis ferrati regulo ad quem forte mortuo Pallauicino patritij exules confugerant, rerum suarum metum incuteret, traiecto Ticino & admotis ingentibus copijs Viglebanum expugnauit. Iisdem diebus Vrbano vita functo, Clemens pontificatum adeptus enixè contendit, vt Otho à Turrianis reciperetur, præsertim populis id expetentibus, prædijsque templo dicatis, & tota diuini iuris possessione potiretur. Cæterum Napus qui ad Othonis nomen fatali quodam metu expergisci, ac sermone & vultu inhorrescere erat solitus, Pontificis literas & preces, atque item minas superbè contemnebat. Itaque indignante Pontifice, tanquam rebellis & impius sacris interdicitur. Mediolani templa omnia clauduntur, sacrificiorum solennibus intermissis: populus dolet atque angitur, neque tamen timore conterritus postulare audet, vt admisso Antistite ira pontificis leniatur, simulque ciuitas his imprecationibus expietur. Hærebat imperij finibus Otho, ad eumque exules vndique confluxerant: erat enim in eo præclara authoritas, atque ex honestissima belli causa repetendæ patriæ magna spes omnibus proponebatur. Quid enim æquius aut honestius quàm pro libertate sacrati Antistitis contra tyrannum impotentem, sæuum, inferorumque furijs sacrosancti Pontificis execratione deuotum, arma ferre, crudelique dominatu detrudere? Cùm in his consilijs nobilitas omnis versaretur, ob idque in agro Vercellensi sæpius coiret, Napus Paganinum fratris filium, acri ingenio iuuenem, & nobilium cædibus assuetum, Vercellensium prætorem designat. Petit à primoribus ciuitatis, vt eum recipiant, in magistratuque constituant. Ea res delata ad patritios qui Vercellis erant, omnium animos metu concussit, ac dolore succendit: nemo enim ignarus rerum, non prouidebat eo consilio Turrianum, & eum quidem cruentum ferocemque hominem Vercellis prætorem imponi, vt Patritios suæ gentis hostes vrbe pelleret, passimque opprimeret, atque omnibus in locis persequeretur. Itaque exulum principes coacta armatorum manu, aduentantem cum Prætorijs insignibus Paganinum in itinere obtruncant: quo nuncio Napus & Emberra adeò in vindictæ cupiditatem exarsere, vt immani eorum iussu, omnis sexus & ætatis exulum propinqui, cùm Paganini cadauer ad diui Dionysij templum atrata familia conuexisset, ad eius tumulum tanquam hostiæ mactarentur, &, quod miserabile spectaculum fuit, ad sepulchra maiorum plaustris in vrbem referrentur. Scribit Tristanus Scalchus adeò vesana rabie Napum fuisse correptum, vt Musca filius, ad quem postea ex diuturno carcere recuperati imperij laus peruenit, comprehenso medico cui salutem ex lethali morbo acceptam referebat, vitam vix impetrare potuerit: cùm grauissimè iuraret iuuenis, dolore atque inedia sibi vitæ exitum inuenturum, nisi vir sibi salutaris & innocens, ab crudeli supplicio seruaretur.

Napus

Napus tamen vbi totam immanis vindictæ libidinem expleuit, atque ira deferbuit, id execrabile facinus deteſtari, in Emberræ ſæuitiam cùm externi repentiniq́ue homines, tum etiam raro ſobrij culpam referre, prorſus multa verborum ac vultus ſimulatione facti atrocitatem lenire. Nec multo poſt, vbi id populum grauiter tuliſſe animaduertit, ad mitigandam inuidiam Gallus prætura deijcitur, atque vrbe ob iram ciuium excedere iubetur. Nihilo ſecius tamen Carolo regi de interfecto hoſte Manfredo rege, partoq́ue Apuliæ regno, victoriam gratulatur, miſſo ad id munus Franciſo fratre cum ornatiſsimo comitatu, donisq́ue regalibus: qui alacriter ſuſceptus, & donatus baltheo militari, regiæq́ue militiæ honoris cauſa aſcriptus, ita demum Mediolano vitam egit, vt ad imitationem Gallici luxus ſplendore, & domeſticarum rerum apparatu Napum principem anteiret. Erat res Turriana in ſummo arridentis fortunæ faſtigio, cruciabaturq́ue ingenti cura Antiſtes Otho, mœſtaq́ue & extorris nobilitas errabat, ab infimo quoque Regulo opem implorans, vti conſumptis opibus, atque amiſſa dignitate, quando toties repetita patria bellum graue & ærumnoſum improſperè, & dijs haud dubiè inuitis renouaſſet. Vigebant tamen in Othone mira conſtantia & ſpes incredibilis adipiſcendi imperij ſacerdotalis, & perinde infracto animo patritij eo duce qui iuſtiſsimam præferret cauſam, omnia ſibi ad reditum atque victoriam faciliora fore exiſtimabant. Erat inter extorres Squarcinus Burrus vir apprimè nobilis & opulentus, vigoreq́ue animi, atque armorum peritia illuſtris, cuius filia nomine Bonacoſa virtute, forma & fœcunditate inſigni, Matthæo Magno nupſerat: Huic Otho patritijq́ue, Pallauicino per eos dies morte ſurrepto, imperium militare detulerant, inierantq́ue fœdus cum Guliermo Montis ferrati marchione, Ferdinandi Hiſpaniæ regis genero, eo conſilio, vt maiore belli mole Turrianos oppugnarent. Deſtinabat enim ſibi Guliermus ſi id bellum ſuſciperet, multò maiores opes, multoq́ue maius ſibi indies imperium: verùm externis ſoceri auxilijs ſibi opus eſſe iudicabat, vt eximiæ virtutis gentem bellicarumq́ue artium maximè peritam Germanis & Gallis opponeret. Remanſerant enim aliquot Gallorum turmæ apud Turrianos, ex his quos Flandrius comes Caroli dux in Italiam adduxerat: ipſo enim in ea pugna interfecto, qua Pallauicinum & Gibellinos ſuperarat, plerique ex eius equitatu, poſtquàm debellatum eſſe videbatur, orbati duce, ſubſiſtere in Circumpadana regione, quàm Neapolim vſque ad regem contendere maluerant. Itaque ad Ferdinandum ipſe Burrus in Hiſpaniam mittitur, vt legationi maior ineſſet authoritas. Is vti erat graui facundia, explicatis partium pariter atque hoſtium viribus, terminatisque conſilijs à rege copias impetrauit, impoſitisq́ue in naues ſexcentis equitibus, & aliquot iaculatorum & ſagittariorum cohortibus, in Liguriam eſt reuerſus. Nec multò poſt ab Sauona ſuperatis Apennini iugis cum ea manu ad Guliermum peruenit. Rex enim generum ſuum exiſtimatione atque opibus augere, & prorſus efferre in ſpem ingentem amplioris imperij magnopere cupiebat. His confirmati auxilijs cum Othone Burrus & Guliermus ad Viglebanum, quod Turrianus præſidio tenebat, proceſſere: tentata eſt per quatuor dies oppugnatio, promotis ſcalis, & in coronam circundatis funditoribus &

ribus & sagittarijs, ita vt murus continenter propugnatoribus nudaretur. Sed Turrianus miles pluteos ex crassiore materia pinnis coaptarat, quibus protectus magnam vim lapidum deuoluebat, vulnerabanturque subeuntes, neque spes vlla expugnandi oppidi, nisi ingentibus balistis & machinis longo laborioso que opere ædificatis relinquebatur. quod tum minimè conandum existimabat Burrus, ne vltra Ticinum oppugnando eo oppido hæ rens diutius distineretur, quum superare amnem, & quamprimum oppidis Mediolano proximis bellum & pauorem inferre cogitaret. At Viglebanenses irrito hostium conatu, & felici suorum successu elati, quum Burrus milites ab oppugnatione reuocaret, contineri minimè potuerunt, quin adperta porta protinus erumperent. Hos temerè incumbentes, insolentiusque prouectos Hispani suo more refugiendo & latè pauorem simulando, opportunè ludificati à porta longius abstraxere, adeoque celeriter in gyrum reflexis turmis circumuenere, vt hostes quum se penè ab oppido intercluſos cernerent, & in receptu multis confixi iaculis laborarent admistis Hispanis intra portam refugere cogerentur, ac nisi impeditis atque occupatis valuis, demissa repentè cataracta densato ordine irrumpentes excluſissent, Hispani proculdubio sine vulnere oppidum cepissent. Ex Viglebanensibus aliqui occisi, plures capti. Periere & intus aliquot equites Hispani supernè tegulis oppressi, cæteri permutatione facta cum his qui excluſi fuerant, in castra redierunt. Erat tum Ticino amni sublicius pons ad Turbicum vicum impositus, munitusque ad capita lunato aggere & ligneis castellis, in queis binæ vtrinque Mediolanensium & Comensium cohortes ad custodiam excubabant. Decreuerat fortè per eos dies Ticinus, ita vt expediti equites certis vadis haud magno cum periculo tranare posse viderentur. Itaque Othoniani equites fermè omnes, & in primis Hispani consessores totidem pedites in equorum clunibus transportantes, in aduersam ripam euaserunt, & vtrinque sub auroram improuisò aggeres adorti, magno tumultu, magnisque clamoribus subire cœperunt. Tanta celeritas Hispanorum fuit, vt in ea parte præsidium penè prius deijcerent, quàm alterum è tota mole pedestris exercitus expugnaretur. Paucis interfectis, omnes Burrus potitus ponte inuiolatos conseruauit: & quum liberaliter etiam dimitteret, rogauit, vt ad referendam eius beneficij gratiam iam tandem à patritio sanguine temperarent, & sacrosanctum Antistitem templo sedeque sua atque ipsos denique nobiles, patria atque penatibus dignos existimarent. Ob eam humanitatem, Burri nomen Mediolani & Comi clarissimum fuit: & magna quoque pars eius laudis ad Othonem referebatur, vel inuitis & negantibus Turrianis, qui plebis animos his humanioribus officijs pietateque hostium deliniri posse metuebant. Huius Burri monumentum in Peristylio ad ædem Eustrogianam nuper vidimus, exesis literis & superstante scutata equestri statua cum sceptro, imperatorisque insignibus ad veram oris effigiem depicta. Cæterum Burrus & Guliermus diffuso per Laumelinum agrum equitatu, atque inde cum magna agricolarum trepidatione Seprienſem ingressi regionem, ac demum transuersis itineribus Comensem & Ticinensem secantes viam, vicos Mediolano proximos inuasere. Erat ad Caratum oppidum in

æstiuis

in æſtiuis Narbonenſium Gallorum equitum ala, ad eam reliquæ Italorum turmæ, atque item cohortes vti conſcriptæ inſtructæque erant Mediolano mittebantur. Napus interea quanto maximè conatu poterat ſuas atque externas copias cogebat, vt iuſto exercitu cum hoſte patenti in campo congrederetur. Sed dum à Parmenſibus auxilia expectantur, Carrociumque cum ſignis militaribus & Valentes prætoriani inſtruuntur (ſic enim eos ſpectatæ virtutis milites vulgò appellabant, qui ad tuenda ſigna delecti erant) Otho fit certior, Gallos negligentius, vt in nullo metu, vigilias obire, atque eos noctu opprimi facilè poſſe, ſi expedita cum parte copiarum Hiſpani equites mitterentur. Nec mora, re ad conſilium delata, expeditionem ſuſcepit Burrus, paucisque horis confecto per noctem itinere, Caratum peruenit. Fortè Gallos Italosque ſimul ea nocte liberalius epulatos altior ſomnus oppreſſerat, & vigiles rari in ſtatione ſegnius agebant, quum Caratenſes exacerbati hoſpitum iniurijs Burro faciliores aditus oſtenderunt. Itaque magnis clamoribus occupato oppido, nequicquam tentata defenſione inermes diſcinctique equites capti: Italicæque turmæ eandem fortunam tulere. Sed quum victores ingenti potiti præda captiuis indulgenter cuſtoditis, corpora & equos curarent, affuit inſtructo agmine Napus, Othoque & Guliermus eodem ferè temporis puncto ſuperuenere. Commiſſa eſt extra oppidum pugna Burro atque Othone nec opinantibus, fœda vtrinque militum concurſatione: nam & oppidum Germani equites irruperant, & captiui reſumebant arma: foris verò Turriani equites, & Mediolauenſis legio Valentiumque cohortes Guliermi copias adeò perturbarant, vt diſiectæ in fugam verterentur. Hiſpani quoque equites qui ſatis maturè equos conſcendere atque arma expedire cœperant, anguſto in loco confertæ Germanorum alæ impetum non tulere, vti magna ex parte inermes, & Maurorum prælijs aſſueti, ſua tamen agilitate eò profecerunt, vt primis ſuorum interfectis, celeriter ſeſe explicantes euaderent. Napus primi ſucceſſus victoria contentus ſuorum agmina in acie continuit, ſiue quòd dolum ab inſidioſa gente ſuſpicarétur, ſiue quòd in ea admodum repẽtina vtriusque exercitus perturbatione, quum nihil pro certo explorari poſſet libertatis præſertim Gallis legionis diſſolutionem periculoſam exiſtimaret. Otho, Guliermus & Burrus, cũ integro fermè equitatu, & magna parte peditum euadentes continuatis itineribus vltra Ticinum ſe recepêre. Ita Napus ſua celeritate & opem oppreſſis ſuis opportunè tulit, & felici caſu de hoſte victoriam eſt conſecutus. Huius rei geſtæ ſeriem tempusque Corius ſcriptor confundit, falſoque aſſerit, ea die Theobaldum Magni Matthæi patrem fuiſſe captum. Merulaque, vtpote eam annalium copiam qua nos vtimur, non nactus, de Hiſpanis anguſtiſsimè perſcripſit. Ab hac victoria Napum conſtat odium ſuum iramque violenter exercuiſſe, in eas præſertim familias quæ ad hoſtes inclinaſſent, aut commeatum ex itinere præbuiſſent, Caſtellionumque in primis diruiſſe, quoniam eius oppipi nobiles, licet Turrianis affinitate coniuncti, in Othonis partes tranſierant. Interea Otho ad Clementem qui Vrbano vita functo ſucceſſerat, proficiſcitur: orat vt eius ope in ſedem ſuam patriamque reſtituatur. Fauebant Othoni plerique Cardinales, hortabanturque Pontificem vt ſacroſanctæ maieſtatis iura in ipſo principatus

initio fortiter atque magnificè tueretur. Itaque Clemens grauibus literis Turrianos adhortatur, vt Antistitem recipiant: abnuentes sacris interdicit, dirisque execrationibus adiectis ciuitatem inferorum pœnis deuouet: ita clausis templis sacrorum expers populus de Turrianis conqueritur: consternatusque eo piaculi metu à Napo religionis iure postulat, vt pertinaciæ suæ finem imponere velit: æquum enim esse Othonem recipi postquàm vti ciuis spectatæ probitatis nomine, à summo sacrorum principe præsulatu dignus esset existimatus. In eius ancipitis curæ deliberationem aliquandiu fatigatus Napus, vt religione tangi & populi precibus permoueri videretur, legatos Romam misit, vt pontificem magis ac magis auersum atque infensum Turriano nomini, explicatis eius contumaciæ rationibus mitigaret. Sed eos Clemens Christiana seueritate tanquam pollutos & execrabiles vrbis Romæ ingressu prohibet, præcipitque vt maturè pontificij imperij finibus decedant. Ita legati Vrbe excluſi, continuò Neapolim ad Carolum perrexêre, vt ab amico rege, atque eo quidem patrono & assertore pontificiæ libertatis opem implorarent. Carolus re cognita haud multum cunctatus Turrianorum causam suscepit, paucisque inde diebus Turriani rege deprecante, simulque legatos suos Romam mittente, recipiuntur in Vrbem, statimque in senatum introducuntur. Regius primo logatus postulauit pro communi iure gentium vt Turriani, qui supplices ad dicendam causam veniſſent, æquis animis audirentur: eos esse in fide atque amicitia sui regis, ad cuius dignitatem maximè pertineret socios tueri, vel ob id præcipuè quòd semper Cæsaribus pontificio nomini infestissimis, hostes extitissent, regemque in primis Pontificum iniurias vindicantem secuti, eius victoriæ participes esse voluissent: videri quoque procul à benignitate æquitateque sanctissimi omnium parentis, eos sacerdotijs atque opibus ornare, qui cum nefarijs tyrannis consilia atque arma miscuerint, & tum maximè pacis & otij tranquillitatem perturbare contenderent. Ipsos verò pontificiæ dignitatis defensores, & ob præstitam fortem fidelemque operam vel ampla præmia meritos hostiliter persequi, impositoque ipsorum vrbi Antistite sæuo atque æterno hoste, ipsoque duce exulum maximè factioso, exagitandos opprimendosque præbere. Orantis Galli Turrianus legatus verba excepit, adeoque acerbè in causam Othonis est inuectus, vt quum vehementi & planè rabido ore modestiam omnem exueret, tanti consessus obliuisceretur, præsentisque Othonis famam maledictis atque inusitatis criminationibus lacerando feruore intemperantis linguæ prouectus, magnam partem senatus sibi ac Turrianis auerteret. Ea omnia Otho Antistes ex aduerso consurgens, moderata quidem, sed planè illustri & generosa oratione confutauit, repetitisque altè contentionum initijs, ostendit Turrianos omnium præteritorũ temporum tyrannos, astu, impietate, sæuitiaque superasse. Quando Medio lanensium insigni beneficio in vrbem asciti, & ex præclaro tuendæ plebis titulo summis honoribus honestati ipsum demum vrbis imperium imperitis hominibus deceptis, vti periuri ingratique homines arripuissent. De sacerdotij autem ratione & de calamitate nobilitatis exulantis, deque statu ipso deformatæ vrbis ita accurratè grauiterque disseruit, vt facto senatus decreto pontifex responderit, seque primum cardinalem legatum in Cisalpinam

nam Galliam missurum, vt ex eius authoritate controuersiæ componerentur, hominem ea virtute atque industria vt breui rationem inuenturus sit, qua Othoni pariter ac Napo certis præscriptis legibus caueatur: atque ita futurum esse, vt Othone recepto & de more diuini iuris dicundi facultate potito, ciuitati sacra redderentur. Nec multo post legatus Othonem reducturus Mediolanum venit. actum subinde est de compositione, ex formula Romani senatus, omniaque pollicente se facturum Napo, & excolente omnibus officijs ac largitionibus legatum, ciuitas expiatur, nec tamen Otho recipitur, magnoque eius incommodo dum Napus nouas perficiendo negocio difficultates inserit, sensimque inde tempus extrahitur, eluditurque legatus, Clementem morbus repentinus oppressit. Nuntiata Pontificis morte Turrianus vel ob id etiam voti compos est effectus, quod patres fœda dissensione in diuersa studia proclinantes, in comitio aliquot menses contenderant. Per opportune igitur Napus excluso summotoque Othone ad firmandas imperij vires conuersus, Rodulfo Cæsari legatos cum amplissimis donis in Germaniam misit, obtulitque vltro studium suum atque opes ingredienti Italiam ad coronam Longobardici regni de more suscipiendam. His pollicitationibus lætatus Cæsar, Napum suo augustali iure præsidem, procuratoremque in Insubribus constituit, alamque Germanorum equitum mirificam ad eum præsidij causa misit: cui Cassonus Napi filius iuuenis decoræ formæ & militari virtute conspicuus præficitur. Interim Othone in omnem occasionem excubante, cardinales Theobaldum Vicecomitem Placentinum, indito Gregorij Decimi nomine, pontificem creant, quum is infimi ordinis sacerdos, sed virtute insignis, nunquam de toga candida cogitasset. Magno quidem senatorum probro, qui neminem è corpore suo in ea pertinaci contentione pontificatus dignum existimassent, nolentibusque similes, & casu quodam suffragijs ludentes, probitatem ex alio, eoque humili ordine quæsiuissent. Ad hunc Otho profectus, de reditu in patriam sedemque suam diu agitauit, adhæsitque ei in Galliam ad concilium contendenti, quum ille & Vrbani & Clementis acta se defensurum in ea sacerdotij causa prolixè polliceretur. Sed Napus tanto cum honore apparatuque Pontificem Mediolani suscepit, tantaque liberalitate abeuntem in Galliam est prosecutus, vt pontifex eius sacerdotij controuersiam, non prius se cogniturum diceret, quàm peracto Lugduni concilio, in Italiam reuerteretur: Raimundumque subinde in gratiam Napi fratris totiusque Turrianæ domus Aquileiensem patriarcham crearit. Hic erat episcopus Comensis multa morum grauitate, sed profunda ambitione, & nefaria simulatione insignis: ab eo enim in id scelus tota familia conspirante, summissos percussores ferunt, qui Othonem Placentiæ in aula Pontificis obuersantem, obseruatis vestigijs obtruncarent: sed ille per seruum ex cauponariæ mulieris indicio insidias subodoratus, noctu iter arripuit, Lugdunumq; contendit. Refert Stephanardus Flamma, qui eam historiam carmine conscripsit, Pontificem ipsum (quod vix credibile est) nefarij cõsilij cõscium fuisse: &, quod fortasse pro falso esset omittendũ, nisi & tum & postea quantũ vita superfuit, Othoni animũ plane hostilẽ, & quo lethalius noceret, insidiosis honestorũ verborũ colori

bus conuelatum oſtendiſſet. Ita his Othonem à gladijs Turrianorum Fortuna ſeruauit, ſemel in æde Ambroſiana dum Octauiano cardinali adeſſet, quæritantibus eum Turrianorum ſatellitibus vſque ad latrinarum receſſus: iterum ad Placentiam. Peracto Lugduni concilio, & compoſita duorum Cæſarum controuerſia, decretoque nouarum copiarum ſupplemento ad inſtaurandum in Aſia bellum, Gregorius in Italiam eſt reuerſus comitante Othone, qui ſpei optimæ plenus ex præclara eius pollicitatione, diu exoptatum æquiſsimis poſtulatis ſuis exitum expectabat. Sed Pontifex iam plane Turrianæ factionis effectus, Othonem occultè adorat tanquam creditorem, & æqua poſcentem, palam tamen multo cum verborum honore veluti gentilem beneuolumque ſuum, vti bene ſperaret hortabatur. Adcurrerant ad Othonem viri Patritij, amicorumque affinium clientumque numerus indies apud eum augebatur. Quo illuſtri comitatu Pontificis aula frequentior atque ornatior reddebatur: nemoque iam exulum erat, qui non planè ſperaret propenſione ſtudioque Pontificis Turrianos Archiepiſcopum eſſe recepturos. Iam enim Franciſcus Septarienſis quem populus delegerat, vt Turrianorum potentiam authoritatemque minueret, tædio turbulentæ contentionis, ſponte ſe abdicans ad religioſi ocij quietem ſe contulerat. Cæterùm Gregorius ab Alpibus deſcendens, Othoni nihil tale expectanti præcepit, vt Bugellæ Vercellenſis agri oppido ſubſiſteret, ne eius aduentu ad vrbem Mediolanum ea omnia, quæ de compoſitione paceque exulum prolixè tractata fuerant, noua Turrianorum ſuſpicione aut iracundia turbarentur. Paruit Otho extrema compulſus neceſsitate, in oculto gemens & ſæpe ſuſpirans, nec tamen animum deſpondens. Paucis inde diebus Pontifex ipſo Patriarcha Raimundo ornatiſsimè lætiſsimeque excipiente, cum Mediolanum ingrederetur, feſta fronde atque auleis conueſtitæ erant regiones. Napus & Franciſcus qui honoris cauſa ab æquis deſilierant, aſtantes fræno Pontificis equum deducebant, vmbella ſerica denis haſtis à Turriana iuuentute præferebatur. Quibus obſequijs alijsque muneribus Pontifex haud dubiè traductus in partes, & ab Othone diductus, ita demum Mediolano exceſsit, vt cum multa præfatione inanium verborum, æquiſsimam ſibi videri Othonis cauſam dictitaret, ſed eius controuerſiæ iudicium in aliud tempus eſſe differendum: quòd nequaquam è Republica Chriſtiana fore videretur, ſi Turrianarum rerum ſtatum, reducto potenti æmulo perturbaret, quando ij potentia virtuteque animi magnis regni regibus æquarentur, queis fœdere & amicitia eſſent coniuncti, colerentque ſingulari officio ac pietate pontificiæ maieſtatis nomen, idque armis impigrè defenderent aduerſus Gibellinos, quorum inter principes, Otho præcipuus eſſe cenſeretur. Res enim tum in Italia aduentu Caroli regis eò deductæ erant deteſtabili populorum omnium inſania, vt cunctæ ciuitates diris factionibus laborarent. Guelfi à pontificibus ſtabant, quorum defenſores erant Galli: Germanis alteri ſtudebant, qui Gibellini vocabantur. Hi magna ex parte nobiliores familias ad ſe pertraxerant: populares verò familiæ & plebs nouique homines Romanorum pontificum iura tuebantur. At patritij ſuperiorum Cæſarum militiæ adſcripti poſt emerita ſtipendia clari potentesque euaſerant, quum imperatorum be-

gnitate

nignitate prædijs, oppidis, portorijs, aquarumque iuribus donarentur, ſpecioſisque nominibus acceptis, aurati equites, Valuaſores, Capitanei, & Comites appellarentur. His vti Cæſarum beneficiarijs mos erat pro inſigni Romanam aquilam geſtare, ingredienti Italiam nouo Cæſari adeſſe, præſtare operam militarem, nouoſque honores perpetuis officijs promereri. Ita honeſtati priuilegijs, & exempti ab communi foro iuriſdicundi, inferiores populi claſſes, plebemque ipſam ſeruilem in modum deſpectui atque ludibrio habere, & ſæpe, ſi iuſſa tardè faceſſeret, contumelijs atque verberibus mulctare conſueuerant. Et quo nihil acerbius videbatur, vigebat iniqua lex, haud dubiè ad iniuriam populi promulgata: qua lege ſi quis è plebe à patritio eſſet interfectus, paucis aſſibus ea capitis pœna ſolueretur. Huius legis iniquitas aliquandiu tolerata, ad extremum plebis animos adeo vehementer extimulauit, vt vi atque armis eam reſcinderet, & nobiles ducibus Turrianis perſequeretur. Nihil deinde medium aut æquabile plebs volebat, cùm arma teneret, & vindicandas ſuperiorum temporum iniurias arbitraretur, fruſtra etiam patritijs priorem licentiam ſuam moderantibus. Ea enim impotenter dominari quàm ex æquo iniurias propulſare malebat. Ea contentio Turrianos (vti ſupra docuimus) in ciuitate prætores & principes, ac demum recrudeſcente inteſtino malo, belli duces & dominos fecit: tantaque demum fuit imperitæ plebis inſania, vt odio nobilitatis quam vrbe pepulerat cauſa recuperandæ libertatis, nouæ demum & prædurae quidem ſeruitutis iugum, æquo animo perferret. Cùm iam Turriani ſublata publici conſilij poteſtate, cuncta pacis & belli munia ad arbitrium ſuum reuocaſſent, & vt imperij opes validius confirmarent, in partes Caroli regis, & pontificum conceſſerant, mutuisque fœderibus initis, in eam curam euigilabant, vt Germani Cæſares Italiæ finibus arcerentur, Gibellinos vbique perderent, infirmarentque eorum vires qui à Cæſaribus opem implorarent. Per hunc modum Roma, Neapoli, Florentia, atque Mediolano exacta proſcriptaque nobilitas errabat, conſilij inops, perculſa metu, attrita opibus. Ex aduerſo autem pontificij imperij maieſtas, percolente tuenteque Carolo, atque adiuuantibus Turrianis authoritate viribusque florebat. Sed neceſſe erat ſacroſanctos principes qui vti omnium parentes Chriſtiana profeſſione ad componendam pacem medij æquiſſimique arbitri eſſe deberent, factiones ſequi, & quod propè impium videri poterat, ſeſe Guelfarum partium principes profiteri. His de cauſis Gregorius vt temporibus ſeruiret, præſentique otio conſuleret, Othonis & totius nobilitatis obliuiſcendum exiſtimauit. Verùm ad inanem iuſtitiæ ſpeciem poſtulauit, vt Archiepiſcopatus iura, atque item oppidorum & agrorum reditus ad exilij ſolatium Othoni redderentur. Vix credibile videri poterat Othonem, qui eximia Vrbani liberalitate creatus præſul, ſingularique demum Clementis ſtudio in repetenda dignitatis ſede vſus fuiſſet, ab eo demum qui & gentilis eſſet, & amiciſſimus putaretur, deſeri & eludi penitus hoſtiliterque traduci. Sed in Othone ea vis conſtantiæ virilis exactæque prudentiæ erat, aſperrimarum rerum vſu, & prouectæ iam ætatis curſu confirmata, vt tum maximè ſperare inciperet, quum cæteri exules animum deſpondere viderentur. In ſummis enim egregiè educati

hominis dotibus reponebat, non frangi animo in aduerſis, putare fortunam viuida virtute inferiorem, eamque contemnere vti penitus inſtabilẽ, atque ideo quum auerſa tam diu eſſet, non multo poſt in complexum commutata libidine redituram. In eo animi habitu quum aliquandiu ad Bugellam ſubſtitiſſet, intentusque in omnes rerum nouarum motus, aliquam efferendi ſeſe, & renouandi belli occaſionem circunſpectaret, Gregorius Aretij deceſiſſe nunciatur. Nec mora ad eam famam patritia gens circumquaque ex infelicitate belli diſsipata, ad Othonem coit, in communi conſulitur: & cùm duce militari atque opulento, qui afflictas res atque humi proſtratas erigeret, maximè opus eſſet, Gothifredus Languſcus deligitur. Hic erat natalium atque opum claritate apud Ticinenſes facilè princeps, gloriæ & imperij auidus, & quo maximè placebat, Turriano nomini apprimè infenſus. Nemo enim è Ciſalpina Gallia non ſuſpectabat Napi opes, vti in immenſum adauctas, coniunctasque Apulo regi, Romanoque Pontifici, quodque finitimos terrere poterat, noui etiam Cæſaris amicitia atque præſidio confirmatas. Bergomum enim, Cremam, Comum, Laudemque Pompeiam, Turriani certo iure in poteſtatem redegerant, interque Ticinum & Abduam, atque in propinqua Rhæticis alpibus Volturena valle, expugnatis & exciſis nobilium arcibus, cuncta ſubegerant. Itaque Languſcus ampliſsimis patritiorũ pollicitationibus oneratus (eum enim Mediolani Prætorem cum militari imperio, opimisque ſtipendijs deſignabant) & ſuo fatali iudicio inductus, ſe partium ducem futurum profitetur. Euocat vndique veteranos, & è Laumellino agro loricatas cohortes, ſagittarioſque item ex Liguria mercede conducit: ante omnia equitatui ſtudet, vt Germanorum turmis reſiſtat. Paucis diebus in eo apparatu conſumptis, & ſublatis ſignis ad Verbanum lacum proficiſcitur. Nullum fuit in ea Præfectura oppidum, quod non ſtatim aperiret portas. Erat enim in eo tractatu Vicecomitum familia admodum potens & illuſtris, & iam erat cunctis inuiſa Turrianorum acerbitas, qui ſuperiore bello, præda & cæde aduerſariorum non contenti, etiam in ipſa tecta & ſegetes igne ſæuierant. Itaque Arona & Angleria ſtatim recipiuntur. Otho ipſe cum valida manu in Seprienſem regionem irrumpit, ea intercincta Ticino atque Olona omnibus ad Verbanum vſque vicis atque oppidis florens extenditur, ab oppidoque Seprio nomen ducit. Hoc Othoniani facilè expugnant, & eo capto latè vndique excurſiones fiunt, magnusque timor finitimis pagis incutitur.

Tum verò Napus à fœderatis ſocijsque ciuitatibus auxilia parare, equos militares mutuò acceptos, & è domeſtico ſtabulo fidis & fortibus amicis diſtribuere, vrbanam legionem ad Carrocij tutelam, ea ſeueritate atque eo ordine deſcribere, vt octo tribus (tot enim erant vrbis portæ) ſuffragio ſuo totidem, quos maximè putarent acres & impigros, ſingularum cohortium tribunos pronunciarent, tribuni eligerent Centuriones, ij verò eos qui pari delectu Decurias ſacramento rogatas mulcta impoſita ad vexillum vocarent. His celeriter adminiſtratis Caſſonum filium cum Germanorum turmis præmittit, qui effuſo & vaganti hoſti occurrat, ac cõfeſtim vrbe cum Carroccio paludatus egreditur, cura vrbanarum rerum Franciſco fratri demãdata. Is diligẽter vrbẽ nouo præſidio munituit, ſuſpectos relegauit, dubijs

obſides

obſides imperauit, circumſcripſit etiam metu & pœna nonnullos qui ſpiritu, gratia, opibus valebant. Interim Napus cum graui peditum agmine Angleriam ire pergens, quartis caſtris ad Guaſſeram amnem peruenit. labitur is ex proximis vallibus in Verbanum, ſaxoſo paſsim impeditoque alueo & cum imbribus intumeſcit minimè vadoſo. Iam Gothifredus cognito hoſtium aduentu, in aduerſa ripa aciem direxerat, prouectusque equo vt cuncta oculis perluſtraret, ineundi prælij occaſionem expectabat, eo animo vt hoſtes vadum petris atque virgultis impeditum ingredientes, adoriretur. Non dubitauit Caſſonus qui tribus fermè ſtadijs ſuſequentem cum pedeſtribus copijs patrem anteibat, Germanos per ſe pugnandi auidos cohortari atque incitare, vt contra hoſtes confetis turmis prouolarent. Erat in prima fronte præmio excitus à Caſſono Hantius Lauſer, Germanorũ dux, armis criſtisque conſpicuus. Hunc inſolenter traiecto alueo ante alios pugnam cientem, Languſcus ipſe pari alacritate concitato equo inuaſit, haſtaque transfixit. Quo ſtrato Languſcani clamore ſublato victoriam ingemi nant. tumultuarioque procurſu in Germanos deferuntur. Fit acre in uado certamen humili tum admodum profluente: Baliſtarij Ligures in denſatos hoſtes ſagittas excutiunt: equites peditesque miſcentur. Erat iam de Germanis magna ex parte vulneratis parta victoria, quum Languſcus terrefacto equo in tenacem alui voraginem abreptus, ab hoſtibus capitur. Nec mora Germani commutata fortuna conglobantur: Languſcanis amiſſo duce animus concidit. Appropinquat Napus, totaque mole copiarum impreſſionem facit. Funduntur Othoniani viribus atque animis impares: inſequitur fugientes recens equitatus: magna cædes editur: Nobilium ala Theobaldo Vicecomite acriter depugnante aliquandiu reſtitit, & dum ſe in æquiorem locum ſubducere properat circumuenta à Caſſono cæditur. In ea receptus iniquitate Theobaldus ipſe & cum eo vinginti duo Patritij capiuntur. Ferunt Napum filij virtute lætantem præ gaudio lachrymas tenere nequiuiſſe: quando ea victoria vnius horæ momento parta, magno timori ſummisque periculis & præduris laboribus finem attuliſſet. Franciſcus Turrianus qui Mediolani ipſo plebis Tribunatu ſuperbus, & populi & libertatis defenſor appellari uolebat, quum rei feliciter geſtæ nuncium accepiſſet, eſſetque rogatus ſententiam de captiuis, crudeliſsimè reſcripſit, aſſerens cuncta ſimul Hydræ capita enſe recidenda, ne renata venenum rurſus effundant. Contrà Caſſonus generoſo conſilio in victoria nobili virtute parta, clementiæ laudem quærens, ne ſupplicium de Patritijs iure belli captis ſumeretur, obnixè deprecari. Sed Napus iampridem Emberræ ſæuitia, extra aciem patritio ſanguine cruentatus, laudata, ſed eluſa filij lenitate, in duriorem partem inclinauit, depoſcentibus præſertim Germanis truci cum fremitu, vt in vindictam interfecti eorum ducis, Gothifredus necaretur. Nec multò poſt Napus vt lege ageretur dira voce pronunciauit, atque ita ad Galaratum oppidum duo & viginti inſignes patritij, ante alios & Languſcus dux ipſe & Theobaldus, nefariorum hominum more, ſecuri percutiuntur: & quod inuidiam adauxit ceruicibus tantorum procerum, ad paluſtri temonem ludibrio quodam appoſitis, atq; ibi repetito ſæpe ictu, ſæuiſsimè detruncatis. Erat Theobaldus Andreo

cio Ohtonis fratre genitus, ſua virtute & ſpecie corporis, ſed multo magis felici prole clariſsimus: reliquit enim Matthæum filium, qui poſtea ob virtutem, Magni cognomen adeptus, Imperium ab Othone acceptum cum admirabili laude in poſteros propagauit. Id execrabile facinus non lege militari, ſed immani patratum rabie, nobiliſsimos quoſque & inter primos Languſcæ familiæ proceres, aduerſus Turrianos vehementiſsimè concitauit, adeo vt non toto planè exacto triennij ſpatio, parem omnino cladem Turrianis, funeſta admodum illata calamitate rependerint. Otho mœſtus, vti domeſtico publiceque ictus vulnere, è Seprio in Vercellenſem refugit agrum, diu indignam Theobaldi necem lachrymis proſecutus: toto autem tempore nunquam animo ſeſe demittens, ſed hilari vultu acceptæ cladis mœrorem ſemper occultans, graui oratione patritijs oſtendebat, Deos immortales nefario Turrianorum ſcelere permotos occaſionem renouandi feliciterque conficiendi belli proculdubio præbituros. Nec multi effluxere menſes, quum ad excitandos animos initium præbuit populus Comenſis, acerbitate prætoris ad arma concitatus. Is erat Accurſius Cutica, vir ingenio rapaci, factioſo, & quod à liberis hominibus ferri non poterat, agreſti quadam ferocia ſuperbo: eum ſibi in prætura ſuffecerat Napus, idque facilè impetrarat pro amiciſsimo homine & Patritijs maximè infenſo: in hoc etiam Comenſes pari obſequio remuneratus, quum pariter Corradinum Lauizarium Vitanarum partium principem, Mediolanenſi prætura eodem tempore ornaſſet. In hunc auarè atque inſolenter ius dicentem, quum fortè iuueni è Ruſcona familia ad tribunal liberius locuto, manus inijceret, populus impetum fecit, fugatumque & in prætorio obſeſſum cœpit. Poſt id factum Decuriones ad Napum ſcripſere, vt ſi Accurſium incolumen & dimiſſum vellet, ipſis honeſta permutatione Simon Locarnas remitteretur. Hunc ciuili bello captum Turriani ad ignominiam & cruciatum, clatrata in cauea feræ beſtiæ more concluſerant, ſeptimumque iam annum tetro ſquallore & fœda alluuie deformem ac miſerum adſeruabant. Erat Simon è Muralta familia Comi admodum nobili, quæ originem à Locarno Verbani lacus oppido deducebat, ob id à Corio, Merulaque ſcriptoribus, Locarnas appellatus, vir ingentis profectò animi, & proceri robuſtique corporis, atque vtraque fortuna ſua clarus, ſed iniuriæ vindicta maximè illuſtris. Viſitur hodie Comi lapideum eius ſepulchrum ſuperſtante equeſtri imagine ad veſtibulum Abundianæ Baſilicæ. Porrò Napus amiciſsimi hominis periculo permotus, Simonem cauea eduxit, vti etiam contracto iam morbo non multò poſt, aliqua vitæ aut aeris intemperie moriturum, improbante plurimum Franciſco & prædicante, Simonem ſuo aſtu viam aliquando reperturum, qua diuturni carceris contumeliam vlciſceretur. Cæterùm ea conditione Simon eſt deductus, vti iuraret nunquam ſe aduerſus Turrianos arma laturum: ſed eius iuriſiurandi fidem, vti ſumma expreſſam neceſſitate non multis inde diebus eluſit, & quum inhumani carceris memoriam animo deponendam minimè exiſtimaret, grauibus apud veteres amicos habitis conſilijs ad Othonem eſt profectus. Eius viri aduentu erexit ſeſe in nouam ſpem Otho, coiuereque ſubinde patritiæ gentis reliquiæ: nam hominem per ſe diuitijs & clientelis validum, efferatoque animo ſtudij vires omnes ad oppugnandos

Turrianos

Turrianos effundentem magna exulum multitudo ſequebatur. Apparebat enim Comenſes Simone authore in Patritiorum partes eſſe tranſituros, quando iam à Turranis ad ſingulare eius beneficium rebellaſſent. Dum arma, equi, militesque parantur apud Vercellas, Otho per ſpeculatores didicit, caſtrum Seprium de quo toties pugnatum fuerat exiguo præſidio & nulla propè cura cuſtodiri: nam toties deuictis profligatiſque hoſtibus, Turriani, vti in nullo metu, alendi præſidiarij militis ſumptum, cuſtodes verò excubiarum diligentiam & ipſi remiſerant. Itaque maturandum ratus Otho Ticinum tranſijt, delatúſque intempeſta nocte ad portas, & oppidum & arcem cepit. Paucis inde diebus aucto exercitu, totam eam regionem peruagatus finitimis Mediolano vicis magnam vti ex improuiſo hoſte trepidationem intulit. Ad eius rei geſtæ nuncium Napus cum ſua vetere vrbana legione, Caſſonoque filio & Germanorum alis vrbe egreditur, cæteras auxiliares copias ſubſequi iubet. Cæterum dolore ſimul atque ira angebatur, quòd hoſtes toties ſuperati cæſíque adeo inſolenter ſeſe efferrent, nec ſuperioris cladis exemplo, extrema ſupplicia formidarent. Sed in Othonem toto animo erat intentus, quem ſi aliquo caſu fortuna deſereret, eo ſemel oppreſſo patritios facilè debellari, deleríque poſſe iudicabat. Appropinquante Napo, celeriter ex belli ratione Othoniani ad ſigna reuertuntur. Iuxta oppidum Seprium caſtra muniunt, murum oppidi atque item arcem præſidio firmant, eo conſilio vt freti Seprienſium commeatu, & tuti vallo, præferocis hoſtis impetum fruſtrentur. Quum aliquot diebus minutis prælijs laceſſendo, leuem armaturam exercuiſſent, Napus è proximis caſtris ad oppugnandam arcem ſcalas & machinas protulit, inſtructaque legione, et equitatu in præſidijs collocato, mœnibus ſuceſsit, ratus ſe potiturum arce: aut ſi Otho ferendæ opis cauſa caſtris egrederetur, æquo in loco iuſta acie certaturum. Quum aliquot horis vtrinque accerrimè certatum eſſet ad murum, comminutisque ſcalis, & multis vulneribus acceptis, Turriani decidentium lapidum, tignorumque pondera vix ſuſtinerent, viſa eſt Othoni occaſio rei bene gerendæ, communicatoque conſilio, cunctisque approbantibus oppido & caſtris in hoſtes erupit, tanto impetu vt pulſis & perturbatis primis, tota Mediolanenſium legio in fugam verteretur, eaque vis repentini timoris apud feſſos ſauciosque; & de arcis expugnatione deſperantes fuit, vt neque Napus, neque Caſſonus conturbato à fugientibus equitatu, opem fuſis atque perterritis afferre potuerint. In ea fuga Otho clementiæ nomen quærens, orabat ſuos vt à ſanguine ciuium temperarent. Sed haud facilè continere frænareque eorum ferociam poterat, qui amicos propinquosque ſuos crudeliter extra aciem interfectos vlciſci properabant. Conſeruauit tamen multos: nam niſi maturius receptui cecinìſſet, quàm nox inſtaret, vſque ad caſtra fœdæ fugæ & trepidationis plena, iratorum patritiorum gladij cum magna hoſtium cæde peruenìſſent. Agnouêre Mediolanenſes lenitatem Antiſtitis ſui. Sed Napus eius fugæ ignominiam animo minimè ferens vbi perterritos confirmauit, cohortante Caſſono, vt amiſſum decus celeritate atque audacia ſarciretur, præcepit præfectis vt corpora atque animos ad pugnam pararent: ſtatuiſſe enim intra paucas horas hoſtem nec opinantem, & ab recenti rerum ſucceſſu incautum adoriri. Ita ea nocte in

ſomnis Napus, in albeſcente cœlo ad hoſtes contendit, tanta celeritate, vt Othoniani vix arma induere equosque frænare potuerint. Dimicatum eſt aliquandiu ad vallum irrumpẽte vndique hoſte, & repugnantibus ſatis conſtanter qui pro cuſtodia caſtrorum in fronte excubabant, ſed reliquas cohortes ægrè ſuſtinentes, nec ſatis conglobatas ex tranſuerſo Germani denſatis cuneis facilè perruperunt. Quo conſpecto reliquus peditatus, itemque equites effuſi caſtris atque oppido, protinus in fugam ſe coniecêre. Ita propè ſine vulnere perrupta & direpta caſtra, plurimi capti, cæſi pauci, adeò eius fugæ fœdo euentu vt non facile appareret vtris nam Fortuna humanis cœptis illudens, intra ſpatium ſeptem horarum plus dedecoris, aut militaris laudis attuliſſet. Otho premente vndique hoſte inter tela volantia periculo elapſus, cum magna parte equitatus ex fuga Comum peruenit. Eum Comenſes neque intra vrbem recipere, neque vt diu in ſuburbanis ædificijs ſubſiſteret, pati voluerunt, ne Turrianus victor, à quo iam planè defecerant, admoto exercitu per cauſam perſequendi hoſtis, ipſorum agros euaſtaret. Præbuere tamen benignè & largiter commeatum, atque item ſarcinaria iumenta, & peritos itinerum duces: quorum fideli opera vſus Otho, ad ſeptimum lapidem, Luragum caſtellum primò petijt, atque inde profectus ſuperato Lugani lacu, ad Zornigium ſubalpinum pagum contendit. In eo loco admodum tuto & ſylueſtri, aliquot dierum quietè recreatus, ad amicos literas dedit, vt de ſua ſalute receptuque certiores redderentur. Sed non multò poſt inopia & egeſtate impulſus deflexit ad Canobium inſigne & opulentum in ripa Verbani oppidum. Ibi Otho admirabili facundia ſua vſus oppidanos claudentes primò portas, mox biduì tantùm moram feſſo agmini concedentes adeo appoſitè feliciterque permulſit, vt repræſentata hoſtium ſuorum crudelitate, in amicitiam eos ſuam fœdusque pertraxerit. Nec multò poſt coiuere rurſus Patritij exules fermè omnes: nam vbi fama perlatum eſt, Othonem benignè amiceque acceptum Canobij conſtitiſſe, vnuſquiſque vel inermis vel ſeminudus ex fuga, atque ab hoſtium caſtris ad eum contendebat. Nam Turriani captiuos contenti ſpolijs ſtatim dimiſerant, ne qui felicitate in paranda victoria præſtitiſſent, humanitate vinci viderentur. Affuit & Simon Locarnas inuſitato tramitum flexu ex fuga ſeruatus: agitatumque ſubindè eſt de renouando bello, & maiore quidem ſpe, maioreque apparatu, adeò vt vix credibile videatur, Othonem tantos geſſiſſe ſpiritus, neque vnquam tot aduerſis caſibus ſuccubuiſſe; qui iam quinquies bello victus, tot propinquis & clientibus ſæuitia hoſtium amiſſis, ſumma que pecuniæ, & rerum omnium inopia circumuentus, neque ipſe conquieſceret, neque hoſtes ocio frui diuque victorijs lætari pateretur. Erat enim iam planè quinque & ſexaginta natus annos, ſed viridi admodum viuacique ſenecta, atque aduerſus omnem algoris æſtusque contumeliam indomita. Sed fatale ei erat Fortunam vel improbè ſemper cœptis illudentem, patientia & magnitudine animi ſuperare, exercereque ſe perẽni vigilia ijs cogitationibus atque conſilijs, quibus dignitatem & patriam recuperaret, & poſteris cum inſigni gloria latè imperium traderet. Inuenio apud ineptum quidem, ſed non iniucundum, verſibus rerum ſcriptorem, ab his familijs quæ in Apennini atque Alpium tractu nobilitate, diuitijsque flore

bant

bant, Othonem temperantia altitudineque ingenij & pietate venerabile, benignè ac liberaliter fuisse adiutum. Fuere inter cæteros Solarij, Rotarij, Malespinæ, Scarampi & Valpergæ, qui in apparatum belli equos, arma, tela, quadrigas, commeatum omnis generis, vestem, pecuniam contulerunt. Apud generosas enim gentes quodam misericordiæ genere animos permouebat ea Fortunæ iniquitas, qua tot patritij diu exterrores acerbeque proscripti, ad luctuosam egestatem peruenerant, quando iam nihil eis vsquequaque afflictis, præter spem rubiginosaque arma supererat. Nec defuere voluntarij milites ab Asta colonia, Taurino, Eporœdia, Augusta prætoria, Vercellis atque Nouaria. Guliermus quoque Montis ferrati Regulus in societatem certo fœdere accitus est: quo duce superioribus annis Hispanorum aduentu, Othonem & Burrum cum Turrianis infeliciter dimicasse demonstratum est. Subegerat hic in Montis ferrati regione complura oppida, Albam & Aquas Statiellas, & Alexandriam, postremoque Derthonam imperio suo adiecerat: potens æque atque impiger habebatur: bella ex bellis libenter ferebat, vt is qui apud eum erat exercitus, ex reliquijs Hispanorum (eorum enim aliquot in Italia remanserant) & ex fortissimo quoque conflectus perpetuis stipendijs aleretur. Comparatis autem copijs, terminatisque consilijs, statuere vt Simon Locarnas naualibus præesset copijs, Guliermus cum terrestri exercitu ad Verbanum progrederetur. Exornarat classem validam Simon, totamque oram ad Othonis studia conuerterat. Stabat à Turrianis Angleria, ad eam Otho & Simon deuehuntur. oppidani refugiente in arcem præsidio se dedunt: arx vti ex ruinis temere & negligenter refecta quum machinas non perferret, certa pactione recipitur. Tum verò ad Aronam naualibus terrestribusque simul admotis copijs bellum transfertur. Arona & Angleria interiacente Verbano, qua Ticinus effunditur, Sextanæ atque Abidenæ arcium in Hellespontо similitudinem reddunt. Sed Arona sicuti nobilitate inferior, ita opportunitate loci, situsque munitione celebrior existimatur. In ea oppugnanda quum aliquot dies contriuisset Guliermus agendis maioribus balistis, quibus tecta introrsus lapidum cumulis proroueret, & è classe Otho & Locarnas ædificatis more maritimarum triremium in summitate mali amplioribus caueis, atque inde scorpionum ingentium verutis muri pinnas defensoribus nudarent, præsidij milites & periculo suo & oppidanorum lachrymis permoti, ea conditione deditionem fecerunt, vt nisi triduo opem ferret Turrianus, ipsi arcem atque oppidum relinquerent. Vix dum confectæ erant deditionis tabulæ, obsidesque recepti, quum Cassonus Ticino superato, quadrato peditum agmine & præmissis Germanis aduentare nunciatur. Tum verò impigrè aciem instruit Guliermus, è classe promptissimi propugnatores terrestribus copijs se coniungunt, editiorem occupant locum, frontemque maximè veterano atque armato milite firmant. Sed Cassonus coniectura iudicans validiores cohortes equitumque turmas in fronte fuisse constitutas, ex duabus Germanorum alis alteram in dextra coniunctam legioni consistere iubet, in qua Musca eius frater, & Andreas atque Hereccus patrueles curabant: alteram ipse obliquo flexu in latus & terga hostium duxit. hæc in lixas ignobilesque manipulos inuecta magnum tumultum ab tergo excitauit, adeo vt Germani cæ-

dendo, ſternendoque obuios in interiora caſtrorum penetrarint: coactusque ſit Guliermus nondum contracta in fronte pugna, equitatum ſuum cõ uertere, opponereque Germanis, qui fœda ſtrage cuncta compleuerant. Sed dum Germanorum audacia reprimitur, prœliumque atrox in medio miſcetur, tota acies reſpectare ac mox nutantibus vexillis circum agere ſeſe trepidanter cœpit. Non defuit occaſioni Caſſonus, ſtatimque iuſsit alteram alam, relicta legione in frontem procurrere. Ea vis irrumpentium fuit, vt priuſquam Turriani pedites appropinquarent, Guliermus ancipiti acie circumuentus funderetur, atque vniuerſi terga darent: ex fugientibus complures, claſſis peropportunè adpulſa littori excepit, minoreque ob id cæde Turrianus victoria eſt potitus, quòd pedeſtres copiæ tardius appropinquantes in vacua caſtra impetum fecerant: prædam autem quæ alioqui exigua non erat nobilitauit Guliermi tentorium Mauriſiaco opere acu pictum, cum inſtrumento militari admodum luculento, quo olim à ſocero Hiſpaniæ rege donatus fuerat. At Guliermus perrumpens cum equitatu Ticinum iter intendit: Otho & Simon diuerſis itineribus cum reliquijs profligati exercitus, hic Comum, ille Nouariam ſe receperunt. Rebellarant (vt diximus) à Turrianis Comenſes Accurſio Cutica prætore, Simoneque recepto, neque tamen ad patritios defecerant: medios enim ſe gerere, & neutris ſtudere malebant, quàm Turrianos iam planè victores, grauioribus iniurijs atque offenſionibus aduerſum ſe concitare. & magnopere Turrianis fauebat Vitana factio, quæ iam pridem Philippo opem ferente Ruſconam armis deiectam principatu deiecerat. Vbi igitur Simon aduenit concionando paſſim, cœpit Othonem & patritios primoribus ciuium obnixè commendare, vti indignè pulſos domo, proſcriptosque & crudeliſsimè à plebeis hominibus diuexatos. Quem inquit exitum conſilijs noſtris expectamus poſteaquam defecimus? niſi vt aut acre bellum geramus, aut inſolentiſsimo Tyranno ſeruiamus, & ab his trucidemur, qui maioribus noſtris patria expulſis tecta huius vrbis & mœnia in cineres redegerunt. Concordia nunc maximè opus eſt ciues, vt libertatem cum dignitate tueamur. Otho ſupplex, & patritia gens orant, vt noſtra ope in patriam reducantur: ad id vires abundè ſuperſunt, vt omnia maturè atque feliciter confici poſſe ſperemus, dum Turrianus debellatum putat, & ſolutus metu victoria ſua ſuperbè lætatur. Erat Simon vehementi eloquentia, & ea quidem authoritati atque opibus equali, ipſaque carceris calamitate clarior euaſerat, cuius indignitas multorum animos ita permouerat, vt Turriani non mediocri inuidia deflagrarent. Eo modo Comenſes tumultuario ſtudio & ſubita quadam acclamatione, Othoni, patritijsque adhærendum decernunt: ſed ſtatim ne per Decuriones decretum ſcriberetur, ambo vrbis Coſules obſtitere, Henricus ſcilicet Aduocatus, & Gaſpar Ficanus Vitanæ principes factionis. His ſeſe oppoſuit Ioannes vrbis Epiſcopus, qui Othonem ſtudioſè admodum colebat, patritiorumque exulum cauſam inſigni pietate ardoreque ſuſcipiendam arbitrabatur. Ita tumultu exorto diuiſus in duas factiones populus, arma corripuit, mediaque in vrbe atrociter eſt dimicatum. Lucterius Ruſca & Simon, aduerſarios è foro multis illatis vulneribus in Prætorianas ædes compulerũt, continuatoque certamine prætorio atque vrbe, captis Conſulibus eiecerunt.

Nec

Nec multò poſt conſtituta ad arbitrium Republica & exciſis Vitanorum turribus, Otho è Nouaria publicis literis eſt euocatus. Is primus dies Othoni è tantis calamitatibus felix illuxit: nam ab eo dehinc die, vti rerum ſcriptores referunt, fortuna Turrianis nuſquam arridens eos è tanto faſtigio continenter detraxit. Exceptus eſt Otho à Ioanne Comenſi epiſcopo, ſingulari cum honore, priuatimque pecunia ad exornandas copias eſt adiutus. Cæterùm Lucterius & Simon conquiſitis vndique equitibus, atque item ſagittarijs & ſcutatis cohortibus è Verbano & Lario, Luganoque & Belitiona, armataque etiam in primis Comenſium iuuentute iuſtum propè exercitum coegere. Interea Otho exulesque patritij ad ſe Comum acciuere Ricardum Languſcum Laumelli comitem, virum bello acerrimum & Turrianis ex Gothifredi fratris nece vehementer infenſum. Adduxerat is veteranam cataphractorum alam, ex his qui ſub fratre meruerant, ſtatimque ei omnium copiarum imperium magno aſſenſu delatum eſt. His comparatis Otho conciionatus ad Comenſes, gratias cunctis eorum ordinibus humaniter egit, quòd liberali & egregia voluntate defendendas ipſius iniurias opportunè ſuſcepiſſent, militaremque operam promptiſſimis animis præſtarent aduerſus Turrianos impios execrabilesque homines, atque ob id toties à ſummis Pontificibus inferorum pœnis cruciatibuſque deuotos: cuius ſtudij immortalisque beneficij memoriam, nunquam eſſet è memoria deleturus. Ioannes vrbis epiſcopus ad hæc totius populi nomine reſpondit, ea mente Comenſes eius optimæ cauſæ ſtudio adductos ſumpſiſſe arma, vt proficiſcẽtem ad patriam ſacratamque ſedem ſuam eductis vexillis ſequerentur, fierentque eius victoriæ ſocij atque participes, quam Dij iuſtitiæ defenſores vltoresque nefariæ tyrannidis aduerſus impios & iniquos homines pollicerentur. Proinde læto animo in hoſtes contenderet. Ipſos enim ſi bellum extraheretur, ſocietatis initæ fidem atque amicitiam conſtantiſsimè ſeruaturos: Nec multò poſt Otho profectus ad Liciniforum poſuit caſtra. Ea vrbs quondam inſignis & nota Ptolemæi temporibus, in minores abijt pagos, dilapſo, vti videre eſt, Eupyli piſcoſo lacu, in cuius ripa peramœnæ fertilitatis Liciniforum adiacebat, eius regionis tractum corrupto vocabulo Incini plebem vocabant. Aſſerunt nonnulli ex vehementi terræ motu Eupylum cæco hiatu terræ hauſtum ſubſediſſe, profundioribusque inæqualis aluei locis, reliquiſſe exiguos quinque lacus, è quibus Lamber amnis emittitur. Eius incolæ Othonianos lætis animis exceperunt. At Napus vbi nuciatum eſt Othonem à Comenſibus receptum, vehementique Simonis & Ruſcorum ſtudio adiutum inſtaurare bellum, dixiſſe fertur ad conuiuas ſuperbo ſæuoque ore quum è menſa diſcederet, paruo vt arbitror, labore noſtro, magnum certè negocium agaſonibus noſtris afferemus. Sunt enim nobis horum manibus & exules, & ipſi rebelles infidique Comenſes, latronum more laqueis puniendi: atque ita properantius atque turbidius quàm ſoleret, veluti rapiente fato, in hoſtem porta Iouia copias eduxit. Pridie enim Caſſonum fatali errore præmiſerat cum Germanis equitibus, qui Cantarium quinto ab vrbe Como lapide, opportunum oppidum præoccuparet, ne eo ad excurſiones faciendas hoſtis potiretur, & vt inde ipſe proximos Comenſium agros euaſtaret. Poſuere vitiferis in collibus vrbem Canturiges antiquiſsimi populi, authore Strabone, ſed ea demum mutante

cuncta æuo conſeneſcens, in oppidum abijt. Turrianorum hic erat ordo: præcedebat Pontius Amatus Prætor cum legione vrbana & mercenarijs equitibus: ipſe Napus relicto ad vrbis cuſtodiam Oldrado Tangentio inſequentis anni Prætore deſignato, propinquos omnes amicoſque & familiares citato & diſiuncto agmine ſecum trahebat. Eodem die quo Caſſonus Canturium eſt profectus, Othoniani ad Caracam nobilem olim vrbem ſupra Lambrum deflexere: ea Ptolemæo nota, hodie deſectis vltimis literis, antiquum nomen retinet. Quum ibi de inferendo bello à ducibus in conſilio ſententiæ dicerentur, è Decimo vico ſacerdos quidam pernici equa deuectus ad Othonem peruenit. Erat enim Decimi præclarum Othonis nomen: nam ab adoleſcentia ſacris initiatus, ſummum in eo pago ſacerdotium à pontifice impetrarat, vnde poſtea, & in æde maxima Mediolani, & in diui Ambroſi templo canonicas dignitates fuerat conſecutus. Is ſacerdos Othoni nunciauit, Mediolanenſium copias cum Prætore, ipſosque Turrianos principes, ſub occaſum Solis Decimum peruenisſe, cuncta ibi militari ſtrepitu complere, & tumultuoſius atque acerbius quàm pro ſociorum conſuetudine milites, tecta, cubilia, ſtabula, pulſatis hoſpitibus, eiectisque iumentis occupare, nec adeſſe Germanos qui pridie ad Canturium præceſsiſſent: proinde Turrianos ea nocte poſſe deleri, ſi improuiſus confecto per noctem itinere diſperſos atque ſopitos adoriretur. Hoc nuncio maximè lætatus Otho, Dij, inquit, qui à Decimo dignitatis initia præbuerunt, non inani proculdubio loci omine promiſſam nobis de hoſtibus victoriam dabunt: atque ita tota read conſiliũ delata, ſingulari omniũ alacritate decernitur, non præmittendã bene rei gerẽ dæ occaſionẽ, & eo quidem ardentius atque audacius, quòd & antea per exploratores de Caſſoni conſilio atque itinere certius cognouerant. Nihil enim æquè metuebant quàm aperto in campo manus conſerere cum Germanis equitibus, quorum vim atque impetum duce præſertim Caſſono, iam tribus in prælijs ferre nequiuiſſent. Otho, vt à cædibus impollutas ſeruaret manus, Ricardo Languſco copiarum imperium dedit, ſuperinduitque ſibi linteam ſtolam, ſacerdotali habitu multis ſtriatam rugis, præferrique ſibi iuſsit argenteam crucem veluti pacato itinere ſacri imperij ſui ſedem aditurus, Magno demum ſilentio de ſecunda vigilia Ricardus caſtra mouit, tribuſque fermè horis ad Serenium vicum eſt peruentum: inde præmiſsi ſpeculatum expediti equites, ducibus agricolis, non multò poſt renunciauêre apud hoſtes, vt in ipſo conticinio accidit, cuncta quieta nocturnique ſilentij plena, conſpici tantùm ſemiextinctorum ingnium fulgorem, nec exaudiri caſtrorum fremitum, ita vt nec ad ipſos quidem pagi aditus frequentium vigilium ſtationes eſſe iudicarent. His diligenter exploratis, & inſtructis ordinibus priuſquàm diluceſceret, in conſpectum oppidi ſe dedere, oppreſsis aliquot excubantium. Id ſine facibus iter, & ſilenti quidem Luna confecerant, ne ab alta ſacræ turris ſpecula, patentibus in campis vaga lumina cernerentur. Eo inopinato hoſtium aduentu exterritus Napus, vix ſpatium habuit ad induenda arma: tubarum tamen clangore, & pulſu tympanorum cuncti excitantur. Pontius Prætor legionem nondum planè inſtructam in apertiorem locum educit, equites aggregantur, magnis clamoribus pugna committitur. pugnabat in hac parte Languſcus admirabili virtute, interfectoque

ctoque Pontio prætore, ſtratisque vexillis, legionem cum multa cæde pepulerat, quum altero egreſſu & anguſtiore quidem via prouectus in aciem Napus irrumpentibus Comenſibus occurrit, vt eum Fortuna Simoni infenſiſsimo hoſti obiicere videretur. Eo in loco ſumma contentione aliquandiu dimicatum, quum Turriani proceres in prima acie, de imperio, de vita, fortunisque omnibus dimicarent: ex aduerſo autem Simon & Lucterius Ruſca incitati ef feratique diuturno inimicæ gentis odio, in aduerſos veſano impetu deferrentur. In albeſcente iam cœlo Andreotus Turrianus interficitur, Franciſcus qui hoſti, equi frænum comprehendere auſo dextram ingenti gladio detruncarat, multosque huc & illuc concitato equo vulnerarat, cuſpide in inguen coniecta confoditur. Napus ipſe equo deturbatus quum in purpurea trabea, cœnoſo in loco volutaretur à Ruſcono milite capitur, ſeruaturque ægrè ab irati Languſci gladio, deprecante Othone, & trepidum perhumano ſermone conſolante. Capiuntur quoque in ea aduerſi prælij fuga ſummæ ſpei adoleſcentes Conradus cognomento Muſca, & Guido Turriani: hic Franciſco, ille Napo genitus erat. Quibus aliquot poſt annos carcere eductis, paterni imperij decus Fortuna reſtituit. Itemque Hereccus ſuperioris Pagani ex Hermanno pronepos, Lombarduſque eius patruus, & Cauerna pater Pagani iunioris Patriarchæ Aquileienſis, & Napi germanus frater. Hos omnes Simon atque Lucterius, tanquam peculiari ipſorum ſorte Comenſiumque militum felici virtute ſuperatos & captos, Comum deducendos curauere, vt in Baradelli arce cuſtodirentur. Ea eſt ædito in monte excelſa turre inſignis, à Luithprando Longobardorum rege ante octingentos annos ædificata, vt latè ſpeculam in ſubiectos campos ad tutelam vrbis præberet. Ferunt Simonem, quòd eius animi ferociam victoria mitigaſſet, non aliter inſultaſſe Napo, quàm vt diceret: Non repoſcam à te ſanguinem & opes Nape, poſtquam Dij me voti compotem fecerunt, ſed æquo iure pœnam talionis: experieris enim tantùm, quale cruciatus & contumeliæ ſit genus, in cauea ferarum more cuſtodiri. Et vir certè ſapiens & egregiè fortis inter paucos numeraberis, ſi ea quam ego diu miſer & non ſemper infelix tuli, pari patientia feres. Napus conſtanti animo fabrefactam cancellatis trabibus caueam intrans, nihil pro ſe, ſed tantùm pro Guidone & Muſca deprecari: ſe meritas pœnas luere: eos verò qui vitæ innocentia nihil durius mererentur humaniter cuſtodirent. Non caruit ſcribendi legendique ſolatio Napus, cæterùm adeo acerbè cuſtoditus eſt: vt ei neque cultelli neque forfices concederentur, quibus ſibi mortem conſciſcere poſſet, vnde illi ad deformitatem prælongi vngues, promiſſa Cæſaries, & illuuie turpis barba prouenerant. Reliqui, & ante alios Muſca & Guido decori iuuenes, cum Lucterij generoſi viri humanitate, tum pacati iam Simonis indulgentia liberalius adſeruati. Otho memorabili potitus victoria, ante omnia apud duces militesque grauiter atque humaniter egit, vt moderatè victoria vterentur, cædi vindictæque finem imponerent, ſpolijs contenti eſſent, captiuosque dimitterent. Agendas iure Dijs immortalibus gratias, quòd toties bello profligati, atque omnibus exilij, fugæ, atque egeſtatis oppreſsi malis, ſepties acie victores hoſtes tantisque ſubnixos opibus, ad internitionem eorum nominis, vnius horæ momento debellaſſent. Remiſere impetum patritij, condidereque extem-

plò gladios: commouerat enim generoſos quorundam animos Franciſci cadauer lutulento in ſolo fœdè proculcatum: cuius etiam caput gregarius miles ob fratris necem, deciſum trunco, haſtæque præfixum victoribus pariter & captiuis oſtentabat. Fuerat Franciſcus Napo fratre fæuior & aſperior, vtpote nutantem in conſilio Napum ad ſumendum de captiuis Theobaldoque præſertim ſupplicium, vehementibus literis impuliſſet, ſemperque acerbiſsimè graſſatus in nobiles ciues, plebem ſatis ſuperque ſua temeritate concitatam ad audenda facinora intemperanter accendiſset. Tum verò Oldradus prætor clade Mediolani nuntiata, aduocare in conſilium ciues, plebem ad arma vocare. At ciuium optimus quiſque eius imperia contemnere, de pace & de concordia plurimum loqui, in virtute pietateque Othonis Antiſtitis ſpem reponere: propterea què ſanandæ ciuitatis & parandæ quietis occaſionem diuinitùs oblatam arbitrari, poſtquàm vniuerſi ferè proceres Turriani qui renouare bellum poſſent, aut in acie eſſent cæſi, aut in fuga capti ad manus hoſtium peruenìſſent. Quibus rebus Oldradus valde conterritus, ac ſibi timens, in prætorium ſe recepit. Interim Caſſonus de aduerſo prælio certior factus è Canturio Mediolanum peruenit, ratus aut patrem aut patruum, aut certè reliquos familiæ principes ex fuga in vrbem ſe recepiſſe. Sed ibi de ſuorum calamitate certior factus, non deſerit ſeſe, & quum non ſtatim admitteretur, refractis portis, introductoque armato agmine in forum contendit. In eo tumultu ſuburbani incolæ Comenſis portæ, poſtremos ex Caſſonianis equitibus inuaſerunt: ex his multi vulnerati exutique armis & equis diffugerunt. Porrò Caſſonus vrbem percurrens & veteres amicos plebemque præſertim ad arma euocans, & crebrò libertatem ſe aduerſus veteres tyrannos defenſurum repromittens, cùm nemo commoueretur deſperatis rebus Romana porta ſe proripuit: adeo enim ex euentu eius pugnæ apud omnes populi claſſes, veteris ſtudij & fauoris ardor territis mentibus exciderat, vt nemo vel egregiè factioſus in medium prodiret, qui proferre vexillum auderet, aut Turriani imperij nomen ſe defenſurum profiteretur. Hinc videre licuit quantam rerum animorumque mutationem aduerſæ pugnæ caſus attulerit: adeo vt facilè iudicari poſsit, in toto tuendi principatus negocio, nihil omnino eſſe populari præſidio incertius aut inanius. Caſſonus continenti curſu Laudem Pompeiam peruenit: vbi cùm minimè reciperetur, Cremonam atque inde Parmam ad veteres amicos confugit. Eodem die Mediolanenſes ad Othonem legatos miſerunt, qui omnia amica pacataque ingreſſuro vrbem pollicerentur. Ita haud multò poſt inſigni pompa in ſpeciem triumphi Mediolani receptus, cunctos qui aduerſarum partium fuerant metu liberauit, habuitque oratione ciuili clementia & Chriſtiana pietate pleniſſimam: pacatisque omnium animis reſpublica ad eius nutum conſtituta eſt. Creantur quoque prætor quidem Ricardus Languſcus, & magiſter equitum Simon Locarnas: quorum illuſtri virtute ſe victoria potitum Otho gratiſsimo animo prædicabat. Dedicauit ſubinde aram in templo maximo Diuæ Agneti quam in prælio vouerat, addiditque agros in alimenta ſacerdotum, qui quotannis eius diei memoriam celebrarent. Idque adhuc in vrbibus Mediolanenſi imperio contributis, prætores decurionesq; ad tubarum cantum inſtauratis ſacris religiosè repetere, poſt ducentos & ſexaginta

ſexaginta annos videmus. Pugnatum eſt duodecimo Calendas Februarij anno à Natiuitate Chriſti Milleſimo & ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Eius verò ſummæ victoriæ hiſtoriam Otho pingendam curauit in Angleriana arce, regio ſumptu ab ſe edificata: extantque adhuc in maximo teſtudi natoque conclaui incorruptæ præliorum cum veris ducum vultibus imagines, latinis elogijs paſsim ſingula rerum argumenta indicantibus: quanquã Muſca Turrianus poſtea victor, recenti calce maculare potius quàm obliterare eius infauſtæ hiſtoriæ memoriam contenderit. Auxit eius diei lætitiam Bonacoſæ Burræ partus: ea enim nocte qua ad Decimum pugnatum fuerat, Magno Matthæo filium peperit, cui ob Galli cantum Galeacio nomen inditum ferunt. Hic eſt qui poſtea omnes eius ſeculi principes & duces, magnitudine animi, liberalitate atque imperatoria laude ſuperauit. His confectis rebus, Otho ad expugnandam montis Orphani arcem copias miſit, in quam Turrianorum reliquiæ confugerant, vexabantque inde diurnis nocturnisque decurſionibus ſociorum agros. Ea arx ad tertium à Como lapidem impoſita eſt monti, qui ob id Orphanus appellatur, quod vndique diſcretus atque abiunctus á cæteris ab ima planitie molli faſtigio in nemoroſam cautium metam adſurgit, inſidetque viæ militari ad Coxiæ torrentis vallem, qua iter eſt ad Liciniforum. Hæc quum machinis capi non poſſet, operibus circumuallata, ſexto demum menſe fame domita eſt. Deſeuijt in muros Otho, ſed non planè totam diruit: ita vt Guido è carcere elapſus, rerumque potitus, eam poſt viginti annos facilè reſtituerit. Euerſa montis Orphani arce Turriani finibus exceſſere, & veteres eorum clientes, quum Othonis clementiæ ſalutem minimè committendam iudicarent, in Cremonenſi, Parmenſique agro, & in Venetia ad Aquileiam familiæ proceribus aggregabantur. Tum verò Otho à belli ſtudijs ad pacis ciuilisque adminiſtrationis munia conuerſus, ciues de ſe benemeritos locupletare, omnibus iuſtitiæ atq; humanitatis officijs nouas amicitias parare, procurare res diuinas, ſingulariſque moderatione principis ſimul ſacriſque paſtoris officia implere. Quum in his rebus eſſet occupatus, renatum eſt repente bellum initio à Laudenſibus exorto: nam Othone mirum in modum Viſtarinis fauente, qui vti dixi mus Principatu pulſi redierant, æmuli eorum, quum neminem ciuem domi natu potiri pati vellent, ad ſe Caſſonum & Gothifredum, atque item Raimundum ab Aquileia cum magnis copijs acciuerant, indeque auxilijs Cremonenſium & Parmenſium adaucti in agros Mediolanenſium ſeſe effuderunt. Caſſonus multis expugnatis direptisque oppidis, Tritio & demum Vaprio in Ripa Abduæ occupatis Lambrum traiecit, conflixitque collatis ſignis cum Mediolanenſi legione & vrbano equitatu, qui cum Caroccio temere vſque ad ſanctum Donatum Romana porta proceſſerant. In hac pugna Caſſonus paucis cæſis, ſupra viginti ſeptem ſpectatæ nobilitatis centuriones cepit, & in his Mutium Soreſinam, Gaſparem Vicecomitem & Antifoſſam Vercellinum, & præterea magnum numerum peditum atque equitum. Quidam authores ſunt Othonem cum expedita manu ad Caſsianum vſque proceſſiſſe in ripa Abduæ ſitum, vt primis hoſtium incurſibus occurreret, maioreque conſpecto hoſtium exercitu, refugiſſe ad Gorgonciolæ vicum, ſu peruentuque hoſtium, non aliter ſeruatum, quàm munitione ſacræ turris, in

quam nemini cognitus aſcenderat. At Caſſonus eius pugnæ ſucceſſu elatus per ſuburbana ad Ticinenſem portam adequitauit, terroremque oſtentatis copijs ad foſſas vndique circumtulit. Tum verò Otho in tam graui periculo mira vſus conſtantia, fidis cohortibus portas firmare, prætorem in foro cum ſignis militaribus excubare, ſuſpectos ciues apud ſe habere, eoque vultu cuncta adminiſtrare, vt in multa diſsimulatione pauoris, excellens fortitudo & prouidentia ſingularis eminere viderentur. Nec multò poſt Caſſonus nemine ex veteribus amicis, vti ſperauerat, ad ſe concurrente, retro vertit agmen, trangreſſusque Abduam ad oppugnandum Bregnanum contendit. Diſceſſu hoſtis Otho recreatus, nihil potius aut expeditius exiſtimauit, quàm è Monteferrato Guliermum veterem ſocium & militari laude florentem euocare: quo duce vim hoſtis acerrimi propulſaret, & inſigni apparatu conatuque egregio bellum conficeret. Nec ita multò poſt Guliermus accepta ingenti pecunia Mediolanum venit, ſtatimque liberali ſtipendio ad quinque annos Mediolanenſium, Othonianarumque partium aduerſus Turrianos eorumque ſocios imperator deligitur. Nec mora cum eo prætores Antonius Languſcus Ticinenſis, & Lucterius Ruſca Comenſis, exercitum inſtruunt, Carroccium educunt. Duo autem prætores erant, quòd coarctarat Otho præturæ tempus, vt pluribus honorem impatiretur, eoque beneficio plures ciuitates atque familias ſibi conciliaret: nam qui annuus fuerat Magiſtratus, ſemeſtris effectus eſt: ea lege, vt qui deſignatus eſſet prætor, dignitatis inſignibus vteretur, ſed excluſus iuriſditione, bello tantùm collegæ operam nauaret, Cæterùm promotis caſtris, ad Vaprium recto itinere peruentum eſt: habebat id oppidum cum arce traijciendi fluminis opportunitatẽ. itaque arx magnis vtrinque viribus oppugnata defenſaque eſt, bellumque protractum, ita vt nihil præter vaſtationem agrorum incendiaque villarum, memorabile gereretur. Verùm Guliermus noui conſilij rationem ſuſceperat, vt refecto ad Ticinum ponte, vltra Abduam bellum transferret. Erat in caſtris Otho, & ab alia parte Raimundus Turrianus: ab his vti decuit à ſacratis viris, Bergomates legati impulſi ab optimis vtriusque partis ciuibus impetrarunt, vt de pace liceret loqui, eoque res interpoſitis aliquot dierum inducijs, deducta eſt, vt depoſito metu, familiaritate vtrinque milites amicos & propinquos conuenirent, adeò vt vna caſtra ex duobus facta viderentur. Sed quum à multis ex illuſtri ordine Mediolanenſium, Turrianos milites ſalutari ſtudioſiusque appellari Guliermus conſpiceret, inuectus equo in commeantium turbam ferrea claua minabundus colloquia militum diremit. Paulò poſt tamen Raimundus, Caſſonus, & Gothifredus Melenianum venere, affuitque ad condictum Guliermus cum Othonianis, in queis erat Conradus Caſtellionus iureconſultus inſignis, breuique, diſceptatore & arbitro Guliermo, pax his conditionibus dicta confectaque eſt: ſcilicet vt in ſumma Bripiana & Vapriana arces, ipſi Conrado & mercatorum collegio cuſtodiendæ traderentur: agri porrò paternæque poſſeſſiones, caſtella, domus Turrianis redderentur: loca tamen munita his ciuibus, qui neque harum, neque illarum partium cenſerentur cuſtodienda relinquerent, poteſtasq; his eſſet, vti luberet habitare in agro Mediolanenſi: vtq; vtrinque captiui ſine pretio dimitterentur. Tabulis ritè confectis Turriani

captiuos

captiuos Guliermo ea conditione tradiderunt, vt non prius ſoluerentur, quàm ij qui in Baradelli arce erant, dimiſsi forent. Id verò facturos Comenſes Lucterius & Simon pernegabant, qui iure belli captos, peculiaresque hoſtes ſuos ad alienum nutum & commodum minimè dimiſſuri viderentur. Nihilo ſecius Guliermus, quanquam id à Comenſibus, quod Turriani petebant non impetraret, Mediolanenſes captiuos omnes dimiſit. Sed Otho cæteris pacis conditionibus non diu ſtetit, & ſua ſponte, & impulſu clariſsimorum ciuium, qui priuato quodam inito fœdere aduerſus Turrianos conſpirarant. In his fuere Vicecomites fermè omnes, Soreſinæ, Mandellij, Puſterulæ, atque item Cribelli. Ita Turrianis neque redditæ res, neque reſtituti agri, neque permiſſus in patriam reditus, neque captiui è Baradello cuſtodia liberati ſunt: magna quidem cum Othonis inuidia, qui ſecuritatem Imperij, fide & iureiurando potiorem habuiſſe dicebatur. Prouidebat enim amicos clientesque ſuos, quibus Turrianorum bona dono data fuerant ex lege & conditione pacis, omnibus victoriæ præmijs ad contumeliam ſpoliari: quæ res ad conturbandas multorum fortunas, abalienadosque animos manifeſtè pertineret. Igitur Turriani à Guliermo atque Othone decepti, eo cum dolore animi latè finibus exceſſerunt, vt iniuriam violatæ pacis ad ciuitates paſsim, Regulosque deferrent: ab his opem implorarent, ſocia & mercenaria arma pararent, quibus acceptas iniurias vlciſci & patriam repetere poſſent. Sub id tempus in Baradello moritur Napus, fœda illuuie & enatis ſubinde pediculis conſumptus. Fuerat in eo ſquallore & vitæ tædio, annum vnum, menſes ſeptem, & dies viginti tres. Corius & Merula attractum pedibus & in ſylua ſepultum tradunt: ſed nos Triſtano Calcho potius aſſentimur, qui Comenſem epiſcopum agenti animam aſtitiſſe ſcribit, collatisque Chriſtiano more ſacramentis, defunctum in ædicula Diui Nicolai piè honeſteque tumulaſſe. Eundem vitæ exitum tulerunt Lombardus & Cauerna biennio poſt, ex morbo agritudineque animi Napum ſecuti. Interea Raimundus ex Venetia, Foroiulio atque Hiſtria, & ex Carnis & ſemi Illyricis gentibus, ad duo milia equitum, peditum quatuor milia facerdotij opibus armauit: quibus Caſſonus veteres Germanos & Parmenſim, Cremonenſiumque & Laudenſium auxilia adiunxit. Acceſſere etiam plerique Mediolanenſes, qui Othoni principatum inuidebant, ægerrimeq; ferebat Turrianorum iniuriam, & communem patriam fructu pacis & ocij fraudatam querebantur. Proptereaque ſponte in exilium abierant, & Turrianorum ſigna ſecuti quantis maximè artibus poterant per affines & propinquos ſuos Othonis authoritatem in republica conuellebant. At Otho in eam curam experrectus ex fidiſsimo & fortiſsimo genere militum exercitum parare, à ſocijs ciuitatibus auxilia accire, & veluti in ſupremo conatu ſupremaque ſpe conficiendi belli omnem armorum apparatum ingentemq; pecuniam proferre. Cunctabatur autem Guliermus prauis atque inſidioſis artibus, nec adduci poterat, vt rebus celeriter adminiſtratis in hoſtem copias educeret, vt pote qui pericula augeri, confirmari hoſtium vires, terreri magis ac magis Othonem magnopere cupiebat, vt operam ſuam ampliore prætio, periculo & neceſsitate circumuentis veniditaret. Erat quidem Guliermus animo ingẽti, & in omni bellico munere prorſus intrepido, ſed auri atque Imperij fœda

cupiditate corrupto. Adduxerat enim Mediolanum superiore anno Beatricem vxorem: quæ mirifico apparatu atque insigni liberalitate suscepta, ornataque regalibus donis ab Othone, atque ab Decurionibus: & demum introducta in nobilium domos, admirari lautitiam, magnitudinem atque opulentiam vrbis, inuidere fortunæ Othonis, & demum Hispana cupiditate id Imperium affectare cœpit. Hæc quum impense laudaret apud virum, quin tu inquit, si vir es, hac vrbe potiri non contendis? Pater certè meus tibi non deerit, si pro te potius quàm pro alijs imperitis, belli peritissimus pugnare decreueris. In hanc spem Guliermus ab inani & cæca, vt plerumque accidit, ambitione facilè prolapsus, in Hispaniam enauigarat: vbi communicatis cum rege consilijs, quum voti cupiditatisque suæ Fortunam tentare decreuisset, galeatos amplius trecentos equites, & leuem armaturam equitum & peditum in naues sustulit, & in Italiam est reuersus. His de causis Otho profunda prudentia & solerti ingenio probè agnoscens quantis animi recessibus Guliermi consilia conderentur, nihil antiquius aut validius habuit, quàm parum synceri ducis animum amplis pecuniæ muneribus expugnare: sed Matthæus Vicecomes iam planè bello & pace spectatis operibus magnus, dies mora extrahentem iocabundus incitabat. An, inquit, Gulierme illam vim bellici vigoris qua vna laude maximè flores, hac infami cunctatione amittes? vt & tu & nos tecum militaris nominis dignitate spoliemur? Conuenere iam vndique auxilia tantæque nobis adsunt copiæ, vt hoc tempus quod tibi segniter deperit, morari de hoste victoriam videatur. Aduenerant iam Simon Aduocatus à Vercellis, à Nouaria Guliermus Brusatus, Antonius Languscus à Ticino, & Lucterius Rusca, Simonque Locarnas è Como, qui suarũ ciuitatum magni roboris auxilia adduxerant. Itaque Guliermus compressa ægritudine animi, nec minus accepto auro quàm pudore deuictus, Carroccium eduxit, & ad Vaprium, vbi hostes constiterant, contendit. Fuere in eius exercitu, vti aliqui authores scribunt, ad triginta millia peditum, & sex millia equitum, in queis supra duo milla cataphractorum equitum censebantur. Inuasit Cassonum insolitus pauor tanto conspecto exercitu, ita vt ei semper antea intrepido atque pugnaci, expediendi consilij vis omnis excideret. Non putarat enim Mediolanenses publica Carroccij signa aduersum se adeo celeriter educturos, remque sibi tantum fore cum Guliermo Othonianisque clientibus bona victoriæ spe plenus existimarat. Appropinquante itaque hoste in id discrimen erat deductus, vt si vltra amnẽ se recipere, exercitumque seruare vellet, id ne dum commodè, sed ne sine ingenti quidem perturbatione, summoque periculo facere posset, relinquebatur vt audacter irrumpendo iniqui certaminis aleam subiret, aut se ad oppidum circumuallari obsiderique pateretur: quod cum indecorum ac miserum fore iudicaret, vti dignum erat fortissimo duce, totiesque victore, instructa acie conflixit, editque supremo virtutis conatu egregium facinus. Nam cùm vndique circumuenta acie à tanta hostium multitudine cæderetur, Germanos equites cohortatus, vt honesta nec inulta morte conciderent, conglobato cuneo ad Guliermi vexillum prostratis Hispanis penetrauit, occisoque signifero illud arripiens, discerpsit, atque ibi demum intercluſus à legione, interfectusque est. Tum verò Turriana acies vndique pulsa trucidataque ad flumen se conuertit.

uertit. Ibi cùm plerique natando metu mortis, mortem non timerent, magna ex parte ſummerſi ſunt. Periit & in vado Gothifredus Turrianus Cauernæ filius: deletaque ſunt penitus Raimundi auxilia: ipſe enim Laudi Pōpeiæ ſubſtiterat: Cremonenſium verò & Laudenſium duces capti. Pugnatum eſt ad Vaprium ſeptimo Calendas Iunias anno quarto à Decumana victoria, quæ ſicuti principatum Othoni dederat, ita hæc eum ſublato vndique metu confirmauit. Honeſtatus eſt Caſſonus ſepulchro non ignobili, quod adhuc extra Vaprium in ædicula conſpicitur: retinetque adhuc proximus ager eius prælij memoriam, cùm ab incolis Turrianæ cladis nomine vocitetur. Nec multò poſt Laudenſibus bellum indictum, depopulatusque eſt eorum agros Guliermus, tanta acerbitate, vt Laudenſes villarum caſtellorumque vaſtatione perdomiti de pace legatos ad Othonem miſerint. Inde Guliermus in Cremonenſes duxit, multisque detrimentis illatis bellum aliquandiu eſt productum: nam Placentini, Parmenſes, Mantuani, Regienſes, Cremonenſibus opem attulerant: ad extremum inter eos inita pax, & in centum annos proclamata, ea conditione vt captiui vtrinque dimitterentur, & Turriani eorumque ex profeſſo fautores his vrbibus exularent. Interea Comenſes Guliermum in decem annos Imperatorem ſuum declararunt, cōceſſaque eſt ei ſuprema poteſtas condendi atque antiquandi municipales leges: ſed id vnum omnino eſt cautum, vt de captiuis Turrianis qui in Baradelli arce erant ius omne Comenſi populo relinqueretur: atque ita à Comēſibus liberaliter ſuſceptus, iurauit ſe populi Ruſcanorumque partium iuſſu, aduerſus eorum hoſtes vti res poſceret, bellum egregia fide geſturum. Inde frequenti comitatu Mediolanum rediens, tot rerum ſecundo ſucceſſu elatus, ad inſana conſilia reuerti, ſecreto hoſtilia moliri, & cogitare denuo cœpit, quibus nam artibus Othonis exiſtimationem conuellere, circumuenire hominem iam planè ſenem, & denique vrbis Imperium poſſet inuadere.

Homo ingenio procaci, auido, inexplebili, Reipublicæ accumulatis tot ſumptibus grauis, inuiſus eſſe omnibus cœperat, cùm ſibi arroganter aſcriberet recentis prælij victoriam, & Othoni, & ciuibus pacis ab ſe partæ beneficium obiectaret: ob id inflatius atque ſuperbius quàm antea ſe gerebat, vt non omnino diſſimulanter ad principatum aſpirare videretur. Ante omnia Boſium Doariam veterem aduerſæ factionis ducem, Cremonenſiumque tyrannum, in cuius tabernaculo Actiolinum expiraſſe docuimus, Soncino oppidi dominum Othone fruſtra reclamante conſtituit, vtque familiam illuſtrem atque opulentam Imperij vtique æmulam Othoni opponeret, Soreſinas inciuit, vt ſeſe efferrent, & his ciuibus æquarentur, qui nobilitate pares, vel omnino virtute & diuitijs ſuperiores libertatē opprimere niterentur. Poſtremo poſtulauit, vt Ioanni Pogio ipſius familiari prætura cōferretur, inde ſibi gradū facere ad dominatū maturans. Itaq; Pogio prætore duæ ſunt exortæ factiones, magna pars ciuiū Othoni fauebat, in altera erant Guliermus ipſe & Pogius prætor, atq; itē Soreſina familia: & quanquā occultè Caſtellioni duce Guidone, cuius opera per id tempus auro corrupti cuſtodes è carcere Baradellæ arcis Guidonē Turrianū eduxerant, Muſca & Hereccus eripi nequiuere. Ea res Othonē quidē grauiſsimè pupugit, ſed ferentes id iniquiore animo Comēſes, ſibi à Mediolanenſib. capitalem iniuriam indignè fieri querebātur.

In id graue ſalutis imperiiq́ue diſcrimen inteſtini hoſtis perfidia coniectus Otho, diſſimulatione in præſens opus eſſe exiſtimabat: adeo vt cuncta iniqua & immoderata petenti, perblando & familiari ore cõdonaret: Cæterùm intentiſsimè vigilabat vt conſilia & progreſſus eius notaret, multaq́ue pollicendo, amicos hoſti detraheret & ſeſe à repentina vi domeſtici hoſtis tueretur. Interim Guliermus domeſtico bello in Montemferratum reuocatus Vercellas proficiſcitur. Ita celeriter adhibitis in conſilium amicorum fideliſsimis, non deeſt occaſioni Otho, quid faciendum ſit Matthæum admonet, correptisq́ue armis ipſe equo prouectus ad prætorianas ædes contendit. Pogius domo magiſtratuq́ue & vrbe excedere cogitur: creatur nouus prætor Vbertus è Becharia familia, ſiue, vt ait Merula, Iacobus Summaripa Laudenſis, in reliquos ſcilicet menſes vt coniectari lubet. Ita breui in tutiorem ſtatum reſtituta Republica & depulſo omni metu Iacobus & Carolus Soreſinæ in exilium aguntur, nonnulli porrò ex Terzaghis & Balbis qui cum Guliermo conſilia miſcuerant, extra decimum lapidem relegantur, & Soreſinarum domus quam illi ex ruinis Turrianarum ædium condiderant incurſu plebis ſolo æquatur. His confectis rebus Otho, vt ſeſe aduerſus vim acerrimi & potentis hoſtis confirmaret, in Germaniam ad Rodulphum Cæſarem legatos cum muneribus ampliſsimis miſit, obtulitq́ue ei amicitiam liberalemq́ue operam venturo in Italiam ad recipiendam Romani imperij coronam. Cæſar tametſi Turrianis antea fauerat, ex vſu tamen rerum ſuarum cum Othone certo amicitiæ fœdere coniungi maluit, quàm profligatarum partium quarum principes cæſi captiq́ue eſſent, inane nomen tueri. Itaque Othonem miſsis ad eum ampliſsimis literis in clientelam fouendum ac tuendum recepit: miſitq́ue ad eum Germanos equites, qui in ſpeciem prætorianæ alæ corporis cuſtodiæ adeſſent. His de cauſis Guliermus, bellum quod parabat auertit in Derthonenſes & Alexandrinos. Sed non multò poſt Turriani in ſpem renouandi belli, repetendæq́ue patriæ ſunt erecti, initio à Comenſibus exorto: qui quum veteres laxiores agri terminos ſibi reddi, vti antea ex auorum memoria poſſediſſent à Mediolanenſibus poſtularent, & ab his nequaquam pro iure fœderis & amicitiæ benignè reſponderetur, armata iuuentute agros Leucenſium & Cliuatenſium expugnatis caſtellis occuparunt, finesq́ue eos protulerunt victricibus armis, vti ex iure & æquo antea petierant. At mediolani cũ hæc eſſent nuntiata, ſenatusq́ue Comenſes arroganter hoſtiliterq́ue feciſſe iudicaſſet, in eos numerosus exercitus eſt eductus, cui præfuit Matthæus Magnus, à quo Comenſes ſuperati & caſtris exuti ſunt, multisq́ue cæſis, compluribus captis, onuſti Comenſium præda Mediolanenſes domum redierunt. Hanc cladem grauiſsimè tulit Comenſis, quòd in ſe atrocius quàm in barbarum hoſtem Mediolanenſes gladium exercuiſſent: isq́ue potiſsimum & dux & author cladis extitiſſet, qui paulò antè ciuitatis ipſorum prætor & imperator fuiſſet, cuius recẽtis beneficij memoriã vti ſuperbus & ſæuus amiſiſſe videretur. Itaque in eo dolore grauius decernitur: aduerſus enim Vicecomites repẽte conſurãt, vinculis exoluunt Muſcam & Hereccũ Turrianos: eos præturæ dignitate exornant, pecunia armisq́ue inſtruunt, & bellũ vehementibus animis in Matthæũ & Othonem parant. Ad id etiam ipſe Guliermus, eo Comẽſium

decreto

decreto magnoperè lætatus, opes atque operam pollicebatur: cuius viri vim tanquã pugnacis, & ab recenti iniuria concitati, grauem & periculosam Othoni futuram intelligebant. Eo modo Turriani iuuenes acerbo carcere post septimum annum & mensem vndecimum educti, acre bellum, & tum Othoni, & Matthæo deinde, eo pulso & in exilium acto, variis successibus intulerunt: quæ quoniam ductu Magni Matthæi gesta sunt, in eius vita aptius atque illustrius perscribentur. Iam enim in eum ab eximia virtute & rebus feliciter bello gestis, præclaris ducibus parem Otho senex omnia humana iura contulerat, adeo vt vtrunque magistratum vnus occuparet, impleretque. Nam & gerebat bellum vti dux atque equitum magister, & è tribunali prætorio patientissimè ius dicebat, vt ipse omnium litium disceptator & iudex ex arbitrio iudicaret, & omnis subinde prouocatio tolleretur, res graui ciuium incommodo ad ferendas lites excogitata. Sed mirum in modum eius nomen atque potentiam adauxit Guliermi inexpectata calamitas: qui Turrianis Comensibusque coniunctus, tam Othoni graue bellum intulerat, atque id tum vehementiore studio reparaturus esse videbatur, quòd & Guido Castellionus Turrianis adhæserat, vir inter primores consilio, clientelis, atque opibus insignis: erat is Guidonis Turriani qui è Baradello effugerat auunculus. Igitur Guliermus quum nefario scelere Derthonensem episcopum necasset, in manus Alexandrinorum ex insidijs captus deuenit, apud quos ferrata in cauea, atrocibus corporis atque animi tormentis excruciatus interijt. Gratias igitur Otho dijs immortalibus agens quòd se votorum omnium compotem feciſſent, vti iustam ab omni labore vacationem nactus, apud Claræ Vallis cœnobium religiosa quiete fruebatur, apprime confisus præcellenti prudentiæ virtutique Matthæi Magni: hunc enim ipse à tenerea ætate seuere & diligenter educarat, institueratque his moribus, quibus in omni bellica vel ciuili actione ad certam laudẽ semper illustris tanto imperio dignus esse videretur. Magnitudine quippe animi, patientia, humanitate, religioneque & domestico splendore cunctos anteibat. Nemo ei corporis aut ingenij vigore par erat, altitudine verò consilij, facundia, & oris atque habitus dignitate antiquis heroibus æquabatur. Nec eo quisquam prole felicior fuit. In quinque enim eius filijs Otho ipse peracri iudicio, miram certamque indolem ad propagandum imperium quasi diuinans prouidebat: & iam ex his Galeacius & Marcus cui Balatroni cognomen fuit, ad militarem ætatem peruenerant, & in Iohanne atque Luchino optimorum principum indoles elucebat. Postremus Matthæi liberorum Stephanus fuit cæteris prole quàm vita felicior, quum adhunc filij, nepotesque, & qui nouissimè imperarunt pronepotes recta serie respiciant. Eo modo quum ad Claram Vallem amœnissimis in hortis Otho tuendæ valetudini operam daret, frequentique comitatu insignium philosophorum, & sacratorum virorum oblectaretur, sæpe de diuinis humanisque rebus in iucundissimè disputans, senio potius quàm morbo confectus è vita discessit, Augusto mense eius anni qui fuit à partu Virginis nonagesimus quintus supra mille & ducentos. Impleuerat septimum & octogesimum annũ, nullis paulò molestioribus morbis obnoxius, ita vt mihi proculdubio omnium Principum longè felicissimus decessisse videatur. Vsq; eò enim

paucis cõceſſo, fati munere vixit, vt ſumma gloria plenus, quòd ambitioſa cupidaque mortalitas maximè optat, poſteritati ſuæ lætiſsimus interfuiſſe videatur. Tumulatus eſt in templo maximo ad maiorem aram marmoreo ſepulchro, in cuius fronte hæc carmina leguntur.

Inclytus ille pater patriæ lux, gloria patrum,
Fulgor iuſtitiæ, fidei baſis, arca ſophiæ,
Largitor veniæ, portus pietatis egenis,
Intrepidus paſtor, quem moles nulla laborum
Ardua deuicit, populo latura quietem.
Ille prius princeps, & præſul amabilis, in quem
Altus virtutum ſplendor conuenerat omnis:
Quo Mediolanum radiabat lampade tanta,
Totaque fulgebat regio, nunc pallet adempto:
Clara Vicecomitum proles venerabilis Otho
Oh dolor, oh vulnus, cinis eſt hoc marmore factus,
Chriſte pater vitæ in te requieſcat ſpiritus in te.
Annis vndenis, ter ſenis, terque diebus
Præfuit eccleſiæ paſtor bonus Ambroſianæ,
Mille ducenteno quinto, nouiesque deceno,
Quarto hic Auguſti bis liquit gaudia mundi.

MAT.

MATTHAEVS MAGN.
SIVE LIBER II.

NEMO si Fortunæ ludos spectare lubet, certiore v triusque sortis merito MAGNI cognomen adeptus est, quàm hic ipse MATTHAEVS Vicecomes, cuius imagini ad veram oris effigiem ductæ, insignes etiam excelsi animi dotes breui elogio expressas appendimus. Nec titulus, vti reor, vel summæ virtutis atque potentiæ regibus insolens & grauis huic ad inuidiam cesserit, quum illi superiores Alexander, Pompeius & Carolus, tanquam humanæ virtutis modum supergressi inter Heroes referantur. Hic verò intra patriæ fines parta laude contentus, id tulerit, quod ciues post inuidiam morte extinctam, præclara etiam hostium confessione detulerunt. Natus est Masino in pago ad Verbanum lacum, eo fortè insigni die quo Federicus secundus, dirus Italiæ Cæsar, à filio Manfredo regę

coniecta in os ſtragula veſte ſuffocatus interiit. Tradunt autem non inſulſi annalium ſcriptores, armenta eius vici ſponte ſoluta prorſipientiaque ſe magno tumultu è ſtabulis domum, in qua Anaſtaſia mater infantem noctu eniterebatur, inuſitato mugitu edito quaſi ſalutaſſe, adeo vt experrecta tota vicinia puerperæ magnus timor incuteretur. Sed id Theobaldus pater pro lætiſsimo oſtento accepit, gratulatus vel ob id vxori felicem partum, quod mirę magnitudinis infantem ad ingentis ſpei fortunam edidiſſe videretur. Erat Anaſtaſia Vberti Pirouani nobilis atque optimi Mediolanenſium Antiſtitis ex fratre neptis. Hæc puerum rara inter matronas charitate propriis vberibus aluit, adultumque vſque adeo diligenti & planè virili cura honeſtiſsimis moribus inſtituit, vt Otho neſcio quid egregium & verè magnum in pueri indole ſe conſpicere fateretur. Cæterùm Matthæus iam planè vir quanquam impubes, orbatus patre viro fortiſsimo, ærumnoſique exiliį Othoni patruo comes, ita corpus pariter atque animum exercuit, vt vtrunque viriliter aduerſus rerum omnium contumelias indomitum, inuictumque voluptatibus præſtaret, & duris atque aſperis gaudere, nec aduerſis vnquam frangi, nec ſecundis efferri videretur, quòd nihil vnquam aut demiſſum aut inſolens ore geſtuque eius excideret, prælta que ſemper atque ardua ad imperium & gloriam intentus agitaret. Summum adeo decus in clementia & moderatione reponebat, quibus virtutibus Turrianos omnino caruiſſe, ideoque celeriter excidiſſe principatu, prædicare erat ſolitus: oderat enim gladios extra aciem cruentos, quum in neminem Turriani ſanguinis, vel nunquam, paternæ cædis oblitus, ſæuierit, neminemque ex infenſiſsimis hoſtibus bello captis occiderit: vti videri licuit, quum omnes ferè aduerſarum partium ſummi duces atque ei capitali odio inimiciſsimi mira perpetuę victoriæ felicitate in poteſtatem eius deueniſſent. In his fuere Simon Aduocatus, Guliermus Bruſatus, Philippus Languſcus, Antonius Fiſiraga, Albertus Scotus, qui Vercellis, Nouariæ, Ticini, Laudi Pompeiæ, & Placentiæ Gibellini nominis hoſtes tyrannidem exercebant. Ad hanc quoque generoſi & clementis animi laudem, moderati nomen addiderat, quum in omni bellicarum & ciuilium rerum actione, cupiditatum exceſſus fugeret, & nuſquam timore aut ſuperbia præpeditus, cuncta conſilia certis temperantiæ finibus terminaret: & id quidem eo diligentius, quòd vel in ſpeciem religioſè pius exiſtimari vellet. Sed ei inter læua arma nato atque educato nihil potius vnquam, quàm augere factionis opes, aduerſarios perſequi, & latè imperium proferre, etiam ſi id non facilè ſine cædibus atque incendiis patraretur. Plura tamen ſe tectis conſiliis & occulta largitione, quàm vi & cruenta manu confeciſſe: & plura denique auro quàm ferro feliciter expugnaſſe diſſerebat, vt ſcilicet prodigis atque ad inanem ſumptum facilè effuſis, & natura pugnaciſsimis filiorum ingeniis vtiles frænos imponeret. Henricum iam Cæſaris fratrem ab inimicis aduerſum ſe è Germania in Brixianum agrum cum ingentibus copiis euocatum multo auro aggreſſus auerterat: parique felicitate Philippum Valeſium, qui poſtea Galliæ regnum tenuit, pontificis impulſu formidoloſum exercitum ad Vercellas adducentem, multis legationum artificiis, magnis denique muneribus peruicerat, vt amicus quàm hoſtis eſſe mallet, in Galliamque rediret: quum

Galeacius

Galeacius filius, pugnæ quàm pacis auidior viginti peditum & ſeptem galeatorum equitum millibus tranſituro hoſti obiectis, quin prælij aleam ſub iret, paternis monitis ægerrimè paruiſſet. Imperauit Matthæus ab Othonis morte ſeptem annos, nouem in exilio tolerauit quum malignitate propinquorum & ſubita nobilitatis conſpiratione, atque Alberti Scoti perfidia circumuentus, vt inuidiæ cederet, Mediolano exceſsiſſet. Sed eum poſt patriam fruſtra armis ſæpe repetitam deformis exilij incommoda conſtantiſsimè tolerantem, nec vnquam deſpondentem animum, in ſpem non dubiam erexit Henrici Cæſaris aduentus. Fatali tum inſania Turriani inter ſe diſsidere cœperant, & Guido patrueli Muſcæ morte extincto ſuccedens, consanguineis & ciuibus vſque adeo ſuperbia intolerandus euaſerat, vt Muſcæ liberos, ad quos paterni auitique imperij hereditas redibat, cuſtodiæ traderet. His cognitis Matthæus, agreſti habitu auijsque itineribus Aſtam ad Cæſarem contendit, vbi Caſſonus Turrianus Mediolanenſis Antiſtes cum Napino fratre, atque item principes Guelpharum partium conuenerant. Quis crederet ſexagenarium ſenem venerabili canitie, & male tecto frontis honore, ſpſoque præſertim arduæ ceruicis habitu conſpicuum, ſed pedibus iter habentem, tot inſidiantium oculos fallere potuiſſe? Proiecto ad pedes & ex iure & æquo opem imploranti, admiratus facũdiam & oris decus Cæſar, ſpem dedit vt reduceretur, atque id egregia fide præſtitit, Philippo Languſco, Antonioque Fiſiraga qui aderant atroci oculo intuentibus, acerbaque voce eum totius pacis & quietis turbatorem appellantibus. Sed Matthæus frequenti concurſu, liberaliſque ſtudio veterum amicorum & clientium, qui prodeuntem ornatiſsimo comitatu deducebant, iam priſtinæ fortunæ ſuæ perſimilis, pacificatore Cæſare cum Turrianis fœdus percuſsit, his legibus, vt beneficio Cæſaris reducti in patriam antiquæ libertati reſtitutam æquo iure viuerent, & paternis bonis, ciuili actione partis, vtraque factio potiretur. Nec multò poſt Henricus Mediolanum venit, eique obuiam egreſſus Guido cũ inſigni ordinum omnium pompa; & ab equo deſiliens Cæſarem ſalutauit, ſed vultu non occulta bile perturbato, quòd Germani equites Turrianum vexillum ſignifero vi extortum, ſolo affixerant, indignati quòd aliud inſigne quàm Romana Aquila præſente Cæſare præferretur. Cæſar eum humaniter alleuans, & equum conſcendere iubens, renidenti ore, Guido inquit, noli contra ſtimulum calcitrare: atque ita medius inter Matthæum & Guidonem vrbem intrauit, Guidone de Principatu planè deſperante, quum aſpectu tanti hoſtis qui dextrum Cæſaris latus tegebat, & propinquorum qui aderant rebellione conterritus, omnem vim expediti conſilij penitus amiſiſſet. Cæterùm Henrico de more coronato atrox in vrbe tumultus incertum caſu an fraude exortus eſt: quum populus arma caperet, excitique ad arma Germani, fora, & compita cohortibus & turmis occuparent, & Galeacius cum globo equitum diſcurrens, & veteres clientes ad arma vocans, Germanos vt nihil timerent hortaretur. Sed ea vis armatæ plebis, quum nec cauſa nec author tanti motus extaret, repente verſa eſt in Turrianos nihil tale timentes, momẽtoque temporis eorum domus expugnatæ direptæque ſunt. Guido equum nactus ægrè profugit: Caſſonus antiſtes per hortos vix ereptus eſt: vel qui Turrianæ factionis inter ſe diſsidentes eandem im-

prouiſi mali fortunam tulerunt. Iam propè reum patrati facinoris apud iratum Cæſarem rumor Matthæum fecerat, niſi ſenem quietum pacata fami lia domi epulum parantem prætoriani Cæſaris inueniſſent, ipſeque digreſſus ad Cæſarem falsò crédita multiplici teſtimonio diluiſſet. Relegauit tamen eum Cæſar Ticinum, vt de ea re certius cognoſceret, & Turrianis per ſummum populi ſcelus omni honore omnique lauta ſuppellectile ſpoliatis, æqui iudicis officium præſtare videretur. Sed ea diſceptatio hunc habuit exitum, vt Matthæus ſingulari Cæſaris ſtudio Mediolani præficeretur. Henricum enim vt Romam ire pergeret, Cæſariani nominis ſtudioſi in Etruria, frequentibus literis euocabant: & ipſe quantum Guelphis fidendum foret, præclarè intelligens, certo fidelique præſidio factionis opes confirmandas arbitrabatur. Itaque Matthæus ſumma potitus poteſtate iterum decem annis imperauit: quo ſpatio aliquot ſubactæ vrbes, capti hoſtium principes, Turrianorumque opes attritæ deletæque ſunt. Ipſe domi ab inueterata prudentia conſilio pollens, & foris filiorum ductu (ij enim clariſsimi duces euaſerant) multis prælijs victor ad conſummatam gloriæ laudem peruenerat, ita prorſus vt iure Magni pariter atque felicis nomen mereretur. Sed qui longa infracti animi patientia rerum omnium difficultates egregiè ſuperarat, inuidiam veræ virtutis comitem ſuperare non potuit. Præcipui enim amicorum gloriæ eius ſplendore offenſi ab eo deſciuerant, quum Robertus Neapolitanus rex Guelpharum partium ſuſcepta cauſa in Liguriam veniſſet, Beltrandusque Vaſco Cardinalis, pontificius legatus Matthæum diris perſequeretur. In eam nanque vnam curam animos intenderant, vt comminuta Cæſarum authoritate Guelphos tot aduerſis prælijs profligatos cõtra Gibellinos erigerent: Matthæuſque in primis tanquam maximè validus aduerſarum partium imperator, dominatu pelleretur. Dimicarant ſuperioribus annis in Etruria ad campum Aldinum ſemel, iterum ad Arbiam flumen, nouiſsimè autem ad montem Catinum Guelphi cum Gibellinis funeſto illis euentu: quo prælio Roberti regis frater fuerat interfectus, & Luchini Matthæi filij paternorum auxiliorum ducis mira indoles enituerat, ipſeque demum Robertus à Marco Matthæi filio pro Spinulis atque Aurijs exulibus depugnante, Genuæ obſeſſus & miſerè circumuallatus, in multo rerum diſcrimine multum dignitatis amiſerat: quibus de cauſis acerbiſsimo conſenſu bellum atrox Matthæo parabatur. Ipſe porrò Beltrandus conflato ingenti exercitu, & receptis ad ſe Turrianorum proceribus, diuini iuris tela contorquens, Matthæum tanquam impietatis reum æternis inferorum cruciatibus deuouit, & Mediolanenſibus eo nomine ſacra ademit, vt populum diro piaculo conſternatum in authorem tantæ labis concitaret. Nec legatum ea res fefellit: nam hæc emiſſa tela aliquanto grauiore mole quàm promoti ad portas ingentes exercitus, hoſtibus inciderunt. Clauſis itaque templorum foribus expers ſacrorum populus duodecim legatos ad Beltrandum decreuit, vt expiationem accuratis precibus impetraret. Sed in eo delectu de induſtria plures fuere Matthæo infenſi, & ante alios ex amicis veteribus effecti noui hoſtes, atque ideo acerbiores maximque peſtilentes, Leodriſius Vicecomes patruelis, & Franciſcus Garbagnatus, quo authore Matthæus in amicitiam Cæſaris fuerat receptus: & Simon Cribellus numeroſa

familia

familia potens, vir atrox & inquietus, propterea alienati, quòd minimè paria ingentibus meritis præmia retuliſſent. Ad hoc ſuperbos animos naturaque pronos ad leuitatem atque perfidiam inuidia alienæ felicitatis inuaſerat, vt perinique ferrent, quòd non iam ſecus atque ex merito ſperauiſſent, ipſis Matthæi filijs dignitate atque opibus æquarentur. Verùm Matthæo alioqui moderato tardanteque ſenectute parum expeditè liberali, præcipua cura inerat, liberos eximiæ virtutis duces amicis & propinquis omnibus anteferre, augere diuitijs, ac bellicis honoribus honeſtare, quum cæteris propinquis & amicis proximas ſpes matura liberalitatis relinquendas exiſtimaret. Itaque legati à Beltrando redeuntes, referunt nihil à viro acri, iracundo & validis copijs inſtructo impetrari potuiſſe, niſi Matthæus ob conceptam hæreſim aqua & igni interdictus vrbe pelleretur: eo pulſo ciuitatem expiatam fore, & creatis Decurionibus, qui æquo iure gubernent, ad priſtinæ libertatis decus deletis factionum odijs, continuò redituram. Nec mora inconditæ plebis fremitus auditur, pacem atque concordiam poſtulantis, & coniurati ad augendum tumultum idoneos homines ſubornant, qui ſpecie religionis inducti exclament, non eſſe omnibus propter vnum deuotum caput æternas pœnas apud inferos ſubeundas. His vocibus Matthæus perpetuisque inimicorum inſidijs circumuentus ad conſilium ſummæ prudentiæ, quod ei ſupremum, & ad ſalutem expeditum fuit, exemplo decurrit, vt à Galeacio filio qui tum Placentiæ imperabat, licet ab ſe ex æmulatione Marci fratris alienato opem imploraret: nec differt ille vir impiger de ſummo rerum periculo certior factus, quin ſtatim coactis veteranis equitibus ad patrem aduolet. Eius aduentu inimici maximè perterrentur: dubij depraua tique ad antiquam fidem redeunt: confirmantur clientium animi: Duodecim etiam legati occupante metu tecti primò latebris, mox intempeſta nocte elapſi vrbe diffugiunt. Nam Galeacius bellici vigoris plenus, nobilique facundia inſignis, vti erat propter memoriam editorum toties ludorum, & totius regiæ magnificentiæ populo charus, popularique humanitate percelebris, aduocata paſsim concione, ciuium propè omnium ſtudia, quæ fortè nutabant, ad ſe conuerterat: quum præclarè doceret vnam eam eſſe mentem Pontificis atque Roberti regis, vt Guelpho nomini latum ſtabileq; imperium in Italia oppreſsis Gibellinis adſtruerent: quod facilè conſequi poſſent, ſi Turrianos viros crudeles implacabiliique odio omnibus iratos in vrbem reducerent. Confirmatis eo modo ciuium animis, accitisque vndique veteranis militibus, ſedatoque tumultu, Matthæus duorum & ſeptuaginta annorum ſenex, vti adminiſtrando bello viribus impar, & vt plerunque accidit, in concurſu aſperrimarum rerum mente perturbatus, ſed virtuti filiorum plurimum fidens, principatu ſponte ſe abdicat, Galeacioque militaris imperij vexillum tradit, deduciique ſe ad templum maximum iubet: inuſtam enim ſibi vir contumeliæ inſolens, & egregiè pius hæreſis notam ferre non poterat: ita vt ad aram aduocatis ſacerdotibus Chriſtianæ fidei ſymbolum præclara voce recitaret, teſtareturque iureiurando ſibi immerenti ſacra eripi, quòd nuſquam à ſacro ſancto dogmate diſceſsiſſet: itidemque Dei maximi vltoris numen inuocabat, poſtquàm iniquiſsima factioſi legati ſententia condemnatus patria excedere cogeretur. Sequenti porrò die Mogun-

tiacum, quod hodie Modoetia dicitur, ad diui Ioannis Baptiſtæ templum, ob memoriam Longobardicæ pietatis venerabile, & à ſe multis donarijs exornatum contendit, ibique eadem profeſſus in febrem incidit. Accurrerunt illico filij quum ad Creſcentiacum cœnobium lectica deferretur: id enim templum triginta ferè ſtadijs Mediolano diſtat. Suprema autem morientis verba ad circunſtantes quinque liberos hæc fuere: STABIT incolume vobis cariſsimi atque optimi filij, hoc imperium quòd relinquo, ſi concordibus animis cum virtute tum fortuna veſtra vtemini: ſi verò diſſideritis omnis quamlibet eximia veſtra virtus fruſtra erit, & à vobis ad hoſtes illico Fortuna transfugiet. Nec eius prædictioni tanquam veri vatis euentus defuit, vti mox dicetur. Exinde quum omnibus manarent lachrymæ, integris quidem ſenſibus, ſed collabente ceruice, ſupremum oſculum liberis dedit: moxque inter amplexus eorum expirauit: eique tot ſuperſtites liberi (vti maximè optarat) oculos clausêre. Defunctum autem ſecreto ignobilique in loco tumularunt, celata etiam aliquandiu morte, ne cadauer in aduerſa fortè belli fortuna, ſæui legati contumelijs eſſet obnoxium. Sed deſtinata iuſti funeris pompa, & toto vel operoſi ſepulchri honore facilè capere potuit, qui publico conſenſu illud perenne lateque diffuſum decus excelſa virtute meruerat.

Tumulo eius hoc carmen affixum eſt.

Matthæus factis meritò cognomine Magnus,
Tempore tam belli ſummus quàm tempore pacis,
Mortuus eſt, & nullum habuit ſublime ſepulchrum:
Claudere nanque illum non marmora ſufficiebant.
Sed nunc propterea tellus eſt tota ſepulchrum,
Et totum volitat Matthæi fama per orbem.

GALEACIVS

GALEACIVS PRIMVS SIVE LIBER III.

GALEACIVS Matthæo Magno genitus, nouum id nomen quod poſtea manauit ad poſteros primus familiæ intulit, à matre Burra ioco inditum, quum ea fortè in multo gallorum cantu enixa puerum apertis oculis altè vagientem Gallacium appellaſſet, idque arridentes ancillæ ſæpe repeterent, nec abnueret pater, tanquam ab aue Martia militari augurio iucundè accepto, idque præſertim inſigni euentu Fortuna comprobante, quòd ea nocte puerum naſci contigiſſet, qua felici prælio ad Decimum interfectis aut captis Turrianæ familiæ proceribus ab Othone parta eſt ea inſignis victoria, quæ & principatus initium fuit. Nec verò ſine vllis delitijs educatus puer augurij fidem fefellit, quum ſingulari vigilantia, generoſo ſpiritu, atque indomito vigore pugnacis animi, ſuperbum & ferocem gallum æmularetur, & conſpi-

cua quædam alludentis naturæ dona, hos mores adornarent, multo quippe rubore ſuffuſa facies, flagrantes oculi, ſubcriſpa & fulua cæſaries, & lato in pectore erecta ceruix maximi futuri ducis ſpeciem reddebant. Ipſe porrò vel planè puer tanta equorum atque armorum cupiditate erat incenſus, vt aliquando maturius quàm ætas ferre poſſet, thoracatus, galeatusque ludicra certamina equeſtresque ludos inter puberes agitaret, quereturque admirante Othone tanquam par obeundis militiæ laboribus, quòd adhuc neque patris caſtra, nec hoſtium aciem vidiſſet. Ab hac indole nouum quotidie maturæ virtutis ſpecimen præbens, per omnes bellici muneris ordines pluribus aditis ſuperatisque periculis decucurrit, ſic vt indies ab inſigni aliquo facinore laude cumulatus, patri pariter ac militi charior euaderet. Facilè enim accidit impigro iuueni vt multis expeditionibus exerceretur, quòd ea tempeſtate nullum bello vacuum, aut ab hoſte propinquo ocioſum tempus eſſet, vigentibus odijs inter factioſas ciuitates, atque ob id rediuiuis Turrianorum ſtudijs, quibus Guelpharum partium duces nitebantur. Cæterùm ei ad prælta contendenti quum ſæpe egregij militis & ſtrenui equitum præfecti nomen tuliſſet, ſummus honos militaris imperij deerat: cui rei Fortuna maturè ianuam aperuit. Quum enim ex prætura Nouariam obtineret, repentina Guelphorum coniuratione expulſus, ſumma celeritate coacto exercitu aduerſarios profligauit: confugientesque Mortariam, magna vi expugnato oppido penitus deleuit, tanto terrore hoſtibus illato, vt Matthæo patre dux acrior atque felicior crederetur. Nec multò poſt patre Alberti Scoti perfidia patria eiecto, eandem exilij fortunam ſecutus, in maxima pericula ſe coniecit, quum ſenem inuicto animo irrita arma circumferentem, minimè deſerendum arbitraretur. Sed patre demum fractis opibus animum deſpondente, in vlteriorem Galliam tranſiuit, fortemque operam aduerſus Britannos nauans Carolo Philippi Regis patri, militari baltheo ab eo donatus eſt, quod eſt equeſtris dignitatis inſigne maximè decorum, vbi ſpectato inſigni aliquo in acie facinore imperatoris iudicio paratur. Inde autem in Italiam reuerſus eo bello quo Pelagura Cardinalis oppugnata Ferraria Ateſtini Actij opes contuderat, multis inuſitatæ virtutis operibus editis vehementer inclaruit. Conſtat enim vno prælio per multas horas creſcentibus vtrinque ſubſidijs ſæpius inſtaurato, tres equos acerrimè depugnanti fuiſſe ſuffoſſos: eumque poſtremò cum vexilliferum adacto per inguen mucrone ab ephippio deturbaſſet, inſilijſſe in equum ſeſſore vacuum, atque ita impetu facto, perruptaque aduerſa acie ad ſuos cum ſuo tum alieno cruore oblitum redijſſe: cuncta enim pericula, vt inde clareſceret, præſertim extorris atque exul audaciſsimè contemnebat.

Erat etiam Actio ſumma propinquitate coniunctus, vt vel hinc oſtendendæ virtutis ſtudio vehementer accenderetur: nam Beatricem eius ſororem in matrimonio habebat, ſuſceperatque ex ea biennio ante filium qui de nomine auunculi Actius, ſummæ poſtea virtutis Princeps, appellatus eſt.

Hæc Beatrix præſtanti quidem forma, ſed nouem annis Galeacio maior, antea nupſerat Nino Piſano Galluræ in Sardinia Regulo, antiqua ſtirpe, & multis diuitijs claro, ex eoque genitam nubilem puellam Mediolanum adduxerat, vt ludis nuptialibus intereſſet: qui regio ſumptu editi totius Italiæ

vrbes

vrbes inuſitatæ magnificentiæ fama compleuerunt. Nam & ſimulachra certaminum, & caſtellorum expugnationes, quæ armatis cohortibus & turmis inter ſe concurrentibus edebantur, & publici epuli apparatum, & matronarum ſaltationes, quæ ad ſpectacula conuenerant, vehementer omnes mirati ſunt. Mille ibi per tres claſſes diſcumbentibus conuiuis ſingulæ veſtes cũ ſericæ aureæque tum laneæ coccineæque, aut acu pictæ, dono datæ ſunt, Burra ſocru eas miro ordine perſpicacique iudicio ſublatis menſis diſtribuente. Tot verò nouæ nuptæ collata munera gemmarum atque monilium, cælatique argenti & purpuræ à legatis ſociarum vrbium patritijsque ciuibus, vt opulentiſsimorum regum diuitijs æquarentur. Et hercle vel hinc mirari iuuat, tam malignum, quàm poſtea falſum Danthis poetæ iudicium, quum ex hoc coniugio Viperam Gallurà inferiorem putarit. Cæterùm Galeacius cõ firmatis Actij opibus Taruiſij præturam obtinuit à Gerardo Caminate eius vrbis domino, cui ex Beatrice priuigna nupſerat: geſsit autem eum honorẽ ſumma cum dignitate, vt nulla in re exulis vultum præferret, profitereturque ſe breui ad veteris fortunam imperij rediturum. Nec id votum diu fefellit, Henrici Cæſaris aduentu, quo diſsidentium inter ſe Tyrannorum opes vehementi ruina proſtratæ ſunt. Aderat Matthæo Galeacius ex paterno conſilio arma expediens, feliciq'ue virtute ſemper dimicans: nam paternis auſpicijs aduerſæ factionis vires attriuerat, ducesq; belli & Guelphi nominis principes in poteſtatem redegerat. Quibus ſublatis ſingulæ Ciſalpinæ Galliæ vrbes ſe ad Magni Matthæi authoritatem contulerant. Ipſe quoque proprio vtens conſilio & ſuis ſubnixus copijs, cùm ad augendam ditionem potentiamque per ſe bella gereret, Guelphis formidandus eſſe cœperat, vtiq; poſtquam Placentiam Alberto Scoto vetere patris proditore armis eiecto, captoque, ſuæ ditionis fecit. Nec multum inde Iacobo Caualcaboue Cremonenſium Tyranno ad Bardum vicum acie profligato atque interfecto, Cremonam valida claſſe & magnis copijs circumuallatam ferro demum & fame ſubegit. Nec minore virtutis fama Marcus frater à patre rei Liguſticæ præpoſitus, aduerſus Robertum regem bellum gerebat: & Luchinus bellica laude nulli fratrum inferior, Guelphoque nomini vehementer infenſus, præcipuo terrori erat, quòd ab eo ad Tanari pontem, Vgo Baucius Roberti regis equitum magiſter commiſſo prælio victus atque interfectus fuiſſet. Quibus de cauſis Guelphi nominis principes admonebantur, vt acciſis in Etruria partium viribus, & tum in Ciſalpina Gallia latè profligatis, maiora præſidia compararent, quibus Matthæi potentiæ obuiam iretur. Itaque renouatis inter ſe fœderibus, Pontifex, Robertus, & Florentini peritos rei militaris duces, & validas bellicoſarum gentium copias à Narbonenſi Prouincia, Burgundis ſcilicet, Allobrogibus, Heluetijsque in Italiam adduxerunt, vſque adeo ingenti conatu ſumptuque, vt tranſmiſſa grandi pecunia Henricum Auſtrium deſignati Cæſaris fratrem è Germania, è Gallia verò Philippum Valeſium, qui poſtea rex fuit, aduerſus Vicecomites in Italiam euocarint. Sed Germanos Matthæus multa largitione maturè auertit, Gallos verò Galeacius & Marcus oſtentato exercitu ita terruerunt, vt multa verborum humanitate, multisque item muneribus ſuperati trans Alpes nuſquam diſtrictis gladijs redierint. Deſcenderat Philippus ingenti curſu

ad Sesithem amnem præter Vercellas iuuenili quodam vigore animi hostem contemnens, nec sociorum auxilia expectans, ita vt in insidias præceps datus esse videretur, nisi Galeacius paternæ grauitatis æmulus, vel in multa spe exploratæ victoriæ à conserenda pugna, inuito etiam fratre par ferè cum eo imperium habente temperasset. Nolebat enim validam atque propinquam gentem nulla propè de causa, nulloque odio, sed leui admodum bellicosæ iuuentutis alacritate ad bellum excitam, ipsumque præsertim regium sanguinem inexpiabili in se odio concitare: vti necesse erat, si conserto prælio totius ferè Galliæ nobilitatem profligari atque interfici contigisset. Impetrato siquidem colloquio, & per inducias ostentatis miro ordine vniuersis copijs, quas vallatis è castris eduxerat, facilè Gallorum proceribus demõ strauit, quàm stultum foret, pro alieno commodo, propriæ dignitatis & vitæ periculosam aleam subire. Ea quoque res Galeacij fidem facundo ore hæc differentis confirmabat, quòd veteris beneficij memoriam præferebat, quo à Carolo rege balthei militaris honore fuerat honestatus: tum producebat præter numerosum peditatum, quinque millia vtriusque armaturæ equitũ, in queis sexcentorum fere nobilium cataphractorum ala decoro simul atq; terribili corruscantium armorum cultu stupentes Gallos permouit, vt authore Ebrardo equitum magistro, viro æquè prudenti acstrenuo certam pacem potius quám anceps bellum optarent. Cum hac ala Marcus Galeacij frater, cum specie ipsa excelsi corporis, tum felicium præliorum fama inclytus, explicatis turmis decurrerat. Gestabant singuli equites in cono cassidis & in lacinia Phrygij operis squamosam viperam, cruenti pueri crura dentato ore deuorantem, Vicecomitum familiæ vetus insigne: qua inusitata specie Gallos, vtpote non intellecto argumento, vehementer commotos fuisse, moxq; magnis muneribus exultos vtili consilio potius quàm decoro, Villanus Florentinorum annalium scriptor in Galliam redijsse perscribit. Sed Matthæo patre vita functo grauiora demum pontificis & Roberti Regis arma, conspirantiumque patritiorum vim, ac Germani militis perfidiam summo cum discrimine salutis expertus est. In eo enim vetere decreto fœderati hostes permanserant, vt pulsis principatu Matthæi liberis, res Mediolanensis sub inani libertatis nomine Guelpharum partium auspicijs nutuque regeretur. Itaque Leodrisius & Garbagnatus atque Cribellus cum suo liuore, atque odio perciti, tum honoris maximi atque potentiæ non dubia spe inflati, in id incumbebãt, vt ciues deprauarent, atq; diducerent, Pontificijq; legati nomine Germanos diuisa inter eos pecunia optimisque stipendijs propositis, ad defectionem impellerent. Primi omnium Rogerius & Anechinus Vindelici Centuriones, soluto pudore defecerunt, nec ciuitas per se instabilis dubitauit, quin Germanorũ exemplum sequeretur. Qua repentina veteranorum defectione circumuenti Galeacius & Marcus, quum atrociora timerent, Laudẽ Pompeiam ad Vistarinos veteres amicos se receperũt. eorum autem discessu, ciuitas creatis ex vnaquaq; tribu decurionibus, libertatẽ arripuit. Cæterum immutatus in vrbe status hunc habuit euentũ, vt factiosi ad arma excitati, duce quodã Burro Guelpharũ partium vexillũ attollerent, admirantibusq; primò, et mox nõ temere sibi metuentib. Gibellinis, tumultuose per vrbem deferrentur. Guelphi quoque ex Martiana Abduani agri regione,

& Brigan-

& Brigantinis montibus Liciniforoque præſertim, Tignaca Parauicino duce homine turbulento, Modoetiam occuparent. Id facinus Mediolanenſis reipublicæ decuriones magnopere commouit, quòd noui imperij maieſtas ſeditioſorum temeritate ſugillari contemniq́ue videretur. Ipſos porrò Gibellinos admonuit, vt armata præſidia compararent. Mittitur ergo Leodriſius cum exercitu qui Modoetiam, ſi dicto audiens eſſe Tignaca nolit, admotis machinis expugnet. Nec mora Guelphis maiore pertinacia quàm viribus reſiſtentibus, Leodriſius diffracto muro atque incitatis ad prædam Germanis oppoſita munimenta perumpit, multisque cæſis capitur Tignaca, oppidumque diripitur. Hinc iam non obſcurè animaduerſum eſt, non aliam ob cauſam Galeacium fratresque eius Mediolano expulſos fuiſſe, quàm vt Guelpharum partium dominatus induceretur. Nam veteres hoſtes ſemperque antea exules Turriani reuocabantur: & legatus hominem natione Burgundum, quòd eſſet è Turriana familia, vrbi præfecerat: nec Germani (quanquam mercenarij milites) vel Roberti regis, vel pontificis nomen Cæſaribus infenſum pacatis auribus accipiebant: & tum fortè ſtipendia à legato cardinale regijsque præfectis largiſsimè promiſſa, nequaquam liberali manu ſoluebantur. Quibus de rebus Germani Henrico Gruniſtenio homine nobili concionante ſublatis dextris Galeacium continuò reuocandum cenſent, decernuntque ad eum legatos ſummæ dignitatis Centuriones, qui condonatæ veniæ fidem accipiant, vt Rogerio & Anechino cæteriſque recentis infidæ leuitatis authoribus caueretur. Gruniſtenius enim virtutem, fidẽ, munificentiam, atque animi magnitudinem quæ in Galeacio ſpectabantur, eximijs laudibus extulerat, vſque adeo ſtudioſè, vt ſe vadem obſidemq; præſtaret. Marcus quoque opportunè in vrbem noctu regreſſus, Leodriſium inexpectata Guelphorum audacia perturbatum, animaduerſoque periculo conſilij ſui non obſcurè pœnitentem cum lachrymis exorarat, vt iure ſanguinis ad familiæ ſalutem pariter ac dignitatem cum Galeacio in gratiam rediret, nec veteres Vicecomitum hoſtes ipſorum inteſtino malo lætari pateretur. Itaque poſtridie Galeacius non ſecus ac ſi ex venatione ſuburbanoque receſſu, non ab exilio, domum rediret, læta ciuitate in vrbem eſt reductus. Eius aduentu Garbagnatus, & Cribellus ad legatum arrepta fuga perfugerunt, Burgundusque Turrianus vrbis præfectus cum Guliermo Ruramonte regio legato pariter euaſit. Sed non multò poſt pontificiæ regiæque copiæ adiunctis Florentinorum auxilijs, & Pagano Turriano Aquileienſis Patriarcha cum gentilibus ſuis ad id bellum euocato, ad Abduam contenderunt, eo conſilio vt ſuperato amne rectà Mediolanum contenderent. Imperij militaris nomen penes Gaſtonem erat legati ex fratre nepotem. Cæterùm Raimundus Cardonius Hiſpanus, Henricusque Flandrius, & Simon Turrianus clariſsimi duces, gerendi belli munia ſuſceperant, cenſebanturq; in eorum exercitu quadraginta millia peditum, & decem millia galeatorũ equitum, ex omnibus ferè Europæ gentibus mercede collecta. Vbi ad flumen peruentum eſt paulò ſupra Tritium vado reperto cum primis equitum agminibus Garbagnatus & Cribellus tranſiuere: tum verò Marcus qui ad id vadum aduolarat, ita primos vrgendo cædendoq; perturbauit, vt ambo duces intercepti, atque agniti, ſæuiente in eos Marco protinus interficerẽtur.

Sed repulsis in amne primis, Florentinorum turma eodem vado tranantes, quo minus reliqui ad vnum interirent, maturè opem tulerunt. At Marcus acerbissimorum inimicorum cæde contentus vti impar viribus, Mediolanum se recepit. Nec multò post ipse Marcus atque Luchinus cum hostilibus ad Tricellam pagum sexto ab vrbe lapide dimidio minore, sed aliquanto promptiore exercitu freti audacissimè, insigni cruentoque prælio conten derunt, nec dubia quidem victoria, nisi graue Luchini vulnus, incumbentis in obuersa iam planè hostium terga, Marci impetum retardasset. Exinde hostes promotis, ad Comensem portam castris Mediolanum per aliquot mensis obsederunt. Interim Galeacius à Ludouico Bauaro Cæsare auxilia equitum impetrauit, venitque Mediolanum Bertoldus Guiffes cum quingentis galeatis equitibus, strenueque aduersus obsidentes multis prosperis eruptionibus res gesta est. Sed hostes cùm vera vi nihil proficerent, ad insidias versi Helueticam cohortem multa pecunia corruperunt, vt quum in statione esset Geleacius reuisens custodias interficeretur. Sed detecto sceleste consilio primus omnium Ioannes frater, tametsi sacris erat initiatus, militari animo captis armis Heluetios adortus, conceptæ perfidiæ pœnas ab eis exegit. Hic est ille qui Archiepiscopus Mediolanensis factus secundissima virtutis fama, maiorum suorum imperium latè propagauit, atque auxit. Post detectam & continuò vindicatam Heluetiorum coniurationem Gastone morbo absumpto, Cardonius & Flandrius desperata victoria, noctu nec conclamatis quidem vasis, Modoetiam sese receperunt, noua auxilia à legato qui Placentiæ confederat, expectantes. Eam enim vrbem Vergusius Landus expulso ex insidijs Actio Galeacij filio, acceptaque pecunia legato tradiderat, propterea Cardonius & Flandrius Modoetiæ planè obsessi ad Vaprium vicum Abduam ponte constrauerant, per quem tutus & expeditus recipiendis commeatibus venturisque auxilijs transitus præberetur. Quo cognito hostium consilio Galeacius eum pontem omnino sibi præcidendum statuit, coniectura iudicans, si eò properaret nihil hostium duces cunctaturos, quin educto exercitu ad tuendum pontem conuolarent, & quam ipse omnibus artibus quærebat conferendæ pugnæ occasionem, non iniquo loco præberent, quòd in eius pontis beneficio, & obtinendi commeatus, & parandæ demũ victoriæ spes omnis posita videretur. Nec sua eum opinio fefellit, Cardonius enim è Modoetia progressus Vaprium, quam hostis optabat nobili prælio facultatem præbuit. In dextro cornu vbi Burgundiones Belgæque erant Henricus curabat, læuo Simon & Passarinus Turriani, Vergusiusque Landus cum Florentinæ alæ ducibus præerant, mediam aciem tenuit ipse Cardonius, Cathelanis & Narbonensibus atque Apulis turmis septus: peditatum autem omnem qui ex Italis & Transalpinis gentibus constabat ita diuiserant, vt inualidis strenui, inermibus loricati miscerentur. Cæterùm Cardonio copias ex Vaprio in patentem campum educente, instruenteque acies Galeacius à diuersa parte vacuum ab hoste vicum inuadi atque incendi protinus iussit, quo incendio auersus hostis adeo perturbatus est, vt respectare & de insidijs intestinaq; perfidia dubitare cogeretur, quũ ex aduerso vexilla Aquilis Viperisq; fulgentia pleno passu appropinquare conspiceret. Nec mora Galeacius & Marcus hostẽ sarcinas suas atq; impedimẽta

ingenti

ingenti incendio in vico pereuntia deplorantem vtrinque inuadunt, Marco primam aciem perrumpente Flandrius aliquandiu reſtitit, ſed eo ſtrato tota eius acies fuſa profligataque eſt. Nec ab altero cornu Galeacij impetum Turrianæ Florentinæque alæ diu tulerunt: media quoque acies à Gaudentio Marliano (is nobilis & vetus miles & dux impiger peditatui præerat) à fronte loco mota turbatis ordinibus in fugam verſa eſt: & Cardonius ad primum incurſum magno à ſagittarijs, & mox ab irruentibus cataphractis detrimento accepto, quòd flammæ deflagrantis vici receptum eriperent, & in vtrunque latus victores fratres vehementer inueherentur, & prærultus amnis ex fuga vadum tentantes primis vorticibus abriperet, viuus in poteſtatem hoſtium deuenit. præfecti Florentinæ alæ pariter capti. Simon Turrianus, Guidonis, qui Mediolani imperium tenuerat, filius interijt: ex minoribus ducibus promptiſsimus quisque aut occubuit aut in manus hoſtium deuenit: vexilla quoque maiora Roberti regis atque pontificis & Florentinorum Turrianorumque relata ſunt: Vnus ferè Henricus Flandrius á Germano equite captus temereque dimiſſus, cum pedes exutus armis totam noctem per ſyluas errabundus effugiſſet, prima luce Modoetiam peruenit, quò Vergusius extremi ſupplicij pœnam timens, quòd Actium Placentia pepuliſſet, ab initio aduerſæ pugnæ cum reliquijs profligati exercitus perfugerat. Ab his ducibus inſtauratum eſt bellum, & Modoetia per aliquot menſes fortiter defenſa, ſed magnis demum operibus circumuallatam oppugnatamque acriter, Vergusius ea conditione dedit, vt niſi iuſtis auxilijs à legato miſsis obſidio ſolueretur, ipſe cum præſidio ſaluis rebus exiret. Iam enim Flandrius deſperatis auxilijs noctu ex oppido profugerat, & Paſſarinus Turrianus quum opem obſeſsis afferre maturaret, à Marco ad Tinioſam turrem, equeſtri prælio fuerat profligatus: à quo etiam paulò antè eadem belli fortuna, Narbonenſium equitum manus ad Caracam ſupra Lambrum, dum ibi negligenter excubaret, oppreſſa eſt: ſed tantis hoſtium copijs aut ferro aut peſtilentia deletis, victor Galeacius præcellenti iudicio vir, ſibi omnino pacem parandam eſſe conſtituit, quòd inexhauſtis rediuiuisque potentiſsimorum hoſtium opibus ſe imparem cerneret, ſæpeque dimicando vires experiri atque inſtabilem fortunam toties laceſſere periculoſum arbitraretur. Erat in cuſtodia Raimundus Cardonius dux hoſtium, vir ſolerti grauique ingenio præditus: hunc idoneum exiſtimans per quem à Pontifice pacem impetraret, carcere emiſit, vſque adeo egregiè ſimulata fuga, vt duo ex intimis familiaribus inſigni nobilitate iuuenes Becalcius Landrianus & Phœbus Contes, elabentem comitati prodidiſſe cuſtodiam putarentur, ſingulari quidem cum infamia & ſummo cum dolore propinquorum, cùm Galeacius eos tanquam admiſsi ſceleris reos per præconem exilio multauiſſet. At Hiſpanus (vti generoſum decebat) ſincera fide cauſam egit, Placentiæ primò apud legatum, & mox Auenionem contendens apud Pontificem, Landriano & Phœbo arbitris, & peculiari oratione probatisq; mandatis ſupplicitèr pacẽ petentibus. Nec abnuit pontifex, quòd eam Cardonius omnino vtilẽ fore diſſerebat, videreturq; ex cõmodo dignitateq; Põtificij nominis, ſi Chriſtiana benignitate clementiaq; inductus, eos in clientelã fideq; reciperet, qui ab eximia virtute Dijs & Fortunæ cordi eſſent,

& vti bellis omnibus inuicti, non temere ab his qui virium periculũ feciſſent, inſuperabiles crederentur. Petebat autẽ pontifex ex conſilio Roberti regis qui ſuper ea re conſultus fuerat, vt poſtquam Galeacius conuerſo ſtudio amicum fidelemque clientem Romani pontificis ſe fore profiteretur, etiam gerendo bello ſocius eſſe eoſdemque hoſtes habere vellet. Sed his vnum Cæſarem beneficiariosque eius excipiens adduci non potuit, vt quicquam polliceretur, quod familiæ ſuæ antiquiſsimo ſtudio indignum cenſeri poſſet. Cæterùm eo modo confecta pace Cardonius iterum magnis exercitibus à pontifice Robertoque rege præfectus eſt, poſtulantibus eum Florentinis, qui à Caſtruccio vehementer exagitati, veteribus innixi ſtudijs Guelpharũ partium nomen magnis opibus tuebantur. Itaque Cardonius ab oſtio Rhodani triremibus Telamonem deuectus, Florentiæ militaris Imperij ſceptrũ ac ſolenne vexillum accepit, & contra Caſtruccium ad Phocenſium paludes caſtrametatus eſt: Phœbus autem & Landrianus ab eo humaniter dimiſsi ad Galeacium contenderunt, quibus protinus priſtinæ famæ decus reſtituit, quanquam confecti negocij arcana tum minimè nudanda viderentur. Eos enim non obſcurè de ſe benemeritos liberali gratoque animo tota ea ſimulatæ perfidiæ ſuſpicione liberandos exiſtimabat, qui nihil ſubeundæ infamiæ nomen veriti, modò iuſsis fideli obſequio parerent, periculoſi officij munus impleuiſſent. Nec demum Galeacius vel Caſtruccio ſibi priuato publicoque nomine coniunctiſsimo, vel ipſis Ethruriæ Gibellinis defuit, quin maturè transmiſsis auxilijs opem ferret. Actius enim filius per Apuanos Ligures Lucam deſcendere iuſſus cum ſeptingentis cataphractis equitibus, magna ex parte Germanis ad Caſtruccium in caſtra peruenit, vſqueadeò opportunè atq; feliciter, vt commiſſa ad Altopaſſum nobili pugna, Cardonius iterum caperetur, & Florentinorũ vexilla cum legatis & ducibus cæſo profligatoque toto exercitu in Caſtruccij poteſtatem venirent. Cæterùm Galeacius qui tantos coniurantium hoſtium exercitus, totq; vario euentu commiſsis prælijs, & parta demum memorabili victoria, inuicto animo cuncta ſuperarat, ad extremum iam vndique victor & felix, propinquorum inuidias effugere non potuit. Leodriſius enim & antè aduerſus Matthæum, & nuper perfidioſa malignitate infamis, atque ideo ſemper inquietus, ex interuallo, vt plerunque accidit, validior ad inſaniam redierat, adauctoque ſcelere Marcum Galeacij fratrem facilè deprauarat, plenum quidem bellica laude, ſed ob id multa ſuperbia, multaque occulti liuoris bile redundantem. Hic ingenij captu ſupra æquum turbidus & ferox, tanquam periculorum omnium ſocius, & totius victoriæ præclarus adiutor fratrem rerum dominum ferre non poterat, vel natu maximum & prudentiæ authoritate potiorem: & quum regnum duos non caperet, quibus modis id aſſequeretur violentus & vecors agitabat. Præbuit autem occaſionem maturando flagitio Ludouici Bauari Cæſaris aduentus, qui euocante Galeacio vt pontificis Roberticque regis & Florentinorum adauctæ potentiæ obuiam iretur, Veronam peruenerat. Itaque Marcus & Leodriſius officij ſimulatione Cæſari obuiam euntes, Veronæ Galeacium multis oneratum calumnijs Maieſtatis rerum fecerunt, conniuente ad id ſcelus Cane Scaligero, qui ex aliena diſcordia turbatis rebus obuentura ſibi commoda vir aſtutus atque ambitioſus

expecta-

expectabat: verum Ludouico Cæsare, á præeuntibus, iterque monstrantibus Marco & Leodrisio per Camonicos tramites Comum perducto Galeacius affuit cum ornatissimo comitatu dona ferens, nouo nec admodum opulenter instructo Cæsari gratissima. Ibi de fraternis insidijs certius didicit, Franchinumque Ruscam Comensium Tyrannum ab se Scaligeri Canis exemplo diductum sensit. Accusabatur atrociter, quòd intempestiuè paran dæ pacis cupiditate adductus Gibellinarum partium graui damno cum pontifice transegisset, Cardonio præsertim tanto duce iniqua plenaque perfidiæ simulatione hostibus restituto: Mediolani verò sublata libertate, propinquis amicisque veteribus planè contemptis, impotenter superbeque regnaret. His quoque summæ offensionis criminationes addiderant: quibus diluendis Galeacius quum vehementer æstuaret, graui admodum voce dixisse fertur, dum me Marcus frater impiè ferit, sese temere consauciat. Id verò deferentibus amicis audiens Marcus acutè respondit: de hoc quid in fatis futurum sit Galeacius viderit, qui ædepol fratrem non habet, quum solus regnet. Sed eam disceptationem Cæsar distulit, Comoque profectus per Modoetiam Mediolanum peruenit, quò Galeacius præcesserat, vt quæ ad solennis pompæ ornatum pertinebant, magnificè atque celeriter appararet. Itaque liberali sumptu & planè regio splendore Cæsar exceptus est, & Calendis demum Iunijs in templo diui Ambrosij ferreo diademate coronatus, tradente insignia Guidone Tarlato Aretinorum Antistite: is in Italia Gibellinarum partium principem agebat. Interfuit & Canis Scaliger, qui mille equites galeatos, & delectorum peditum aliquot cohorres ad ornandũ Cæsaris comitatum adduxerat, vt studium suum erga eum ostentaret. Hic profunda ambitione incensus, oblata ingenti pecunia petebat à Cæsare vt Mediolani augustali iure princeps diceretur. Etenim magno astu apud proceres Germanorum, Galeacium vel nullo certo indicio maiestatis reum, nec adhuc ad dicendam causam ad tribuual Cæsaris vocatum maligno iudicio prædamnabat. Sed Cæsar graui admodum ancipitis consilij suspensus cura, quid sibi decernendum foret non videbat. Ita Scaligero respondit, vt spem ei non præcideret, & præsentibus eius copijs ad parandum facinus vteretur. Interea dabat operam vt Germanici sanguinis vetus miles perpetuis sti pendijs & beneficijs Galeacio obstrictus, vel ab ipsa Matthæi Magni Othonisque memoria fidem mutaret, nouumque sibi reiecto superiore sacramentum diceret: equum enim postulare videbatur, quum pro sua & Germanicæ gentis dignitate saluteque peteret, vt firmissimo consensu Aquilam Romani imperij signum respicere, idque tueri, & se proficiscentem Romam sequi vellent: futurum enim breui vt & opima stipendia & digna ipsorum fide præmia consequerentur. Nec mora Germanis graui scelere, nisi id præsentia Cæsaris eleuaret, fidem occultè mutantibus concilium solenne proceribus indicitur: vocaturque ad id Galeacius cum fratribus Actioque filio. Tum verò Marcus prodit, venenumque dirum domui sibique demum lethale euomens petit supplex, vt æqui iuris libertatem ciuitati restituat, oppressam & planè extinctam inusitata tyrannide superbi fratris. Idque si æquissimus Cæsar impetrari á miseris pateretur, Mediolanenses quantam oportere in stipendium pecuniam prebituros, nec à fide atque amicitia Cæsarum

vllo vnquam tempore diſceſsuros. Aderat fortè perſoluendi ſtipendij dies, & eam pecuniam Galeacius exhauſto iam planè ærario, cui per tres menſes Cæſar auiditate inſatiabili grauis & importunus extiterat, non niſi cunctan ter expediebat, quam ſine graui diſcrimine tanta oneratus calumnia imperare non poterat, patritijs iam planè Marci & Leodriſij malignitate depra uatis, populoque per ſe cupido rerum nouarum ad ſpem libertatis erecto. Cæterùm Galeacium obiecta crimina refellentem, ex compoſito prætorij præfectus, itemque Luchinum Ioannemque fratres Actiumque filium in proximum cubiculum deducit, quaſi Cæſar remoto reo liberius loqui vel let. Sed iam ad eum modum captis Cæſar capitale ſupplicium comminatur, niſi triduo Modoetianam arcem tradi iubeant. Id autem à forti fidelique cu ſtode vix multis cum lachrymis impetratum eſt, quum in tanto coniugis periculo trepida Beatrix vxor Modoetiam peruolaſſet. miſſus eſt qui dedi tam arcem reciperet, nouumque præſidium imponeret, Guido Tarlatus: bi duòque poſt Nonis Iulijs Galeacius cum Actio filio Luchinoque & Ioanne fratribus in ea arce duræ cuſtodiæ traditur, non omnino iniqua ſorte, vt fa brefacti paulò antè ab ſe tetri carceris furnum, ita à depreſſa teſtudine vo catum primus experiretur, quem aduerſarum partium captiuis ad pœnam parauiſſet. Verùm eam illis calamitatem vehementer auxit cuſtodiæ præfe ctus è Norico Antius Rizaccus, ingenio ita immiti erga miſeros tantæ mo dò fortunæ principes, vt nec quotidianis muneribus emollitus, quicquam de inhumana feritate remitteret. Mirum id profectò fuit, quum rerum do mini tantis muniti præſidijs dolo caperentur, neminem ſe commouiſſe: pau ci enim ex his qui aderant, id factum ſenſerunt. Etenim quis perpetuum at que acerrimum Cæſariani nominis defenſorem, ab ipſo Cæſare ſummis pre cibus in Italiam euocato, tantisque officijs atque muneribus exculto in eam calamitatem detrudi potuiſſe credidiſſet? cum præſertim nulla in Cæſare, vel alienati animi, vel commutati vultus ſigna præceſsiſſent: nec in damna to verius quàm reo vllus omnino metus ex conflata calumnia, ſi ingenuum æſtuantis animi ruborem demeres, conſpiceretur? Sed potiundi auri dira cu piditas, quæ in Ludouico profunda infinitaque apparuit, accuſante Marco & immodica pollicente, vehementer excitata, & veteris clientelæ, & recen tis officij, & hoſpitalis amicitiæ iura facilè diſſoluit. Sequenti enim die aſtu to Cæſaris conſilio viri inſignes vigintiquatuor è ſingulis tribubus regendæ Reipublicæ creati ſunt, imaginem antiquæ libertatis: ſed imperata ſubinde eſt pecunia honorarij ſubſidij nomine, & ea quidem multò amplior quàm à Galeacio popoſciſſet. Nec multò poſt qui ſummæ rerum publicoque con ſilio & tutelæ vrbis præeſſet, cum delecta manu Germanorum delectus eſt Guliermus Monfortius. His rebus Mediolani cõſtitutis, Cæſar Vrceos Bri xiani agri oppidum contendit, vbi conſilium indixerat euocatis vndique ſo ciarum vrbium tyrannis. Ibi ad leniendam inuidiam atrocis facti literas pro tulit, concepti cum pontifice fœderis indices, captis, vt dicebat, Galeacij tabel larijs, interceptas, quas tamen plerique commenticias & falſas exiſtimarunt, vt Villanus Florentinorum annalium eius ætatis ſcriptor, vel ex profeſſo Vicecomitum nomini infenſus, ſcriptum reliquit. Iam Gibellinæ factionis principes inexpectata Galeacij calamitate tanquam communi malo atque

periculo

periculo conſternati, Cæſarem non obſcurè oderant, ingenio ſuſpicaci, ac ſæ uo, maximeque rapaci partium neruos atrociſsimè conuellentem: verùm paucos poſt dies impetratis à Scaligero & Ateſtino Paſſarinoque Mantua- no equitum auxilijs Romam iter intendens in Etruriam deſcendit. Piſani ei portas clauſere, nec Cæſaris expilantis ſocias vrbes, dicto audientes futuri vi debantur, niſi Caſtruccius à quo Cæſar amiciſsimè receptus, pecuniaque ad- iutus fuerat, nouo adiuncto exercitu, Piſanis extremas ſuburbani agri clades denunciaſſet. Cæterùm Cæſar Piſanis pecunia multatis, aſcitoque ſibi Ca- ſtruccio, via Aurelia quæ maritima dicitur, Romam contendit. Nec mora inſigni ſtudio Sarræ Columnæ, Iacobique Sabelli in Vaticano coronatur, tradente diadema Petro Coruario, quem cœnobio eductum pontificiaque thiara exornatum, Nicolai Quarti nomine pontificem appellarant, vt in Vr be Ioannis legitimi pontificis authoritas aboleretur. Ludouicum enim Ba- uarum Ioannes, Roberto regi fœdere coniunctus, tanquam Gibellinarum partium præcipuus hoſtis, Pſeudocæſarem appellabat, quem & anathemate perculerat. Romanus quoque populus præſentem pontificem colere quàm venerari abſentem malebat, vel ob id inuiſum, quòd multis legationibus e- uocatus, Auenionem ſacroſanctæ Vrbi prætuliſſet. Dum hæc fierent, Ca- ſtruccius quem antea Lucenſium & Piſtorienſium Lunenſiumque ducem Cæſar appellarat, accumulatis honoribus Senator Vrbis, Comes Lateranus, & Ceſareæ Aquilæ vexillifer effectus eſt. In eo tum vno Cæſaris ſpes opéſ- que ſitæ erant: quoniam nemo eo vel acumine ingenij, vel conſilij grauita- te validior fuit: quum etiam cæteris eius ætatis ducibus in omni gerendi belli negocio fortuna felicior haberetur. Is maximis officiorum vinculis fa- miliæ Vicecomitum obligatus nullam prætermittebat occaſionem, quin Galeacium Cæſari commendaret, oraretque ſupplex, ne diutius Guelphos Romani imperij capitales hoſtes, præſtantiſsimi viri calamitate lætari pate- retur. Verùm Cæſar ne inſontibus iniuriam temerè feciſſe videri poſſet æ- quo durius reſpondebat, quanquam Sarræ & Sabelli maximæ authoritatis & gratiæ procerum continuæ preces adderentur: & Marcus admiſsi ſcele- ris pœnitentia adductus caſtigante atque exornante Caſtruccio à vetere di- ri odij inſania diſceſsiſſet, peteretque excuſis ingenuo pudore lachrymis, vt exutis imperio fratribus ſaltem cum libertate vita redderetur, quæ in eo car cere breuiſsima cenſeri poſſet, niſi Cæſar clementiæ nomine ſatis pœnarum eos pro vetere ſuperbia, ex beatiſsimis factos mortalium omnium miſerri- mos, dediſſe exiſtimaret. Dum Romæ tantis deprecatoribus ad miſericor- diam Cæſar inducitur, Caſtruccio nunciatum eſt Florentinos Piſtorium vr- bem paucorum ciuium proditione in poteſtatem redegiſſe. Quare veheme- ter perturbatus, nec obſcurè Cæſari ſuccenſus, quòd aliquanto grauior ho- ſtis Gibellino quàm Guelpho nomini præpoſteris conſilijs euaſiſſet, abdu- cto ſuo milite ad recuperandam amiſſam vrbem magnis itineribus Lucam contendit. Eius viri diſceſſu permotus Cæſar, quòd pecuniæ inopiæ preme retur, nec Romani in ea expedienda prompti eſſent, & propinque Vrbi ciui tates inteſtino bello laborarent, Robertique regis exercitus ab Aquila & La tio Romanis finibus immineret, animi ſententiam mutauit, perſcriptiſque literis Antio Riſaceo, Medoetiane arcis cuſtodi, Guliermoque Monfortio

Mediolanenſi Reipublicæ præpoſito, Vicecomites cuſtodia educi, priſtinæque libertati reſtitui iuſsit. Itaque Galeacius cum fratribus filioque quum à Nonis Iulijs ad ſextum Calendas Apriles in prædura cuſtodia fuiſſet, incredibili veterum amicorum lætitia, Modoetianorumque inſigni gratulatione liberatus eſt, ea conditione, vt diſcedenti ab Vrbe Cæſari, honoris cauſa Piſis occurrerent. Sed Galeacius curato corpore inſtructaque ad profectionem vetere familia, atque aſcitis ex numero veteranorum lectiſsimis centurionibus equitumque præfectis nihil antiquius habuit, quàm vt ad Caſtruccium, tanquam ſalutis, partæque libertatis præcipuum authorem, ad agendas gratias, communicandaque conſilia in Etruriam contenderet. Is tum Piſtorium circumuallatum prælatis aggeribus graui obſidione premebat: ea belli ratione, vt imitatus Cæſarem dictatorem ad Alexiam, retento intra munitiones exercitu, vtrinque vallo foſſaque munitus, eruptiones facilè ſuſtineret, nec exteriores hoſtium copiæ quanquam eſſent ampliſsimæ, adoriri munitiones auderent: vbi ingentes baliſtas quæ tum erant pro æneis tormentis, atque item maiores ſcorpiones in æditis aggerum propugnaculis peritiſsimè collocarat. Is venientem Galeacium arctiſsimè complexus, quòd eum vnicè adamaret, atque in eo ex tot rebus bellicis fortiter atque feliciter geſtis animi magnitudinem admiraretur, omnibus copijs abſoluendisque operibus præfecit. donec ipſe ad explicandas erarij difficultates Lucam profecturus, confecto ibi negocio, in caſtra reuerteretur. Eo itaque non multos poſt dies reuerſo, munitiones mirificè adauctas laudante, ita inter ſe comparârunt, vt Galeacius interiores munitiones aduerſus erumpentes circumpoſitis nocturnis diurnisque ſtationibus tueretur, ipſe exteriores obuertendo vrbi terga cum multo maxima copiarum parte defenderet. Nam Florentini duce Philippo Sanguineto Gallo, qui Piſtorium ex inſidijs ceperat, ac Beltramone Baucio (is erat pontificiorum equitum magiſter) ſupra numeroſum peditatum, ſeptem millia galeatorum equitum in conſpectum obſeſſæ vrbis adduxerant, aſsiduo tubarum clangore Caſtruccium ad pugnam prouocantes, quòd ſubire aggeres aut perrumpere conari, à peritiſsimis eius ætatis ducibus defenſos, tum auſu ſtultum, tum euentu luctuoſum fore exiſtimabant. Nec multò poſt Florentini inde copias in Piſanum & Lucenſem agrum vertentes diſceſſerunt, vt Caſtruccius vicorum ſuorum incendijs permotus, Lucenſibus opem ferre cogeretur. Sed degeneris conſilij conatum irridente Caſtruccio, atque identidem ignauiam exprobrante, Piſtorienſes ita animis concidêrunt, vt deſperatis omnibus auxilijs ſe dederent, ea conditione, vt niſi ſociorum exercitus intra quintum diem, aut iuſtam commeatus copiam inferret, aut prælij fortunam experiretur, ipſi continuò vita incolumes ſaluo etiam præſidio portas aperirent. Dum hæc agerentur vehemens atque lethalis morbus Galeacium inuaſit, exuſtum ſcilicet Auguſti menſis ſolibus, perpetuisque laboribus diuturnæ obſidionis fatigatum: nihil autem de ſæuo impetu febre remittente, vt commodius opportuna remedia pararentur, ad Piſciam oppidum lectica delatus eſt. Ibi eum triduo poſt abſumpſit morbus, quum impleſſet alterum & quinquageſimum ætatis annum. Videri hercle potuit infelix ex tanta vtique fortuna collapſus, niſi viro ad victorias nato, vel exuli, in ipſa victoria mori contigiſſet. Funeratus eſt Lucæ miro ſtu-

dio

dio in eum ſupremos honores conferente Caſtruccio. Tumulum autem hoc epigrammate Poeta eo rudi ſeculo, non inſulſus honeſtauit.

Hic iacet in parua maiori dignus at vrna.
Sanguinis Anguigeri Galeaz et gloria belli
Magnanimus, contemptor opum, formaque decorus.
Extulit hunc virtus, mala ſors mox fortiter vrſit:
Quam rurſus vincens, ſimul & virtute refringens
Victor decedit, felix & in aſtra recedit.

Nec ipſe quidem Caſtruccius diu victoriæ ſuæ gloriæque ſuperfuit: ingruente enim peſtilenti autumno ex hiſdem Piſtorienſis belli laboribus, accerſita febre intra vigeſimum diem Galeacij fatum eſt conſecutus: vir haud dubiè antiquis ducibus bellica virtute comparandus, niſi Tyranni nomen ex atrocibus factis inuidiæ expoſitum, vel præcellentis virtutis famam facilè prægrauaret. Exceſsit è vita tribus annis Galeacio minor, ita vt ad conſummati Imperatoris exiſtimationem, niſi præmatura fata vitæ curſum præcidiſſent, peruenturus eſſe crederetur. quanquam Macchiauellus Florentinus improbè corrupta hiſtoriarum fide in eum præferocem patriæ ſuæ hoſtem impudentiſsimè iocatus, dum eius vitam commentitiè laſciueque contra veritatem ad riſum, nauſeamque perſcriberet, id vnum maligne contenderit, vt Nicolai Tegrimi Lucenſis ſinceriſsimè cuncta de Caſtruccio latinè enarrantis, ſpectata authoritas interpoſito mendacio apud poſteros eleuaretur.

ACTIVS
SIVE LIBER IIII.

ACTIVS vigore bellico & prælto conſtantis ingenij ſpiritu patri Galeacio facilè par, efficaci verò prudentia & longa infracti animi fortitudine auo Matthæo perſimilis, collapſam familiæ fortunam admirabili virtute reſtituit, tanta quoque felicitate vt recuperato dominatu, imperij fines paucis annis late protulerit. Sed ab initio multa ei aduerſa obuenere: nam in exilio natus & educatus, pueritiam ſimul & adoleſcentiam nulla certa cum laude tranſegit. Poſtremò iam planè vir Placentiæ in præſidio à patre relictus, quum is perditis propè rebus opem ferens Mediolanum conuolaſſet, eam vrbem tantis laboribus partam vnius horæ momento amiſit, occupante Verguſio Landa, qui valida legati Cardinalis ala equitum, & magna exulum manu

fretus

fretus irruperat, vitatis quidem diuerso itinere Actianis copijs, quæ aduersus aduentantem exierant: tanta porrò irrumpentis Verguſij celeritas fuit, vt Actius breue ad fugam ſpatium nactus, egrè hoſtium manus euaſerit, adiuuante præſertim matre, quæ tam ſubito quàm ſalutari conſilio, effuſis in limine domus aureæ monetæ ſacculis intrantes, dum eam auidè colligerent aliquandiu morata fuerat. Erat Verguſius vir bello acer, ſed ab ingenio maximè turbido ſemper inquietus, qui tametſi Gibellinæ factionis erat princeps, commutata voluntate ad legatum perfugerat, quòd Galeacius vxoris eius pudicitiam procacius pertentaſſet. Verùm Actius collectis copijs ſuis & Ferrarienſium Mantuanorumq; opibus adauctus, Sancti Domnini oppidum in poteſtatem redegit, accurateque bellicis operibus id muniens, aduerſus hoſtes egregiè defenſo oppido bellum geſsit, vſque ad id tempus, quo Galeacius poſt deuictum captumque Cardonium & deletas eius copias, Modoetiamque receptam Caſtruccio opem imploranti auxilia in Ethruriam tranſmiſit. Florentini enim nouas equitum alas ex vlteriore Gallia mercede conduxerant, coniunctisque Roberti regis & pontificijs copijs, Cardonium qui nuper dimiſſus à Galeacio ad pontificem peruenerat, ingentis exercitus Imperatorem effecerant, ita vt Caſtruccius ſibi timere, & opem à ſocijs Galeacioque in primis & Paſſarino Mantuano Canequè Scaligero implorare cogeretur. Quam ob rem coactis iam auxilijs Actium parantem ſibi iter ad Apenninum vt in Ethruriam tranſcenderet, in Sancti Domnini oppido aliæ atque aliæ Florentinorum & legati copiæ acriter obſederant, vt deiectus ſpe auxiliorum Caſtruccius, priuſquàm ei ſuccurri poſſet, à Cardonio circa Focenſium paludes opprimeretur. Sed magno cum dedecore obſidentiũ, illatus eſt in oppidum commeatus, & recentes demum cohortes, & ſociorum equites intrarunt. Actiusque eductis ſignis detrectante certamen hoſte, cum octingentis galeatis equitibus per Apuanos Ligures ad Caſtruccium contendit vſque adeo opportunè, vt quum collatis caſtris prælium differri vltrà non poſſet, Caſtruccius eius aduentu magnopere lætaretur, & Cardonius triſte omen acciperet, quum fatales ſibi Viperas in vexillis fulgentes aſpexiſſet. Tum quoque lætum de ea victoria augurium Actio obuenit, ſicuti à Franciſco Petrarca his verbis ſcriptum legimus: Actius Vicecomes, qui poſtea Mediolani dominium obtinuit, iuuenis nempe victorioſus, antequam à podagris vinceretur iuſſu patris profectus cum exercitu Apenninum tranſijt, & victis hoſtibus apud Altopaſſum, duce quidem Caſtruccio, ſed egregia opera eius adiuto, ad vincendum Bononienſes pari impetu fortunaque ſe conuertit. In ea expeditione dum fortè equo deſcendens requieſcit, ingens vipera nullo comite aduertente in galeam iuxta poſitam irrepſit, quam quum mox capiti reponeret, ſinuoſo quidem & horribili, ſed prorſus innocuo lapſu per decoras interriti ducis genas illa deſcendit. Eam à nemine lædi paſſus animoſus adoleſcens ad omen geminæ victoriæ traxit, hinc præcipuè quòd ipſe pro ſigno bellico vipera vteretur. Nec multò poſt commiſſa eſt ea nobilis pugna ad Altopaſſum, in qua victor Caſtruccius præclara virtute Actij adiutus, vniuerſas hoſtium copias deleuit, captis fermè omnib. ducibus, ipſoque Cardonio Imperatore cum filio in poteſtatẽ redacto, &

direptis castris: Quibus captiuis & spolijs aliquanto post splendidissimum Romano more triumphum adornauit: qua in pompa ducti ante currum Cardonius Vrlimbacaque Germanus, & Guliermus Narseius Gallus, & plerique illustres Gotholani & Narbonenses equitum præfecti cum legatis Florentinis, gratissimum Lucensi populo spectaculum præbuerunt. Sed Castruccius statim ab Altopasso victoria vtendum ratus, victrices copias Florentiæ mœnibus admouit, suburbanas delitias in oculis hostium euastans, & pleraque ædificia incendens. In ea expeditione Actius Florentinis è muro spectantibus, ludos equestres in Arni insula edidit, proposito ad præmium velo serico purpurei coloris, vt reddito contumeliæ talione Florentinis illuderet, qui similes decursiones Mediolano obsesso ante Comensem portam iactanter ediderant. Inde verò Actius spoliorum parte magnificè donatus, Ethruriæ finibus excedens in Mutinensi agro Passarini Mantuani, Atestiniq; Ferrariensis copijs se coniunxit, aduersus Bononiensium exercitum legati aut spicijs Mutinæ Regioque imminentem. Nec multò post circa Scultemnam profligatis hostium copijs, alteram Ethruscæ penè parem victoriam est consecutus: atque inde ad patrem geminata cum laude Mediolanum contendit. Insecutus est annus, diro Ludouici Bauari Cæsaris aduentu, Vicecomitum familiæ, & toti penè Italiæ infaustus, quo Actius eandem quam pater patruique indignè subierunt, carceris fortunam tulit. Cæterùm expiata inuidia, cum patre patruisque libertati restitutus, quanquam immaturo Galeacij patris interitu, atque importuna Castruccij morte angeretur, accisasque spes propè omnes noua atque inopinata calamitate conspiceret, nihil tamen (vti Magni Matthæi nepotem decebat) sese animo demisit, quin ad fortunam pertinaci virtute subleuandam cuncta experiretur. Summa consilij hæc fuit, vt datæ fidei non deesset, ab vnoquoque Cæsare à quo vulnus acceperat præsentis remedij opem supplicíter peteret, postquam Marcus patruus infami suo consilio deceptus, perosusque non obscurè Cæsarem, non dubiè imperij decus, Gibellinique nominis opes vel parua ab hostibus accepta pecunia passim euertentem, ad sanitatem redegisset: eo enim deprecante Cæsar post subirati Castruccij ab Roma discessum, fratres carcere eduxerat, territus vtique aduersarum partium secundis successibus, & non obscuro conscientiæ pudore vehementer timens, ne socij clientesque deficerent. Itaque Actius cum Ioanne patruo ad Cæsarem Pisas profectus, post multa colloquia, egregiè nauaute operam Marco, Cæsaris animum inflexit, promissaque pecunia ad summam quindecim myriadum, vt paterni imperij princeps appellaretur, impetrauit. Erat tum Cæsar multis aduersis rebus, & super hæc extrema pecuniæ inopia circumuentus. Roberti tum regis copiæ Bertholdo Vrsino duce Cæsarianos præfectos vrbe Roma expulerant: Ioannis pontificis authoritas studio Iacobi Columnæ apud populum vigebat: Gibellinorum studia magna ex parte refrixerant, quòd Syluestrium Chattum Viterbij partium principem indignè torsisset, vt eius pecunijs, quæ ingentes esse dicebantur, summa cum iniuria potiretur. Sed Cæsarem grauis metus incesserat, quòd Germani Saxones, & Chatti validissima pars exercitus, consternati animis, & stipendia debita flagitantes à Vindelicis & Sueuis secesserant, cum quibus antea apud Velitras cruenta seditione

ne contenderant: & tum fortè renouato odio ſpretoque Cæſaris imperio Piſanorum & Lucenſium agros impunè prædabantur, caſtríſque demum in Ceruleo monte poſitis, qui ſupra Viuianum, iampridem à Caſtruccio per munitus ad agendam prædam magnas habet opportunitates: eò terroris & fœdæ calamitatis circumiectam regionem adduxerant, vt incolæ incendiorum metu commeatum, veſtem, & caſtrenſia inſtrumenta conferre cogerentur. Nam paulò antè in Lucenſi Camaioris oppidi incolas, quòd irrumpentibus aliquandiu reſtitiſſent, direpto incenſoque oppido crudeliſsimè trucidarant. Timebat quoque Cæſar, ne ea manus quæ octingentis armatis equitibus conſtabat, vtpote quæ nullo pudore defeciſſet, tanquam planè venalis ad Florentinos opima ſtipendia pollicentes deficeret: quibus de cauſis facilè cum Cæſare tranſactum eſt, vt Marcus ad Saxones mitteretur. Is Actianæ pecuniæ dimidiam partem ex præteritis ſtipendijs à Cæſare debitam promitteret, interim apud eos datæ fidei obſes foret: altera pars Ceſaris procuratoribus Mediolani certis penſionibus numeraretur. Non abnuit conditionem Marcus, vt priori maleficij inuidiam nouo officij genere deliniret: auideque à Saxonibus tantæ pecuniæ vades receptus eſt. Addidit quoque Cæſar perſcriptis obſignatiſque codicillis nouum munus, vt magis ac magis Vicecomites ſibi obſtringerentur, quum veteres iniurias accumulatis beneficijs expiandas exiſtimaret. Ioannes enim Actij patruus à pſeudopontifice Nicolao, ſuffragante Cæſare in ſenatu Cardinalis creatus eſt: ſed vir ille ſummæ grauitatis atque prudentiæ gratias agens beneficium quidem agnouit, ne ſpernere videretur, verùm vſu purpuræ galeríque honore ſemper abſtinuit, non obſcurè in gratiam Ioannis legitimi pontificis, inſigni quidem ipſius cum laude commodoque: nam ei epiſcopatum Nouarienſem poſtea contulit: quo permutato demum cum Aycardo Camedoio, Mediolanenſis Archiepiſcopus effectus eſt. Actius & Ioannes Piſis profecti diplomata Cæſaris Modoetiam detulerunt, quòd eos Guliermus Monfortius liuoris plenus magnis obuiam euntium ciuium gratulationibus paſsim exceptos Mediolano recipere noluiſſet, ſed eius cunctationem præbita pecunia celeriter reſoluit: atque ita Monfortius dolore amiſſæ prefecturæ percitus, in Germaniam reuerſus eſt. Exinde Actius à veteribus amicis clientibusque & ex publico ciuitatis erario pecuniam mutuò ſumpſit, quæ preſenti Cæſaris procuratori ſolueretur. Is erat Conradus cognomento Porcarius rapaci ingenio togatus miles, atque ob id facilè fidei pudoriq'ue pecuniæ lucrum anteponens. Accepta enim quarta ferè promiſſæ totius pecuniæ parte in Germaniam perfugere, quàm ad Cæſarem reuerti maluit. Eius potiundæ pecuniæ ſpe deiectus Cæſar, exacerbatiſque propterea Saxonibus, efferato animo vt vndique corraderet pecuniam, graue auri pondus Piſanis imperat: Raimundum Cardonium auro ſe redimentem, prætioque nobiles aliquot Florentinos cuſtodia educit: Caſtruccij vxori pretioſa mundi muliebris ornamenta aufert: Caſtruccij filios Piſarum dominatu ſpoliatos Luca extrudit: & Franciſco Intelminello accepta ab eo grandi pecunia, vrbis principatum adiudicat, Piſisque diſcedens Mediolanū contendit. At Mediolanēſes immanis auaritiæ Tyrannū ſe recepturos negant: eo modo excluſus ad Modoetiā iter vertit. Id oppidum Actij præſidio tenebatur: quamobrem oppidani fortunis ſuis

Mediolanenſium exemplo non temere timentes, venienti portas occludunt, nec per arcem aditus in oppidum datur, quòd Lambrus amnis intumuerat, & ſi qui vadum tentarent, profluente mergebantur. Eo modo Cæſar ludibrio habitus, quum infamis auaritiæ pœnas daret, Papiam deflexit, vbi ab Actio collata pecunia facilè delinitus eſt. Nec multò poſt quum per ſocios vrbes prædabundo ſimilis vagaretur, nec conſilijs ſuis dignum Cæſaris nomine exitum reperiret, Gibellinis pariter & Guelphis odioſus, in Germaniam rediit. Interea Saxones in monte Ceruleo Marcum audaci ingenio fortia quæſtuoſaque conſilia atque ob id grata militibus explicantem, admiratione virtutis ex obſide captiuoque ducem ſibi creauerunt. Is ante omnia Henricum & Valeranum Caſtruccij filios graui ingrati Cæſaris iniuria Luca pulſos, & in proximo exulantes Germanis conciliat, & per eos occupandæ Lucæ conſilium init. ab his auguſtæ arcis cuſtodes, quòd erant Germani, veteres Caſtruccij milites facilè oblatis præmijs corrumpuntur, vt impro uiſus in vrbem pateret introitus. Nec mora, Marcus ad conſtitutam diem à Ceruleo monte cum Saxonibus Lucam noctu peruolat: vrbs capitur: Franciſcus Intelminellus à Cæſare ad Principatum euectus, profligato eius præſidio aduerſa porta profugit: contrariæ factionis ciuium domus in prædam vertuntur, ſedatoque mox tumultu per nouas acclamationes, Caſtruccij filijs paterna ſedes reſtituitur. Tanta re feliciter patrata ditatisque militibus, Marcus fortuna vtendū ratus, cū Fatio Donoratici Regulo, qui Piſanæ nobilitatis erat princeps conſilium ſuſcepit reſtituendæ Piſanis libertatis, & vti inde Cæſariani præſides pellerentur. Nec voto defuit euentus: Marcus enim cum valida manu equitum Luca profectus, Piſis à Fatio recipitur: ingens prælium excitatur, continuoque Ponte vetere Cæſariani in vlteriorem vrbis partem protruduntur: libertatis nomen armati populi vocibus attollitur. Ipſe Tarlatus Aretinus à Cæſare Piſis præfectus, vbi ſe à Saxonibus circumuentum, ſuosque profligatos videt, pontes occupatos expugnare conatus, cum ea præſidij manu quæ ſupererat, deſperatis rebus vrbe exceſsit. Tum verò Piſani á Ioanne pontifice interdicti ſacris, expiari promeruerunt, quòd à Cæſare ab eo damnato defeciſſent: traditusque eſt ab eis conſenſu publico Nicolaus pſeudopontifex, quem diſcedens Cæſar Fatio commendarat. Is demum pontificijs triremibus Auenionem deuectus infelix, & alieno potius quam ſuo crimine miſer, in tetra cuſtodia perijt. At Marcus à Piſanis Fatioque vti præclarus author libertatis magnis muneribus liberaliter donatus, vbi ſe honeſto euentu è manibus Saxonum explicatum videt, maiora ſibi agitanda ratus, accepta fide Florentiam contendit. Offerebat Octouiris qui Reipublicæ præerant Saxonum nomine Lucam vrbem, ſi octuaginta millia aureorum perſoluerent, ea conditione vt ſub fide publica Caſtruccij liberis honeſtus in patria locus relinqueretur. Interim vt bona fide pecunia repræſentari poſſet, Saxones in Auguſtam arcem Florentini militis præſidium acciperent, & ex numero præfectorum inſignium obſides darent. Erat eius comparandæ tantæ vrbis facultas Florentino populo longè gratiſsima, ſed quo minus decretum fieret, factioſi ciues Simone Toſa principe vehementer impediebāt, obtrectatione eorum laudis inducti qui eam occaſionem non prætermittendam ſuadere conabantur, quum ſupra ærarij difficultates

Marco

Marco tanquam veteri infensoque hosti, atque ipsis præsertim fluxa fide Germanis, tanto amittendæ pecuniæ periculo, minimè fidendum differerent: nec tyranni liberis, qui atrocissimi nuper hostes extitissent, parcendum arbitrarentur. Sed non deerant ciues vti publicæ dignitatis augendæ studiosi, amantesque patriæ, qui eam pecuniam ex priuatis opibus in eius vrbis coemptionem liberaliter offerrent, modò ipsis Lucensium vectigalia non iniqua licitatione in triennium addicerentur. Interim à Marco acciti primores Saxonum Florentiam venerunt, & in his Bambergus Regulus, & Arnaldus castrorum magister, vt coram Octouiris de obsidibus & pecuniæ summa transigeretur. Verùm inuidia & conceptus inter altercantes patritios importunus liuor, populi votum decora proculdubio atque vtilia cupientis, interrupit. Nec multò post Saxones irrisa tum & mox punita Florentinorum cunctatione, vrbem Lucam ipsamque Augustam arcem integrumque in ciuitate dominatum Gerardino Spinulæ Liguri vendiderunt, tanto cum dolore indignantis populi Florentini, vt in Simonem Tosam penè coniectis lapidibus omnes ordines inueherentur. At Marcus iam non obscurè Actio subiratus, quòd ad se redimendum pecuniam nequaquam liberaliter ac diligenter expendisset, ad fatalem veteris odij atque insitæ ambitionis insaniam redierat, vsque adeo, vt se pontificis Roberticque regis & Florentinæ reipublicæ clientem futurum iuraret, si ad pellendum Actium auxilijs atque pecunia iuuaretur. Sperabat enim Saxones qui iam planè à Ludouico Cæsare defecissent, nomen eius omnibus bellis illustre ad opima stipendia nouamqua prædam continuò secuturos. Hoc concepto scelere, fœdereque percusso, cum per triginta dies Florentiæ viros nobiles & militiæ claros quotidianis epulis liberaliter excepisset, & vti erat excelso corpore præaltoque animo & facundia insigni, dignus paterno imperio videretur, pro lautijs mille aureis liliatis publicè donatus Bononiam contendit: proficiscenti autem additus est comes prætoris filius, qui ciuis erat Bononiensis: hunc iuuenem Octouiri ingenio apprime validum delegerant, vt ab eo Marcus ad legatum deduceretur, eoque arbitro cuncta ordine quæ Florentiæ promissa constitutaque fuerant, iterata sacramenti fide confirmaret. itaque magna spe inflatus à legato Bononia discedens Marcus Mediolanum peruenit, exceptusque est ab Actio & fratribus multo cum honore & lætis vtique vultibus. Sed dum in rem suam nouandis rebus clientelas exploraret, tentaretque veteres amicos, & turbido atrocique animo consilia aspera ad inuadendum dominatum agitaret, ab Actio & Luchino Ioanneque nefariæ temeritatis cogitationes facilè deprehenduntur. iam enim vesano vultu oreque identidem querebatur, quòd se tam diu contra fidem datam apud barbaros sæuosque homines reliquisset: & fortè tum seipso amarior atque turbidior erat effectus, quo adamatam nobilem fœminam è matrimonio Othorini Vicecomitis impudenter abreptam, subita concitatus iracundia apud Rosatum in profunda arcis fossa demersérat, quòd illa lenitate mulicbri mentita partum, sibi alieni ventris puerum suppositisset. Sed eam ab eo flagitio ita oderat, vt necatam impotenti amore percitus sera deinde præcipitis vindictæ pœnitentia deploraret, indeque nouus perturbatæ menti furor adderetur. Eo modo Actius patruique

ex multis indicijs quid Marcus agitaret, molireturque non obscurè diuinantes, cùm in vnum summo consensu conspirarent, vitandam omnino diræ beluæ rabiem, vindicandumque prioris perfidiæ immane facinus statuerunt. Nec mora Marcus in arenæ curia post epulas in cubiculum colloquendi simulatione deductus, à delectis aliquot prætorianis comprehenditur, elisisque linteo faucibus strangulatur nullo ex eius nece tumultu exorto, quum proiectum cadauer è fenestra in publicum nemo lugeret, & tanquam sponte præceps datus, sumptuosis honestatus exequijs ad Eustorgium sepulchro maiorum inferretur. Florentini verò prætoris filius vel totius consilij conscius & funesti exitus spectator ab Actio benignè dimissus est. Nec multò post Ioannes Bohemiæ rex, qui Henrici Cæsaris filius, & Caroli IIII imperatoris pater fuit, cum valido exercitu in Italiam descendit, neque Ludouico Bauaro Cæsari planè hostis, neque Guelpharum partium amicus. Bergomates primi eum receperunt: nec Actius dubitauit, quin amicitiæ quæ maioribus suis cum Henrico patre præclara fuerat, renouandæ causa ad Bohemum trans Abduam contenderet, munera deferens vtroque dignissima. Auxit existimationem Bohemo id Actij officium, & Actius ex eo colloquio confirmatæ potentiæ apud socios pariter atque hostes opinione retulit, eo euentu, vt à Vercellensib. ad ciuitatis imperium vocaretur. Nec multò post Bergomates à Bohemo præsidij iniurijs exagitati, ad Actium defecerunt. Ioannes enim ingenti cursu Brixia, Cremona, Papia, Parma, Regio, atque Mutina potitus superato Apennino Lucam occuparat, Gerardino vrbe eiecto, & Florentinis copijs quæ Beltramone Baucio duce Lucam obsederant longè summotis. Is rerum successus Gibellinos non secus ac Guelphos magnoperè conterruit, eoque vehementius, quòd Bohemus cum legato Pontificio in colloquium deuenerat: famaque ferebatur Phlippum Galliæ regem cum Pontifice occulto inito fœdere conspirasse, vt Bohemo duce cuncta subigerent, atq; inter se Italiæ vrbes partirẽtur. Erat enim Bohemus Gallica pecunia instructus. Quibus de causis Florentini tanquam à Roberto rege planè deserti, metu noui hostis cum veteribus inimicis cõmuni commodo fœdus inire coacti sunt. Itaq; Actius, Mastinus Scaliger, Passarinus Mantuanus, Obitius Ferrariensis cum Florentino populo fœdera percusserunt, ea pactione, vt coniunctis viribus bellum gereretur, subactæque vrbes Actio Cremona, Parma Scaligero, Regium Mantuano, Obitio Mutina redderentur, Luca Florentinis cæderet. Nec multò inde quum Bohemi regis exercitus Ferrariam oppugnaret, ingenti prælio edito fusus profligatusque est, Pinalla Aliprando Actij duce felicissimè operam nauante. Nec fortuna victoriæ cursum diu morata sociorum votis defuit, pulsoque Ponzono Ioannis præfecto, Actius Cremona potitus est, Papiamque mox in ditionem recepit, quum in Vrbeculam compulsos hostes, desperatis auxilijs deditionem facere coegisset. Placentiam demum à Francisco Scoto pecunia coemptam recuperauit. Postremò Franchinum Ruscam Comensium Tyrannum multis illatis detrimentis eò adegit, vt accepto Bellizone oppido ad solatium amissi dominatus vltrò vrbem dederet. Cæterùm paulò ante id tempus quum pedibus æger decumberet, maximum rerum suarum discrimen subijt Leodrisij perfidia circumuentus. Is antea Matthæi Magni gloriæ inuidens, quanquam

esset

eſſet patruelis, primas partes Legationis ad pontificis legatum ſuſceperat, vt ſub inani libertatis nomine Matthæus eiusque liberi Mediolano pellerentur, cum Marco demum aduerſus Galeacium atrociſsimè coniurarat. Nec animus inquies ambitioneque mutabilis vllis omnino donis atque honoribus collatis euinci mitigariue poterat, vt Actium rerum dominum imperio potiri pateretur. Itaque correptus vetere inſania inopinato transfugio abducta Germanorum ala, ad Franchinum Ruſcam & mox ad Maſtinum Scaligerum Veronam contendit, conductisque Rhætorum Heluetiorumq; cohortibus, & Germanis equitibus, magnaque manu exulum paſsim collecta ad Abduam profectus eſt, nec tranſitu prohiberi poterat, quanquam diuerſa vada amnis Aliprandus Pinalla tueretur. Ea improuiſa externæ gentis irruptione agricolarum fœda & planè miſerabilis fuga facta eſt per totum ferè Inſubrum agrum, quòd tum præaltæ niues herbidi ſoli campos integerent, nec pecoribus armentisque in loca tutiora refugientibus deſerto pabulo, paſcendi facultas daretur. Porrò Actius quanquam pedibus æger nihil de celeritate diligentiaque remittit, quin ex omnibus locis milites cogat, munitioraque oppida ſubitario præſidio confirmet, donec auxilia conueniant. Aliquot enim diebus antequam hoſtes Abduam tranſirent, quid Leodriſius Veronæ moliretur, per exploratores cognouerat: ita vt auxilia opportuna implorata tranſmiſſaque à propinquis ſociisque principibus ſingulis horis expectarentur. Igitur coactis in vnum è Liguria, Ferrariâ atque Placentia magnis auxiliis, Luchinus patruus dux vetus & multis præliis felix Mediolano totius nobilitatis equitatum & delectam ex promptiſsimis ciuium legionem educit, ad hoſtesque progreditur. Conſederat Leodriſius ad Neruianum vicum duodecimo ab vrbe lapide: nec mora conſpectum hoſtis ineundæ pugnæ ſignum dat, ordinesque componit. Verùm irruente Luchino prima Leodriſij acies ſternitur, ſed ex aduerſo Rhæti Germanique more ſuo conglobati, ſecundum impetum excipiunt, Luchiniique equitatum primis cæſis intemperanter prouectum vehementer vrgent: multi vtrinque cadunt, cruentum & atrox vndique prælium editur. Cæterùm Actianis ægrè ſuſtinentibus & iam planè profligatis, Luchinus dum reparare perculſam aciem ingenti animo contendit, interfecto equo Heluetiorum ſecuribus ſternitur atque capitur. Tum verò Barbari clamorem attollunt, & legionem Inſubrum armis animisque imparem adoriuntur, tantaque vi Placentinas cohortes propellunt, vt Dondatio Maluicino viro fortiſsimo, Lancilottoque Anguiſola ducibus interfectis vniuerſa acies ad fugam reſpiceret, Leodriſioque parta victoria videretur, niſi Diuus Ambroſius Mediolanẽſium tutelare numen, in nube equeſtri effigie à multis conſpectus opẽ planè perditis rebus attuliſſet. Superuenit enim Hector Panicus cũ ala cataphractorum Allobrogum à Ludouico Sabaudio Actij ſocero tranſmiſſa. Hæc Rhætos intempeſtiuè exultantes, & cædi prædæq; ſolutis ordinibus incumbentes ita protriuit, atque cæcidit, vt inſtaurata pugna & fortiſsimo quoq; ex nouo euentu deſumente vires atq; animos Leodriſiani terga darent, Luchinusq; ad arborem deligatus Heluetijs cuſtodib. eriperetur, & Leodriſius effugiens in manus hoſtiũ incideret. Eo die interfacta ſunt ſupra quatuor millia hominũ, ſed minus lætã Luchino victoriam fecit Ioannes Fliſcus Fuſcæ vxoris frater, Ligurum præfectus in prima acie occiſus. Externus

Leodriſij miles agricolarum ſæuitia dum vagatur, & fruſtra effugium quærit, hyeme media, frigore vulneribusque conſumptus fermè omnis interijt. Leodriſius cum liberis in arce Diui Columbani cuſtodiæ eſt traditus, vt poſt Actij & Luchini mortem, Ioannis Archiepiſcopi clementia ſeruaretur. In eo autem campo vbi pugnatum eſt, inter Parabiacum & Neruianum, Luchinus & Ioannes templum in arce Diuo Ambroſio votum ad rei geſtæ memoriam condiderunt, vbi quotannis inſigni pompa effuſo Mediolanenſi populo cum prætore & Decurionibus altero & vigeſimo Februarij die ſacra ſolennia celebrant. In eo templo ad læuam ſpectatur effigies Hectoris Panici cum armata Allobrogum ala perditis rebus opem ferentis, quod facilè dinoſcitur, quum in purpureis equitum lacinijs albæ cruces Sabaudiæ principis inſignia diſcernantur. Secundum eam victoriam confirmato imperio, Actius Maſtino Scaligero graue bellum intulit, atque ei demum, iniuriam probè vltus Brixiam ademit. Exinde pacatis rebus Mediolani mœnia iam cœpta antiquitùs, ad iuſtam altitudinem educta ſunt, additis per interualla altioribus propugnaculis, in queis marmoreæ ingentes Viperæ viſuntur. Perduxit etiam in vrbem fluuiolos duos euerrendis vrbanis ſordibus ad ſalubritatem opportunos, Lironem ſcilicet & Cantaranam qui iam penè defecerunt, quum negligentia publica ſenſim oblimati iampridem aluei curatoribus caruerint. Eum quoque admirandæ magnificentiæ curiam in arena priſcorum temporum iuxta frontem templi maximi ædificaſſe conſtat, addito diui Gothardi templo, cuius ſacram turrem nobili faſtigio inſignem, cum admiratione ſuſpicimus: id ille multis admodum pretioſis diuini apparatus inſtrumentis referſerat. Mortuus eſt Auguſto menſe, octauo & trigeſimo ætatis anno, quum integros nouem annos regnaſſet, vſque adeo improbè vrgente fato & articulorum doloribus aſsiduè laceſsitus, vt ne lodicibus quidem in lectulo ſine intolerabili cruciatu volueretur. Ex Catharina autem Sabaudia vxore pudiciſsima nullam ſuſcepit prolem. Erat Actius facie condida lætaque, naſo autem ſimo, quòd nemini ſuperiorum gentilium contigerat: coma item barbaque ad patris ſimilitudinem œnei coloris validè criſpa, ſed ceruleis oculis, atque intempeſtiuo caluitio, non deformante quidem frontem, ſed eximiè decorante. Exiſtimatus eſt ex toto actionum euentu, egregiè bello fortis, & conſilio ſummè prudens: & quòd ad popularem gratiam plurimum intererat, aditu facilis, & alloquio perhumanus, publicè & priuatè cum ratione liberalis. In ſerijs porrò ſine faſtu grauis, & in ſerendis iocis omnium ſuauiſsimus euadebat, ea tamen temperie, vt cuncta ad Chriſtianam pietatem reuocaret, ſic vt Dij atque homines, perfidioſi & turbulenti patrui necem facilè condonarint. Tumulatus eſt marmoreo inſigni ſepulchro ad aram diui Gothardi, in quo cælato in auratoq; opere eius iacentis effigies ſpectatur: pari artificio circunſeptus eſt marmoreis tabulis ſepulchri loculus, in quibus ſcitè ſculpta Ludouici Cæſaris ſolenni habitu imago conſpicitur, cum ſupplici ingeniculatoque Actio Mediolanenſis imperij inſignia largiretur.

Epitaphium

EPITAPHIVM ACTII
qui eo rudi ſeculo Azo dicebatur.

Hoc in Sarcophago tegitur vir nobilis Azo,
Anguiger, imperio placidus, non leuis & aſper.
Vrbem qui muris cinxit, regnumque recepit,
Puniuit fraudes, ingentes ſtruxit & ædes,
Dignus longa vita, in fatis ſi foret ita,
Vt virtus multos poſſet durare per annos.

LVCHINVS
SIVE LIBER V.

ACTIO immatura morte ſublato, quòd ſine virile prole deceſſiſſet, duo patrui Luchinus atque Ioannes Inſubrum omnium conſenſu ſucceſſerunt. Sed Ioannes æquitate liberali motus vti ſacratum Antiſtitem decebat, diuini iuris poteſtate contentus fuit, quo fratri bellica laude illuſtri, & in adminiſtranda Republica ingenio graui conſtantique prædito, integra exercendi imperij cura relinqueretur. Is initio ſtatim ſuſcepti principatus, quod confirmandæ potentiæ, parandæque ſummæ gratiæ apud ciues plurimum conferebat, à Benedicto duodecimo per legatos impetrauit, vt interdicta ſacris ciuitas, tum verè ſupplex clementia & benignitate æquiſsimi ſacrorum principis expiaretur. Recepit quoque pari pontificis indulgentia veteres theſauros, qui è templo Modoetiæ, turbulentis ſuperiorum bellorum temporibus Auenionem aſportati fuerant. Cæterum quum ad arma vocaretur, per legatos ferè ſemper bella geſsit, tametſi antea longè acerrimus bellator fuiſſet, vtpote qui in omnibus ferè iuſtis prælijs honeſta vulnera ſuſceperit: in illa enim nobili cruentaque ad montem Catinum pugna, qua Vguccio Fagiolanus victor vires Guelpharum partium vehementer contudit, paterna auxilia ductanti inuectoque in medios hoſtes, ſiniſtrum crus valida cuſpide traiectum eſt. Ad Alexandriam verò, quum in Tanari ponte cum Vgone Baucio Roberti regis equitum magiſtro confligeret, ita Baucium inuaſit atque proſtrauit, vt multo ſuo atque interfecti hoſtium ducis cruore fœdatus, opimo ſpolio & præclara victoria potiretur. Ad Tricellam quoque oppoſitus ingentibus externarum gentium copijs, quæ Pontificis & Roberti regis auſpicijs ſub Gaſtone Aquitano, Raimundoque Cardonio ad Mediolanum obſidendum ire maturabant, maximè pugnacis & periti ducis laudem tuliſſe fertur, quum terribili longoque certamine edito, reparataque ſæpe acie honeſta in facie vulnera ſuſcepiſſet. Poſtremo ad Neruianum acriter dimicans, Heluetijs ſecuribus perfracta galea ſuffoſſoque equo proſtratus captusque eſt, & manante per nares multo ſanguine, ad iuglandis arborem tam diu nexus, & ſemianimis iacuit, donec recentis Allobrogum alæ ſuperuentu, cæſis Heluetijs atque Germanis, & Leodrifio hoſtium duce capto è vinculis eriperetur. Sed qui tot bellis ſumma pericula euaſerat, ex principatu demum oborta ſtatim inuidia amicorum & propinquorum ſæuas manus vix effugit. Coniurauere enim in eius necem Franciſcus Puſterla ex ordine patritio auitis diutijs potens, & ante alios duo Aliprandi fratres Martinus atque Pinalla, qui Actianis copijs præfuerant, neglectique à Luchino ad alios ſcilicet vti meliores translatis honoribus amiciorem liberalioremque dominum quærebant, coniectis vtique oculis in Galeacium & Barnabam ex Stephani eius fratris filios qui decoræ iuuentæ & iam planè matura militari indole florentes, intempeſtiua atque nefaria ambitione, quæ ſemper domui Vicecomitum fatalis fuit, ad imperium aſpirare dicebantur. Sed dum Aliprandi fratres pertentatis amicorum intimis coniurationi vires addere contendunt, à Ramengo Caſato inita conſilia produntur. Nec mora, Martinus atque Pinalla capti diuque torti in carcere fame necantur, cæteris in furca latronum more ſtrangulatis. De Puſterla autem, qui profugiens, ex Ethru-

ria

ria retractus fuerat in foro ſupplicium eſt deſumptum, eo quidem atrocius atque miſerius, quòd duobus filijs adoleſcentibus in conſpectu parem pœnam ſubeuntibus, ſceleſtus pater paulò antè inter ciues maximè felix ſupremæ calamitati ſuæ domus interfuit. Nec multò poſt Margarita vxor quòd non conſcia modò ſuſcepti eius immanis conſilij, ſed ad id maturè patrandum peracerba concitatrix fuiſſet, perpetui tantum carceris pœna damnatur, quòd Othorino Vicecomite genita Luchinum arctiſsima propinquitate contingebat. Cæterùm ex damnatorum quæſtione compertum eſt, Galeacium & Barnabam non ignaros initæ coniurationis, paratoſque ad excipiendum principatus fortunam tanti facinoris euentum expectauiſſe. Sed Luchinus ne ſupra Marci fratris necem familiæ decus, vel maximè nocentum iuuenum cruore macularet, deprecante Ioanne Antiſtite exilij pœnam non exceſsit, ita tamen vt eos perfidiæ impietatisque ignominia notatos, ad Oceanum in extremos Belgas & Batauos relegaret. Exinde Luchinū natura ſubtriſtem, planeque ſeuerum ſolito amariorem ac duriorem factum ſcriptores tradunt, vſque adeo, vt nec in ioco, pallidam ſemper obducens frontem, ridere ſit viſus, quòd ad animi ægritudinem articulorum quoque dolores acceſsiſſent. Sed non inanis rumor de vxoris impudicitia per vrbem excitatus, mœrorem vſqueadeò cumulauit, vt in affecto tot malis ſene, nondū maturo fato viam aperiret. Nupſerat ei Iſabella cognomento Fuſca è Fliſcorum gente apud Ligures apprimè nobili, duobusque præſertim Pontificibus Innocentio atque Hadriano, purpuratisque ſupra triginta Senatoribus longè clariſsima, vnde illa faſtum, atque inde luxuriem parum verecundo geſtu oreque præferebat. Hæc nobiles Inſubrum matronas forma, lepore, munditijs atque vna præſertim veteri fœcunditate, qua Luchinus felix videri potuit, anteibat. primo enim partu Luchinum nouellum, ſecundo Vrſinam, tertio gemellos mares eximiæ indolis Borſium & Foreſtinum rara quidem felicitate pepererat, niſi tantam prolem ex inceſto concubitu concepiſſet. Galeacium enim formæ dignitate cunctos mortales ſuperantem laſciuè adamatum ab ea conſtat, vti aliquot poſt annos defuncto iam viro in extremo vitæ actu piè ingenueque confeſſa eſt, vt animum eo piaculo liberaret, vel cum certo infauſtæ prolis exilio tantique ſubindè imperij hæreditas ad legitimos ſucceſſores verteretur. Cæterùm ſuopte ingenio procax & leuis mulier exulante Galeacio, & viro ex podagra decumbente, quum ſpectare Venetias cum ſitu ſtupendas, tum celebri feſto die Aſcenſionis Chriſti naualibus ludis & priuatarum publicarumque opum oſtentatione mirabiles concupiſſet, importunè vxori Luchino cuncta concedente, haud difficulter impetrauit, vt ornatiſsima claſſe per Padum deueheretur, delectis in comitatu fœminarum nobiliſsimis, quibus & ambiguus ineſſet pudor, nec viri earum tuendæ pudicitiæ cura tangerentur. Verùm luxurioſiſsimæ nauigationis exitus fuit, vt cum inſigni probro proſtratæ pudicitiæ apud Vgolinum Gonzagam, Dandulumque Veneti ſenatus principem, redierit, pari infamia deflagrantibus nonnullis illuſtribus fœminis ex comitatu, quum à pudicis pariter atque in eodem crimine maculoſis lenitate muliebri per mutuas delationes ſingularum adulteria proderentur. Hoc tanto inexpiabilis infamiæ vulnere percuſſus princeps, ita flagitij iniuriam tulit, vt non

obſcura parati ad vindictam animi ſigna, contractæ frontis querela, demor
ſisque ſæpe vnguibus oſtenderet. Itaque Fuſca expedito ingenio non impu
dica modò ſed etiam truculenta mulier, pœna metum celeriter anteuertit,
ægrumque adhuc coniugem veneno lento atque tabifico præoccupat, nul-
lo tum ſceleris extante veſtigio, quum planè maturatus ægri ſenis obitus, ad
nouum inſurgentis morbi impetum facilè referretur. Vixit annos ſexagin-
ta duos, imperauit nouem. Tumulatus eſt in æde diui Gothardi iuxta
Actium, regio ſumptu celebratis exequijs. Luxere elatum veris lachrymis
cuncti ciuium ordines: nam ſumma æquitate ius dicere, obliuiſci factio-
num, tueri ab iniuria infimos: &(quod maximè populare videbatur) ſingu-
lari prouidentia annonam curare erat ſolitus. bella quoque quòd opulentæ
tranquillitatis intererat, extra fines ſemper geſsit, eo animi decreto vt & ſua
ſtrenuè defenderet, & ſocios conſtantiſsimè tueretur. Parmam imperio adie
cit ſexaginta millibus aureis coemptam ab Obitio Ateſtino, ægrè eam vr-
bem aduerſus Gonzagas atque Scaligeros defendente. Piſanis porrò ea con
ditione pacem dedit, vt honorarij tributi nomine binos equos, militarem
vnum, alterum aſturconem album, quo domina veheretur: itemque binos
ad aucupium falcones peregrinos quotannis penderent. Nouiſsimè Ligu-
res fluxa fide antiqua fœdera violantes, magnis copijs inuaſerat Brutio filio
duce Genuam gentis caput obſeſſurus, niſi exitum ei properantia fata vetuiſ
ſent. Magnificentiæ monumenta nulla ferè reliquit Actiana domo con-
tentus, quum antea in Ticinenſi regione præaltas ædes contra Diui Geor-
gij templum Palatij nomine vocatas habitaſſet. Foris autem validam ar-
cem in ædito monte ædificatam, cui à vetere delubro Capellæ nomen eſt,
Bergomatibus impoſuit. Delectatus eſt tuendæ valetudinis cauſa ſuburba
no ſeceſſu, non tam amœno quàm ſalubri, ad ſeptimum lapidem Comenſi
via ſiniſtrorſum, vbi tenuis eſt Pagus, qui ſanus aer veriſsimo nomine nun-
cupatur. Liberos reliquit Brutium ex concubina, qui quum Laudi Pom-
peiæ præferoci ingenio aliquandiu tyrannidem exercuiſſet, coniurante ciui
tate expulſus obſcuro in pago in Euganeis inops & meritò miſer interijt.
Borſius autem & Foreſtinus detecto Fuſcæ matris inceſtu tanquam ex dam
nato nati concubitu, hic tetro in carcere, ille verò fuga elapſus exilio perie-
runt. Eandem exilij fortunam tulit Nouellus, qui nequaquam animo de
generi militiæ aſſuetus propinquorum ſuorum hoſtibus ſemper adhæſit.

Eius autem tumulo hoc rude carmen inſcriptum eſt.

Iuſtitiæ cultor, ſcelerumque acerrimus vltor
Pauperibus carus, nunquam dum vixit auarus,
Egregijs factis, & cladibus ante peractis
Inſignem bello laudem meruit, niſi fraudem
Sors mala ſtruxiſſet, crudeliter & periſſet.

IOAN-

IOAN ARCHIEPIS-COPVS, SIVE LIBER VI.

POST elatum Luchinum, totius imperij ſumma ad IOANNEM Archiepiſcopum germanum fratrem abſolutæ virtutis principem rediit: nam in omni eximiæ prudentiæ, & perfectæ pietatis officio, moderataque regendi imperij diſciplina Othoni maiori patruo par fuit, quum & ipſo cenſu generoſæ ſtirpis Matthæum patrem, & magnitudine conſtantis animi referret: nec Galeacio fratri de nobilitate liberalis ingenij, vel decore formæ, vel ſtudio promerendæ gratiæ quicquã concedere cenſeretur: & Actiũ perhumana illa, nuſquã tamẽ niſi graui, ad faciles aditus atq; ſermones comitate atq; magnificentia operũ facile ſuperaret, præclaraq; clemẽtię laude pauciſsimis regũ conceſſa, quæ Luchino vti nimis duro militariq;, quanquã viro alioqui ſũmo, defuit, omniũ opinione potiretur. Is inito ſtatim principatu, nihil antiquius du

xit,quàm Galeacium & Barnabam ab exilio reuocare. Rediere illi Belgarum more brachato habitu ſicuti videre eſt in incolumi adhuc pictura, in templo diui Ioannis ad Concham: Coſmæ & Damiano diuis tutelaribus votum ſoluentes,præferentesque eximium bellicæ virtutis ſpecimen,quum Belgicis atque Britannicis bellis parta non obſcura laude militaſſent. Nec multò poſt Ioannes propagandæ ſoboli, firmandoque imperio validas fini timorum principum propinquitates præſtanti iudicio quæſiuit: ſic vt Blancam Sabaudiam Aymonis Allobrogum reguli filiam Galeacius vxorem duceret,& Beatrix Maſtini Scaligeri filia à faſtu ſuperbisque moribus Reginæ cognomen adepta,Barnabæ matrimonio iungeretur,binasque deinceps nuptias ſumptuoſis ludorum equeſtrium ſpectaculis celebraret. Cæterùm Ioannes Liguſtici belli cauſam ſecutus,Murtham Genuenſium ducem adeò armis terruit,vt abdicato principatu,ſeſe ciuitatemque ad eius authoritatem contulerit,& præſidium prætoremque à Ioanne delectum acceperit. Sed non multò poſt defuncto Murtha, populus vti ſemper factioſus & mutandis conſilijs repentinus & leuis Valentem ducem creauit. Ea contumelia permotus Ioannes,arma parat,& bellum indicit,quo periculo Ligures territi, vel ob id maximè quòd tum magnis claſsibus cum Venetis & Catalanis contendentes circa Sardiniam infeliciter conflixerant,ſupplices & opem implorantes ad priſtinam fidem rediere. Valens quoque ſuſcepto temerè principatu ſe abdicare cogitur. Recipiturque Genuæ Gulielmus Palauicinus,qui Reipublicæ præſit cum præſidio equitum & peditum. Nec mora, Genuenſes nouam claſſem exornant Ioanne in eam delectos milites pecuniam & commeatum abundè conferente, addenteque duodecim triremes ſuo ſumptu ſuoque milite egregiè inſtructas. Eam claſſem Peganus Auria præfectus,quum Viperæ inſignia in vexillis præferret, ad Sphragiam inſulam,quæ Sapientiæ nomen habet,contra Methonem,cum Venetis feliciter conflixit, deuictaque hoſtium claſſe, Nicolaus Piſanus qui Sardoo in mari cladem Liguribus intulerat, cum quinque milibus Venetorum militum captus, Genuam in triumphum ductus eſt. Genuenſes autem ſingulari ope Ioannis ſe victoria potitos grato animo confitentes, nouo decreto deditæ ciuitatis iura,quæ Ioannis morte finiebantur,ad Galeacium pariter & Barnabam tranſtulerunt, ita vt totius Liguriæ vrbes à Coruo Lunenſi promontorio ad Herculis Monœci portum imperio Vicecomitũ ſubderentur. Per id quoq; tempus Bononiam in poteſtatẽ redegit. Pepulus enim vir nobilitate opibusq; inſignis,qui patriæ libertatem inuaſerat, pontificijs oppugnatus armis,à Ioanne matura ope implorata,validisq; Inſubrũ auxilijs egregiè defenſus eò demũ deſcendit, vt acceptis Crepacorio,Nonantulaq; caſtellis,ac multo inſuper auro,patriam vendere,quàm ſuſcepti principatus nomẽ tueri mallet.Bononia parta Ioannes finitimis terrori eſſe cœpit,vſq; adeo vt Florẽtini antiquæ iniuriæ, & Veneti recentis acceptę cladis memores,pontificijs copijs vires adderent,initoq; fœdere cũ pontifice,confeſtim impetrarent,vt dirum illud religionis telum interdicẽdis ſacris in Ioannem vibraretur.Sed Olegiano duce Bononiæ impoſito felicibus armis vrbem defendit.nec multò poſt per Guliermũ Griſantem Pontificis legatum,qui poſtea Vrbani Quinti nomine deſumpto Pontifex factus eſt,quũ is Mediolanum veniſſet tranſ

actum

ſactum eſt, vt tanquam beneficiario iure conceſſam à Pontifice vrbem retineret,& quotannis ſexaginta pondo auri tributi nomine ſoluerentur. In Florentinos demum inteſtino malo laborantes, tanquam in veteres & recentes hoſtes arma vertit concitantibus Vbaldinis, Vbertisque & Pactijs exulibus, qui aucti viribus Tarlatorum & Caſaliorum, Aretij Cartonæque principum, à Ioanne Antiſtite tanquam Gibellinæ factionis principe patronoque certiſsimo opem aſsiduis precibus implorabant. Olegianus qui ex eadem Vicecomitum ortus familia ipſius Ioannis Antiſtitis filius putabatur, ab Olegianoque, is ad Verbanum lacum pagus eſt cognomen ferebat, è Bononia profectus Apenninum ſuperat, ac Sambucum vicum in Piſtorienſibus Alpibus capit, peruagatusque montanum agrum ad oppugnandam Scarperiam ad duodecimum ab vrbe Florentia lapidem deſcendit. Erant in exercitu ſupra ingentem peditum numerum decem millia galeatorum equitum: exules quoque ab Arni valle armatis agreſtibus opportunè in ſuburbanum agrum irrumpentes infenſis ſæuisque animis tecta obuia crudeli incendio deformabant: quare mœſta & trepida ciuitas, vti viribus impar à ſocijsque deſerta, vel non æquam pacem appetebat. Nec Ioannes à pace adhorrebat, modò ſocijs Gibellinarum partium honeſta conditione caueretur. Itaque proclamatis inducijs indictus eſt locus Sergiano in oppido Lunenſis agri, quò conuenientibus totius Ethruriæ Vmbriæq; legatis querelæ omnis neglecti aut prætermiſsi iuris duobus diſceptatoribus Guliermo Pallauicino pro Ioanne, & Carolo Strozza pro Florentinis deferrentur. Ferunt ſupra ſexaginta vrbium, illuſtriumque Regulorum legationes coiuiſſe, pacemque moderatis legibus ſingulis datam, ſumma quidem cum laude Ioannis, qui clementi ingenio, detrimenta belli innoxijs atque immerentibus illata populis peroſus, ſuſceptum bellum optima pace quàm cruenta victoria finire maluerit. Nec obiter prætermittendum videtur magnanimi Præſulis factum inter multa memorabile, quo pontificium ſummæ ſeueritatis imperium facetiſsimo obſequij genere magnifecit, ſimul & eluſit. Paulò enim ante id tempus quum à pontifice expetentibus Florentinis Auenionem ſub anathematis pœna citaretur, lætiſsima fronte reſpondit, ſe eò vti fidelem dictoque parentem ſeruum deceret, inſtructa maturè profectione, venturum, vt præſenti obſequio prouolutus ad pedes ſacroſanctum pontificem veneraretur. Cæterùm legatos præmiſit qui per omnes vrbis regiones amplisſimas domos, perſoluta eius anni penſione conducerent, ingentemque omnis generis commeatus copiam compararent, qua numeroſus comitatus aleretur. Porrò quæſtor multa onuſtus pecunia, adeo in id profusè operam intendit, vt & mirum in modum annona in foro creſceret, & peregrini negocioſique homines ex omni Europa Auenionem ad pontificiam aulam confluentes nullum omnino tectum aut hoſpitium, Inſubri omnia occupante, vacuum reperirent, & propalam populus & inquilini de annonæ caritate quererentur. Quibus vocibus permotus pontifex Mediolanenſes legatos cuncta prodigè coementes vocat: cauſam quærit cur tantũ commeatus accumulent, totq; paſsim ampliſsimarũ ędium hoſpitia inani ſumptu ad querelam publicã conducant? Legati ita parare ſe iuſſos à Ioanne præſule reſpondent, qui ſeptem millia armatorum equitum, totidemque peditum, præſidij

& comitatus causa sit adducturus. Intellexit illico pontifex quo rerum suarum periculo, Ioannes tantis instructus viribus foret expectandus, leniterq; subridens tanti itineris laborem, præsuli tanquam occupato & præclarè pontificij nominis studioso benignè se remittere dixit. Legati autem quum dimitterentur, honestissimis viris virtutis nomine aut parum ditibus conductas domos gratuitò concesserunt, ita vt commeatum quoque omnem, aut sacratis Cœnobijs aut è plebe miseris & egentibus largirẽtur, tanta cum laude, vt nemo esset qui Ioannis causam non studiosissimè tueretur. Sed non multò post crescente potentia, vt plerunque fit, inuidia virtutis & felicitatis comes pariter creuit: formidabilis enim vel amicis veteribusque socijs apparebat, vsque adeo vt consternati metu Atestini, Gonzagæ, Scaligeriq́ue principes, fœdus inter se percuterent, coactoque numeroso exercitu castra fossis aggeribusque vallata, prope Mutinam adorirentur, sustinenteque impetum præsidio fortiter repulsi in Cremonensem agrum cuncta vastantes irrumperent. Hæc castra muniti instar oppidi Ioannes aduersus Regienses construxerat, videbaturque inde non Regium modò, sed etiam Mutinam inuasurus, vt à Bononia Placentiam suæ ditionis continuum iter pararet. Hæc agitantem & septimum regnantem annũ Augusto mense concepta febris & lentis demum accessionibus producta in Septembrẽ, climacterico ætatis anno leniter extinxit. Conditus est marmoreo tumulo iuxta Othonẽ ante sacrarium templi maximi, vbi hæc carmina rubro lapidi incisa leguntur: quæ ex eius rudi seculi memoria ad iucundam ingeniorũ estimationem præterire noluimus.

Quàm fastus, quam pompa leuis, quàm gloria mundi
Sit breuis, & fragilis humana potentia quam sit,
Collige ab exemplo qui transis, perlege, differ,
In speculo spaculare meo lachrymabile carmen
Qui sim, qui fuerim licet, qui marmore claudor
Sanguine clarus eram, Vicecomes stirpe Ioannes.
Præsul eram, pastorque fui, baculumque gerebam,
Nomine, nullus opes possidebat latius orbe,
Imperio tituloque meo mihi Mediolani
Vrbs subiecta fuit, Laudense solum, Placentia grata,
Aurea Parma, bona Bononia, pulchra Cremona,
Bergoma magna satis lapidosis montibus altis,
Brixia magnipotens, Bobiensis terra, tribusque
Eximijs dotata bonis Derthona vocata,
Cumarum tellus, nouaque Alexandria pinguis,
Et Vercellarum tellus, atque Nouaria, & Alba,
Ast quoque cum castris Pedemontis iussa subibant.
Ianuamque ab antiquo quondam iam condita Iano
Dicitur, & vasti narratur Ianua mundi,
Et Sauonensis Rex, & loca plurima quæ nunc
Difficile est narrare mihi, mea iussa subibant,
Tristia tota meum metuebant languida nomen,
Per me obsessa fuit populo Florentia plena,

Bellaque

Bellaque ſuſtinuit tellus Peruſina ſuperba
Et Piſæ, & Senæ timidum reuerenter honorem
Præſtabant: me metuebat Marchia tota.
Italiæ partes omnes timuere Ioannem.
Nunc me petra tenet, ſaxoque includor in iſto
Et lacerant vermes, laniant mihi denique corpus,
Quid mihi diuitiæ, quid & alta palatia proſunt?
Cum mihi ſufficiat quod paruo marmore claudor.

MATTHAEVS SECVNDVS, SIVE LIBER VII.

EX teſtamento Ioannis vniuerſum imperium equiſsima ratione trifariam diuiſum, tribus Stephani liberis ceſsit ea conditione, vt Mediolanum & Genua communis eſſent ditionis, ab vnoque tantum prætore regerentur, quem pari iudicio delegiſſent. Reliquæ porro vrbes nobilioraque oppida à grauiſsimis Iureconſultis, amiciſque communibus fideliter æſtimata, digeſtaque in tres portiones ſortem ex vrna ſequerentur. Matthæo Bononia obuenit, quæ ex ſolenni tranſactione quatuor vrbes tanquam ſua membra ſecum trahebat, Laudem ſcilicet Pompeiam, Placentiam, Parmam, & Bobium in Apennini vallibus ſitum: item Lucum & Maſſam Togatæ Galliæ, Pontemque tremulum ſupra Macram amnem Apuanorum Ligurum caput, & Sancti Domnini oppidum, quod in Aemilia via à Tarro amne ſeptem millibus paſſuum diſtat. Sed Matthæus nequaquam diu Bononia potitus eſt, Olegiano eius vrbis imperium occupante. Is enim ſub id tempus quo Ioannes Archiepiſcopus ſuprema tentatus valetudine decumbebat, cum rebellantibus patritijs, atque arma capientibus in foro proſperè conflixerat, coniurationisque principes captos ſecuri percuſſerat: in quibus nonnulli ex Blanchis, Gozadinis, Bentiuoliſque, & Sabadinis fuerant. Poſt id factum, quum ædificatam à Ioanne Antiſtite veterem arcem egregiè permuniſſet, inuaſit eum libido arripiendi imperij, cuius ipſe præcipuus defenſor extitiſſet. Itaque fortuna neſarijs cœptis aſpirante prætorem, militareq; præſidium Matthæi, inſigni compoſita fraude vrbe expulit, Bononienſesque armis territos, in nomen ſuum iurare coegit. Erat Matthæus ingenio ciuili potius quàm militari, nec ideo ad vindicandam iniuriam parato, vtpote qui nihil ex magno auo, ſi ſpeciem corporis demeres, præter nomen referret: ignobili enim ocio delectatus, nequaquam bellica laude ducebatur, eique ſummæ curæ ſammæque voluptati erant accipitres, atque ea omnis venatio quæ vel fœminas admittens prorſus ſine ſudore exerceretur: has autem diurnas exercitationes, nocturnæ libidines excipiebant, quibus adeo intemperanter corpus atque animum effœminauerat, vt inter duas ſæpe concubinas eneruatis

viribus cubitans, inſtillaret (vt Corius in hiſtoriis author eſt) muliebribus locis vnguenta peregrina, quibus intermortuæ veneris ſegnitiem prodigioſa titillatione ſuſcitaret. Per hunc modum fractis lateribus quum ad Seronum oppidum, vbi munitam pinnis domum ædificarat, medio itinere inter Mediolanum & Comum feciſſet, diuturna febricula tabefactus interiit anno ſecnndo poſt Ioannis patrui mortem. Valentina matre multis cum lachrymis á fratribus veneno ſublatum, vſque adeo conſtanter aſſeuerante, vt Galeacio & Barnabæ diras imprecaretur. Matthæum enim ex ſermone quodam inuidiæ pleno apud fratres exitiale odium paraſſe referebat, quòd Creſcentiaco in vico, vbi auum obiiſſe retulimus, quum fortè in cœna Galeacius & Barnabas tanti imperij à maioribus conditi amplitudinem atque opulentiam laudarent, omniumque pulcherrimum fortunæ munus principatum eſſe faterẽtur, Matthæus incautè ſubiunxiſſet, id quidem ſine controuerſia verum eſſe incomparabileque videri, modò Principatus ſocio conſorteque careret: adeo vt non obſcurè Ioannem patruum perſtrinxiſſe videretur, qui ſecus ac magnus auus feciſſet, non vnum, Galeacij primi, atque Actij exemplo: ſed tres ſimul iniquo iure diuiſi imperij hæredes ſcripſiſſet. Id dictum ſub amaro ſale ſcomatiſque nomine prolatum, vſque adeo in pectus fratrum altè deſcendit, vt ſequenti cœna ſuillos lumbos cuius obſonij Matthæus erat appetentiſsimus, toxico illitos appoſuerint. Duas habuit filias abſque vlla virili prole, ex Liliola Gonzaga, Phillippi Mantuæ principis filia ſuſceptas, Catharinam ſcilicet & Vrſinam: hanc Balthaſari Puſterula patritio valde opulento, illam verò Vgolino Gonzagę bellica virtute illuſtri nuptui dedit Tumulatus eſt ad Euſtorgij templum iuſtis exequijs à Serono Mediolanum vſque perductis, ſed ſepulchri marmorei honore tituloque Epitaphij caruit tanquam fratribus inuiſus, & nihil laudis à literatis promeritus, quos in ea turpi ſupinæ vitæ deſidia contempſiſſet.

GALEA-

GALEACIVS
SECVNDVS SIVE
LIBER VIII.

GALEACIO Secundo cuncta propè quæ expeti mortalibus possunt, cùm naturæ, tum fortunæ ratissima dona contigerunt. corporis enim dignitate & decore formæ lectissimos iuuenes supergressus, tum maximè seipso celsior & pulchrior euadebat, quum nouo more comam aurei coloris promitteret, complicatamque sæpe in tricas, & nonnunquam diffluentibus cincinnis per humeros expansam reticulato pileolo, aut florea corona castigaret: id enim eum decebat alioqui lacteo colore atque ænea barba conspicuum, vti videre est ex multis eius imaginibus, vnaque præsertim equestri thoracata, quæ Ticini in arce ad sinistram porticum spectatur. Balthei militaris dignita-

tem Hieroſolymis promeruit, quum religionis cauſa Chriſti ſepulchrum inuiſurus in Iudæam nauigaſſet. Belgico item bello, non ſecus atque Otho familiæ princeps ſuperiore ſeculo in Syria Viperam, perpetuum gentis inſigne, ipſe quoque proſtrato nobili Belga, nouum geſtamen inſigni aquæ & ignis argumento, tanquam opimum ſpolium retulit. Ex ipſa enim clypei pictura ardentes bini torres pendentibus totidem aquarijs ſitulis, contrariæ poteſtatis facultatem exprimebant, vſqueadeo ſpecioſo emblemate, vt id ad poſteros ipſoſque Sfortianos in Vicecomitum familiam adoptatos, manarit. A Carolo autem Quarto Cæſare qui Mediolanum aduenerat, ſolemnibus codicillis ritè confectis in Ciſalpinæ Galliæ atque Liguriæ imperio Vicarius eſt appellatus, pari dignitatis beneficio fratri Barnabæ communicato, interque ſacra ſolemnia Cæſar Ambroſiano in templo, vtriuſque filios, quanquam planè pueros, militari baltheo cinxit, Ioannem ſcilicet Galeacium, qui demum totius imperij hæres potentia formidabili ſupra cæteros Italiæ principes euectus eſt, cum ex nomine nequaquam temeré indito duos ſummæ virtutis atque prudentiæ patruos referret, & Marcum Barnabæ, qui malè auſpicatum infelicis patrui nomen ſortitus, ad frugem non peruenit. Cæſare ita multa pecunia, magnisque muneribus iam donato, in Germaniam redeunte, multo certior quàm antea nominis autoritas amborum creuit, quæ demum perpetuo beneuolentiæ ſtudio, & fraterna charitate adeò ſtabilita eſt, vt concordibus animis vſque ad vitæ exitum, quanquam diuiſo imperio, regnarint, mutuisq; opibus bella geſſerint, communem eum ducentes hoſtem, qui in ipſorum alterum arma moliretur. Ea enim æquitate defuncti Matthæi fratris hæreditatem inter ſe diuiſerant, vt vrbem Mediolanum ab ortu Solis ad occaſum per regiones ducta linea partirentur, & in vrbe ſingulas arces ambo conderent, Galeacius ad Iouiam portam quæ Comum ducit, Barnabas ad Romanam, quòd huic Conchana domus, illi Actiana curia, ſicuti Matthæo antea Antiſtitis Ioannis ædes, ſorti obueniſſent. Ceſſerat Barnabæ Bononia, quæ quum vehementibus armis repeteretur, Olegianuſque pontificijs adiutus copijs ſtrenuè reſiſteret, diuturni grauiſsimique belli cauſam præbuit. Nam plerique principes & cum his Florentini Piſanique, quibus odio atque timori conſentientium fratrum opes erant, Conradum Landum Germanorum ducem & Marcoaldum cum Bohemis à Carolo Cæſare Piſis impoſitum, præbita in triplex ſtipendium ingenti pecunia aduerſus Viceconites concitabant. Ea tempeſtate validæ externarum gentium manus, vt tum aiebant, fortunæ auſpicijs militantes, per Italiam prædabundo agmine vagabantur, hiſque omnium regionum exules ſpe prædæ ſe commiſcebant. Itaque Landus & Marcoaldus mira celeritate confectis itineribus, in agrum Inſubrum peruolarunt. eorum aduentus cuncta ferro atque igne vaſtantium, magnam trepidationem Mediolanenſibus incuſsit. pertulere eas clades tantiſper Galeacius & Barnabas, donec accitæ vndique copiæ in vna caſtra cogerentur: nec multò poſt inſtructo exercitu contra hoſtes progreſsi ad Caſæ auratæ pagum ſignis collatis conſlixerunt, eo quidem euentu, vt Marcoaldo capto Landus ipſe poſt fauciatus fermè toto eius exercitu cæſo captoque effugeret, in quo ſex millia equitum, quatuor peditum fuiſſe narrantur. Secundum eam victoriam Barnabas ad

oppugnan-

oppugnandam Bononiam profectus validiores quàm putarat hoſtes inueniens multis acceptis illatiſque detrimentis longo & difficili bello implicatur: nam Florentini, Piſani & principes Ferrarienſis, Mantuanus, & Veronenſis, communicatis conſilijs cum Egidio Pontificis legato fœdus renouarant, ea mente vt defenſa Bononia duorum præpotentium fratrum vires non paterentur nimio plus creſcere. parte alia Ioannes Marchio Montisferrati à fœderatis incitatus, Galeatio graue bellum inferret, cum capta ex inſidijs Alba Pompeia, & Ticino vrbe prodentibus Guelphis occupata, Anglorum validam manum in Italiam exciret. Ea gens ex Britannia inſula in continentē Galliæ tranſuecta, confectis Belgicis bellis in Prouinciam ſeſe effuderat ſtipendia & prædam paſsim querens. Sed ea fuit Galeacij felicitas vt ab Anglis Albam reciperet, & Ticinum varijs prælijs fameque perdomitum in poteſtatem redigeret, capto Buſſulario cucullato ſacerdote, qui nefarijs concionibus Ticinenſem populum circumducens, miſeræ vrbis crudelis Tyrannus euaſerat. His rebus proſperè geſtis Galeacius coactis vndique copijs Barnabæ vires attenuatas duobus aduerſis prælijs facilè reſtituit. Quibus auctus vir acer & indomitus tanto impetu Bononienſium agrum populatus eſt, vt Olegianus deſperatis rebus, vrbem temere occupatam Egidio legato tradere cogeretur, Firmum Piceni agri vrbem perfidioſæ pactionis præmium accipiens. Sed quum Barnabas iratus Egidio non ſecus atque Olegiano, nihil de belli apparatu remittendum arbitraretur, fœderatæ ciuitates ingentes copias Vgolino Gonzaga Imperatore in agrum Inſubrum miſerunt, rati Barnabam fraterno periculo adductum Bononienſi agro detrahi, & trans Padum reuocari poſſe. Sed Barnabas Vgolinum traiecto Pado, & Nouaria capta magnam perturbationem Galeacij rebus afferentem, paribus belli artibus auertit. infeſto enim exercitu Mantuanorum fines ingreſſus perruptoq; Serrallio, quæ eſt munitio ab amne Pado ad Mutinam perpetuis aggeribus ſuburbanum agrum complectens, Mantuano duce præſidioque nudatos adeo perculit, vt Vgolinus vel in ipſo felici ſperatæ ingentis victoriæ curſu, de Imperio ſaluteque ciuium ſuorum magnopere ſolicitus, pacem petere cogeretur, cognationemque nouo fœdere confirmaret. Eo modo pace parta, & Barnaba nihilo ſecius pertinaci ſtudio Bononiæ principatum tanquam ſibi fraude ereptum validis armis repetente, Galeacius externas affinitates, decoras quidem regio faſtu, ſed ſibi & poſteris damnoſas & ferè exitiales quæſiuit, Iſabella ſcilicet Caroli Galliæ regis ſorore Ioanni Galeacio filio expetita, Leonatoque Clarentio Britanniæ regis filio in generum adſcito. huic enim ex nuptijs Violanthis quum ducenta millia aureorum numum dotis nomine recepiſſet, Mons etiam Regalis atque Alba Pompeia vrbes ceſſerunt. Iſabella autem quæ Mediolanum venerat vſque adeo ſocero grauis fuit, vt ducentis millibus aureorum conſtiterit, quanquã Vrtutis oppidi ditio, honeſtiſsimæq; appellationis titulus, nouo ſponſo nomine dotis acceſsiſſet. Leonati porrò aduentu tantæ opes admirabili liberalitate profuſæ ſunt, cũ & nuptiale epulum daret, & equeſtres ederet ludos, & Britannos ex generi comitatu ſupra ducentos eximijs donis adornaret, vt opulentiſsimorum regum ſplendorem ſuperaſſe cenſeretur. In conuiuio enim in quo Franciſcus Petrarcha inter principes conui-

uas discubuit, singulos ferculorum missus, qui supra triginta fuere, totidem inusitatæ magnificentiæ munera sequebantur: ea omnia Ioannes Galeacius delectæ iuuentutis princeps, ad mensam perducens Leonato obtulit. Fuere in vno tantùm missu septuaginta equi insignes argenteis & sericis ephippijs strati: in alijs verò vasa argentea, hierofalcones, venatici canes, equestria arma, nobiles loricæ, solidoque ferro splendidi thoraces, galeæque item & cassides prælatis conis exornatæ, indumenta margaritis picta, balthei milita res: postremò præstantes aliquot gemmæ aureis emblematibus insertæ, & aureæ purpureæque telæ ad viriles vestes vis ingens. Is porrò conuiuij ap paratus fuit, vt relatæ à mensa dapes, decem milibus hominum abundè sufficerent. Sed non multò post Leonatus quum nouæ nuptæ operam daret, intempestiuisq; conuiuijs ad patrui moris disciplinam, alieni cœli ignarus, intemperantius vteretur, ad Albam morbo consumptus interijt. Violantes demum Othoni marchioni Montisferrati, nuptui data est, sed nihilo felicioribus auspicijs, quum Otho in montibus Parmensium ab agresti agasone confossus, ignobili fato perierit. Cæterùm Galeacius diu antea sæuissimis articulorum doloribus iactatus, quum filius prælata indole militaris imperij munia capessens, Asta recepta, Vercellisque defensis, Subalpinum bellum felicissimè confecisset, in supremum incidit morbum, Nonisque Sextilibus defunctus est, anno à partu Virginis septuagesimo octauo supra millesimum & trecentesimum, vitæ quinquagesimo nono, imperij autem vigesimo secundo. Delectatus est in toto vitæ cursu, quum ex bellicis occupationibus subciuia ocia furaretur, nobilioribus literis, historijsque præsertim, habuitque in honore præstantibus disciplinarum omnium & nobilium artium studijs insignes, ex hisque præcipuè Franciscum Petrarcham amœna ingenij fertilitate florentem, cuius hortatu bibliothecam condiderat, quum munere beneficioque Caroli Cæsaris Ticini celebre Gymnasium instituisset. In puniendis reis etiam si natura planè lenis & exorabilis videretur, ita clementiam cum seueritate miscebat, vt præscriptas leges non temerè præteriret. Magno autem incorruptæ iustitiæ exemplo fuit Picardonus Vasallius è Vercellis in furca latronum more strangulatus. Hunc Belgici exilij comitem, propterea q; ex humili fortuna ad prefecturam erarij prouectum, indeque sæui prædonis more, nullo metu pudoréue immensas opes congerentem, repetundarum & peculatus reum populus fecerat, iudicesq; damnarant, ita vt princeps nihil omnino ex damnati bonis neque in fiscum neque in erarium se reducturum testaretur, libereque responderet, sibi lege agendum videri, atque eo quidem seuerius, quòd supra furti noxam grauioris flagitij nomen ferret, quando mortalium ingratissimus fuisset. Nimia quoque & penè crudeli seueritate in prætorem ad vicum Iriæ animaduertit, quòd præscriptos ex indice quosdam exules factiosos atque sicarios persequi, captosque statim laqueo necare iussus, propinquorum precibus pœnam tamdiu suspenderat, donec Ticini princeps adiretur. Ex ea enim cunctatione Galeacius quòd iure actum credebat, amicis supplicantibus facilè damnatorum vitam quidem concessit: sed mox prætor tanquam officij oblitus, sontibus seruatis, atque ante carceres inspectantibus, securi ictus est. Sumptuoso autem ædificandi studio, magnificisque operibus Romanæ potentiæ

tiæ monumenta luculenter imitatus, Mediolani arcem Portæ Iouis mira celeritate construxit, quum antea è regione templi maximi, anteriorem curiam vastis porticibus atque cœnaculis & media latissima area ad equestres ludos admirandam Actianis ædibus adiunxisset. Pontem verò lapideum Ticino amni Papiæ imposuit, mirabilis structuræ, cum perpetuæ contignationis tectum aduersus soles, & pluuias sustinentibus ab vtroque podio siliceis columnis superinduceret, & vtraque pontis capita singulis propugnaculis muniret: arx demum in supercilio decliuis vrbis ad boream extructa, condecorataque eximijs picturis ita spectantium oculos ad admirationem conuertit, vt Petrarcha nihil adulatus Galeacium, eo incomparabili ædificio quum cæteris operibus maximos Europæ reges anteiret, seipsum superasse perscripserit. spacium enim quadratæ formæ ducentorum ferè stadiorum perpetuo muro circumplexus opportunum ad omne genus venationis addiderat, fundis nonnunquàm antiquis possessoribus iniquo precio ademptis, vsque adeo impotenter, vt Bartholus è Xysta familia, quum paterno agro pelleretur iniuriam frustra deprecatus, equitanti Galeacio ventrem cultello perfoderit, leui quidem inflicto vulnere, quòd magno casu in ipsam balthei fibulam cuspis incidisset. Cæterùm in fronte arcis supra portam ad viridaria perducentem hoc vel rude carmen in marmorea tabula legebatur, anteaquam tormentis Gallicis ea muri pars cum inscriptione perfracta concideret: extabant & lata insignia gentilitiæ viperæ insculpta scuto, vti moris est superstante galea cum frondoso cono ad similitudinem eius qua in prælijs vti erat solitus. Id autem eo libentius ne periret apposuimus, quòd Galeacius temporario ligneoque tumulo conditus, dum ad nobile sepulchrum fero marmora pararentur, Epitaphio caruit.

Hac Galea Galeaz castrum defendit & vrbem,
Et ferus oppositos violenter comprimit hostes,
Inque fugam vertit timidam mucrone potenti,
Tractauitque suos vt fratres frater amicos
Et sibi subiectos cultu pietatis, & omnes
Defendit populos, sibi quos Diuina potestas
Credidit, & longam dabit his per tempora pacem
Præ cunctisque piam mens est seruare Papiam.

BARNABAS
SIVE LIBER IX.

BARNABAS materni aui nomen tulit, eo quidem euentu vt ab Auria gente naualibus victorijs inclyta, atque innatæ virtutis nomine maximè superba, feroces atque indomitos spiritus accepisse diceretur. Imperiosus enim, immitis & asper euaserat, planè maiores Aurias æmulatus, Brancham Paganum, Lambam, & Lucianum, qui iuxta rei naualis disciplinam naturali conditione præduram atque atrocem, cruentis exercitati prælijs crudeles appa-rerent. Sed qui tantoperè seuerus existimari poterat infracto quodam corporis atque animi vigore, vti semper armatus atque auidè pugnax, vnaque ea quæ cuncta vitia præclarè contegit, & studia militum parat, insigni liberalitate, cæteris eius ætatis ducibus præcellebat. In toto vitæ cursu, quum

quum bella continenter gereret, nunquam conquieuit quod bella ex bellis fererentur, neque pax ſtabilis, neque induciæ diu vigerent, inter ſuſpectantes, atque hoſtilia ex obliquo molientes. Id enim vnum ei non iniquæ ambitionis, verum maximè odioſæ pertinaciæ conſilium fuit, vt Bononiam Olegiani perfidia ſibi ereptam interceptamq; demum fraude Egidij legati in poteſtatem redigeret. Qua ſi ſemel potiretur, Florentini, Lucenſes, Piſani, & vicini principes nequaquam diu ſe tutos fore prouidebant. Factum eſt ex ea contentione, vt cum Pontifice coniurarent, coniunctisque maximis viribus pellendos excindendosque Vicecomites arbitrarentur, propterea conducti ſunt communi ære in Italiam Angli & Britones ex Armorico Oceano, Hiſpaniique Albornocio duce, & Hungari demum ex Pannonia Simone præfecto & poſtremò iterum accitus in Italiam Carolus IIII Imperator. Sed bellum varia fortuna vtrinque geſtum eum finem habuit, vt Barnabas non longè à Bononia ad Raphaelis templum profligatus victusque iterum ad Guaſtallam, detrimenta accepta nouis victorijs ingenti animo reſarciret. Nauali enim certamine in Pado infra Vitellianam hoſtes ſuperarat, conſtructaque inſigni munitione ad Burgum fortem ita locum aduerſus præſentem Cæſarem defenderat, vt perruptis demum Padanis aggeribus, totum penè profluentem in Mantuanos agros effunderet. Quibus detrimentis illatis, omnibusque iam planè feſsis, & pecunia exhauſtis, neceſſaria pax, ſed non planè ſtabilis cum pontifice cæterisque fœderatis facta eſt, non abnuente Carolo, qui Arioniſto Baiorio Vindeliciæ Regulo Barnabæ propinquo interprete: quum belli tædio in Germaniam vocaretur, accepta pecunia & confirmata vetere cum Vicecomitibus amicitia non multò poſt domum redijt, ſic vt ab ea pace Barnabas tota ſpe recuperandæ Bononiæ decidiſſe videretur. Verùm eo minore cum dolore, quòd ad ſolatium irriti conatus Regium Lepidi à Feltrino Gonzaga præſenti pecuniæ coemptum in poteſtatem redegiſſet. Incredibile dictu eſt quantum vtrique fratrum appetita oppugnataque Bononia conſtiterit, quæ nouem bella ex hiſdem cauſis rediuiua, cum ſummo amittendi imperij periculo paucis annis adduxerat. Ferunt enim in bellicos ſumptus ſupra trecentas myriadas ſignati auri expenſas, ita vt mirum videri poſsit tantas pecunias ex vrbibus imperio ſubiectis imperari atque exigi potuiſſe, quum ambos fratres pari atque inſatiabili mutuæ æmulationis libidine ad inſaniam ædificantes, multo maiorem pecuniam in calcem & lateres contuliſſe videamus. Inter nobilia opera Barnabæ præſtantiſsimum fuit Tritianæ arcis pons admirabili fornicis ſtructura amni Abduæ impoſitus, vſque adeo in altum exurgens, vt tribus ſuperædificatis tranſitorijs aditibus, infimo currus cum machinis & impedimentis, medio equites, ſummo peditatum vno tẽpore tranſmitteret. Conſtruxit quoq; arcem ad Romanã portam, quæ Conchanæ domui iungebatur ponte penſili ſupra tecta priuatarũ ædium perducto, inſtar longiſsimæ porticus, cuius adhuc aliquot interciſa mẽbra, ſupra Craſſorum domos ſpectantur. Brixiæ arcem condidit, quæ ex molli cliuo vrbi imminet. In ſuburbanis autem Modoetiam maiorũ opus luculenter imitatus, ad Lambri amnis ripas Melenniano in vico domum peramplam munitæ arci perſimilem cum latericio ponte conſtruxit, & quod egregiæ pietatis opus adhuc extat,

laxos carceres Mediolani inſtituit, in quo egeſtatis vltimæ debitoribus & extra capitalem pœnam damnatis alimenta gratuita præbentur. Sed vel immenſas erarij diuitias vni dotales ſumptus exhaurire facilè potuerunt, quum numeroſam prolem nobiliſsimis Europæ principum domibus inſereret. Viridem enim Leopoldo Auſtrio Norici regulo, Thadeam Stephano, Magdalenam Federico Baioarijs Vindelicíæ principibus. Valentinam Federico Cypri regi collocauit, quum Agnetem Franciſco Gonzagæ, Catharinam Ioanni Galeacio fratris filio, Antoniam & Angleſiam Conrado & Federico Virtembergenſibus Sueuiæ regulis nuptui dediſſet, Lucia ſubinde Edemundo Britanniæ regis filio tradita, vt in remoto etiam Oceano ſobolem propagaret. Ex filiabus autem nequaquam ex Regina vxore ſuſceptis, generos ſibi adſciuit bellica virtute clariſsimos, quum Ioanni Aucutho Britanno Donninia, Lucia Lando Germano ad Brigantinum lacum illuſtri traderetur. Quarum omnium dotes cum luculento mundi muliebris apparatu, vicies centena milia aureorum exceſsiſſe conſtat, nec tot ſumptus tamque immodici Barnabam deterrebant, vt quicquam de ſplendore vitæ remitteret, quin filios diuerſis magnis in domibus cum frequenti & liberaliter ornata familia alendos arbitraretur. Erant legitimæ prolis Marcus, Ludouicus, Rudulphus, Carolus & Maſtinus, quibus imperij vrbes atque oppida per æquas partes diuiſerat, quum totidem ex damnato coitu ſuſceptis, latifundia & domos honeſtosque reditus donationis iure tribuiſſet. Erant ij Ambroſius, Euſtorgius, Palamedes, Lancelotus, & Sacramorus, cuius ſtirpis ſe eſſe fatentur ij Vicecomites qui præcipuam nobilitatem à Matthæo Magno repetunt, quum legitima ſoboles in Philippo principe defecerit: ex his autem Ambroſius tanta militaris ingenij indole ſupra cæteros omnes emicuit, vt eo duce Britannisque militibus præfecto, Barnabas cum Romano Pontifice, Ioannaque Apuliæ Regina, Florentinisque item atque Liguribus vario euentu bella geſſerit. Sed ambroſius in Bergomatum montibus quum auidè rebelles perſequeretur, præceps datus in inſidias, ab agreſtibus eſt interfectus, tanto patris dolore, vt montani vindicante irato patre ſupremæ cladis pœnam ſubierint. Cæterùm hæc diuiſi imperij ſortitio eum habuit euentum, vt vnuſquiſque eorum dolore nimis anguſtæ ditionis Ioanni Galeacio patrueli multo opulentioris imperij fortunam inuideret, & de eo cuncti ſæpe contemptim & criminosè loquerentur. Regina ſiquidem mater ambitioſa ſuperbaque mulier iuuenes ſuopte ingenio elatos & ſupra cenſum ſumptuoſos quotidianis ſermonibus impulerat, vt immoderata percuperent, audendoque, & moliendo aliquod inſigne facinus, ad prælta, vti generoſos deceret, aſpirare condiſcerent, ſicut non obſcurè indicare videretur ſublato patruele, hoſte verius quàm propinquo, ipſos confeſtim ex opulenta hæreditate potentes & planè beatos euaſuros. Cæterùm non multò poſt Regina fato functa Barnabas cum liberis eadem ſpectare cœpit, vtpote qui tot filios ærario ſuo graues prætenui atque ob id infirma ditionis conditione reghaturos proſpiceret. Sed dum ſceleſta conſilia miſcet, & diri odij cogitationes extendit, Ioanni Galeacio cuncta produntur. Is graui callidoque ingenio, audita exploratáque diſsimulat, & aduerſus inſidias ſeſe domi & foris præmunit, intimi officij miniſteria coarctat: abdi-

abdicatoque luxu menſam certis dapibus aſtrinxit: cuſtodiam verò corporis ex fidis veteranis adauget, nec arcis limine pedem effert, niſi explorato, præeuntibus ſcilicet armatorum turmis, & prætoria cohorte circumfuſa: ante omnia porrò adſtruendum ex longinquo dolum ſuburbana templa ſuppliceabundus ſæpe inuiſens, conceptæ religionis & demiſſi pauentisque animi ſigna præbet. Quibus artibus vſque adeo in contemptum venit, vt nihil virile, vel ab aſtuto patruo ſene cogitare putaretur, & patrueles nonnunquam dictarent, aliquanto eum opimo ſacerdotio, quàm tanto imperio digniorem videri. Itaque communicato cum paucis conſilio, edicens ſe Mariæ virginis templum, quod eſt in monte ſupra Vareſium oppidum multis miraculis atque donarijs venerabile, ſoluendi voti cauſa profecturum, è Ticino Mediolanum contendit. Nec differt Barnabas, quin venienti honoris cauſa occurrat, quanquam improuiſo aduentu perturbatus, pudore metum vincente paululum cunctaretur. Nec multò poſt Vercellenſi porta prodeuntem dato ſigno armati equites inermem & mula vectum comprehendunt, & in proximam portæ Iouis arcem cum Marco atque Rodulpho filijs deducunt. At Ioannes Galeacius continenter armata agmina in vrbem introducit, domosque capti fratris tanquam hoſtis ad excitandam plebem, opportuno aſtu diripiendas populo præbet. Fit maximus in vrbe tumultus, punctoque temporis memorabili fortunæ ludibrio tantæ opes euertuntur: nec quiſquam omnino repertus eſt qui opem ferret: quum amici pariter atque hoſtes in opulentiſsimæ gazæ aceruos auidè graſſarentur, & maledictis Barnabam vti crudelem Tyrannum inceſſerent: nec in ea licentia publicanos & quæſtores vti populo inuiſos vllæ vel in ſterquilinijs latebræ diu tegunt: arx quoque ipſa attonitis cuſtodibus paucas poſt horas deditur, è qua ſeptem plauſtra elaborato argento, & precioſa ſupellectile onuſta, ſignatæque item aureæ monetæ ſeptingenta milia educta fuiſſe referuntur. Nec tanta calamitas prodigio caruit: domus enim Palatina ſeptimo die ante cladem adeo vehementer de cœlo tacta eſt, vt intimi cubiculi periſtromata deflagrarent, & Viperæ marmoreæ faſtigio ſuperſtantes fulmine frangerentur: vates quoque domeſticus cognomento Medicina, vt nonas Maias eo anno trium ſyderum coitu infauſtas caueret, multo antè prædixerat, & tum in fata ſua properantem, retentare fuerat conatus: occulta enim vis fati tum maximè vrgebat, quum miſero mentis arbitrium eriperet. Euaſerat paulò antè Barnabas ad inexpiabile odium populi ſeipſo acerbior & ſæuior, durum & atrox eius ingenium ſenecta nihil molliente: quippe qui inopia rapax, infamis auaritiæ nomen immani crudelitate cumularet. Nam præter perpetua inclementer imperatæ atque exactæ pecuniæ detrimenta illata populis, noua etiam atque atrociſsima lege promulgata, inquiri comprehendique eos iuſſerat, qui quinquennio antè contra vetus edictum apros occidiſſent, aut ex his vel in aliena menſa comediſſent, vſque adeo inexorabili damnatione, vt ſupra centum ex miſeris agricolis laqueo ſuſpenderentur, reliqui vniuerſa ſubſtantia mulctati exilio ſolum verterent: diuiſerat enim per pagos venationibus opportunos multa milia venaticorum canum grauiſsimo incolarum ſumptu alenda curandaque, cùm vicatim per familias diſtribuerentur, & præfecti venatorio apparatui multis cum miniſtris paſsim

regiones circumirent tremendo ſuperbæ cenſuræ inſtituto ſingulos canes ex indicis volumine inſpectantes, vt inſolenti iudicio quos vellent verberibus pecuniaque punirent, quum pari mulcta damnarentur, qui ſtrigoſos & graciles tanquam inedia malignè eneruatos, & contra obeſos tanquam nimia pinguedine inertes factos, aut impexis villis malè curatos produxiſſent. At Barnabas in Tritianam arcem ab ſe ædificatam deductus, ſeptimo carceris menſe cum regnaſſet annos triginta, vixiſſet ſexaginta ſex, veneno faſeolis indito, vt fama tum fuit, extinguitur, eo quidem æquiore animo tolerata calamitate, quòd in manibus Domniniæ Porræ adamatæ antea concubinæ, in ipſa extrema vitæ ſorte non planè miſer expirarit. Hæc Ioannis Aucuthi Britanni ſocrus fuit, quæ calamitatis vltro conſors ſupremum in tantis rerumnis miſero ſeni ſolamen attulerat. Cadauer Mediolani Conchano in templo tumulatum eſt, ſtatua equeſtri ex marmore Lunenſi ſuperſtante in eo ipſo armorum cultu, expreſsique oris habitu, quo bella geſſerat, nullo tamen epigrammate addito, cum iuxta cubans Regina vxor marmoreo ſepulchro tale carmen meruiſſet.

Italiæ ſplendor Ligurum Regina Beatrix
Hic animam Chriſto reddidit oſſa ſuo,
Quæ fuit in toto rerum pulcherrima mundo
Et decor, & ſanctæ forma pudicitiæ.
Laurea virtutum, flos morum, pacis origo,
Nobilibus requies, ciuibus alma quies.
Quam patris extollunt Maſtini geſta potentis,
Veronæ nuptam magnificique Canis,
Barnabas armipotens Vicecomes gloria Regum
Naturæ præcium conſpicuumque decus,
Qui Mediolani frænos, & lora ſuperbæ
Temperat Auſoniæ, quem timet omne latus
Hac conſorte thori felix conſorte laborum
Exegit longa proſperitate dies
Hanc deus elegit ſecum periturus & inde
Spiritus ætherei regnat in arce Poli.

IOANNES GALEACIVS, SIVE LIBER X.

IN IOANNE Galeacio à primis ſtatim pueritiæ initijs, vſq; adeo mira grauitatis atque prudentiæ ſpecies enituit, cùm in eo ſuprà captum eius ætatis ſolertiæ iudicium memoriaque vigerent, vt eum plerique ex ratione phyſica citiſsimè moritu rum crederent, neque vnquam tantas præcocis eius ingenij dotes ad opimæ frugis maturitatem peruenturas arbitrarentur. Ferunt enim ſicuti in Petrarchæ vita legimus, Galeacium patrem, quum ex conſuetudine conſiliũ aduocaſſet, multiq; inſignes togati viri in intimũ conclaue admiſsi conſediſſent, à puero tum fortè intentis oculis procerũ ora atq; habitũ cõtem plante per iocũ queſiuiſſe, quis nam ſibi ex eo numero ſapientior videretur:

tum verò puerum qui tum erat quinquennis ſuſpenſo vultu conſideratis ſin gulis demum acceſsiſſe ad Petrarcham, quem nunquam antea viderat, & blandè arrepta toga eum oraſſe, vt ſe ad patris ſellam ſeſſum perduci pateretur, ſtatimque magnum cum admiratione omnibus riſum obortum, quòd puer perſpicaci iudicio omnium longè clariſsimum ea tempeſtate poetam delegiſſet. Nec eum per omnes ætatis gradus ſumma cura à lectiſsimis præceptoribus atque nutritijs educatum, quin in eundem iudicij morumque tenorem incumberet, natura deſtituit. à pueritia enim ad integram ætatem pro uectum in tanta actionum varietate tale ſemper ingenij ſpecimen edebat, vt eius opinionem naturæ præſidio firmatam corroboratamque multa hiſtoriarum lectione, atque vſu rerum nemo falleret, atque omnia vel planè fortuita præſentiens conſilio Fortunam regere videretur. Nec id hercle mirum erat, quum inueterata conſuetudine multum ipſe ſolus deambulando meditari, cum peritiſsimis in omni negocio deliberare, exempla rerum ex annalibus repetere, inſtituta maiorum, quæ euentus belli comprobaſſet, diligenter imitari eſſet ſolitus. Nullæ enim eum voluptates venationis aut aucupij, non aleæ ludus, non illecebræ muliebres, non ſannionum aut ſcurrarum fabulæ à negocijs auocabant: exercebat corpus modicè ad rationem tuendæ valetudinis, animum remittebat eruditorum colloquijs & frequenti lectione, ſecretisque item commentationibus ad iuſtitiam pietatemque reuocatis. Conduxerat liberalibus ſtipendijs omnium diſciplinarum profeſſores, qui in Gymnaſio Ticinenſi à patre condito, iuuentutem docerent. Bibliothecam porrò erecto iuxta delubro in quo diuorum & martyrum reliquiæ pretioſis diſtinctæ loculis ſeruabantur, rariſsimis codicibus referſerat. Ex ordine profitentium celeberrimi tum fuere, qui monumenta ingenij poſteris reliquerunt, in iure ciuili Baldus, & duo Raphaeles, Fulgoſius atque Comenſis, & Segnorolus Amadeus. In philoſophia Vgo Senenſis, & Blaſius Pelacanis à Parma, cuius etiam extant in Aſtronomicis, diſciplinaque optices ſubtiliſsimæ quæſtiones. Tres quoque medici, Marſilius à Sancta ſophia, Syllanus Niger, & Antonius Vacca, quorum commentarij in Scolis hodie præleguntur. In tradendis autem Grecæ linguæ præceptis eminebat Emauuel Chryſoloras Bizantius. Sed ſupra doctores omnium diſciplinarum erat conſpicuus Petrus Philargus Cretenſis, ſacrarum literarum interpres, qui poſtea Pontifex euaſit, & Alexander V. eſt appellatus. Ex hoc præſertim lectiſsimo genere hominum, & ex his qui vſu rerum & prudentia valerent conſiliarios vberrimis honeſtatos ſtipendijs aſciuerat, vt non planè mirum videri poſſet, poſtquam ipſe illuſtri iudicio polleret, ſi in conſilio exactiſsimè deliberata diſcuſſaque, ex voto plerunque felix euentus ſeuqeretur. Cuncta ſub eo officia quæ tanti imperij adminiſtrationem reſpicerent admirabili ordine conſtabant: nihil enim in toto humanarum rerum negocio, domi & foris ipſo ordine eſſe præſtantius diſſerere erat ſolitus: quo vno & ipſa in primis res militaris, & actio ciuilis omnis, & domeſtica diſciplina, veluti certiſsima compage regerentur. Imperia autem iuſſaque in maximis minimisque rebus de ſcripto exibant, & rerum omnium ſumptuariæ rationes ampliſsimis codicibus mandabantur: ex quibus miniſtrorum fidem & diligentiam exigebat, & per cenſores quidem ſpectatæ probitatis

probitatis, qui singula pro meritis ad pœnam & præmium reuocarent. Erant autem in eius aula infiniti propè librarij amanuenses, atque ntoarij, qui per singula officia rationum præfectis operam nauarent, tanta cura religioneque, vt non modò totius imperij vrbiumque status redditus, & custodiarum sumptus, sed si quid in publica ludorum spectacula impenderetur, & quot fercula sigillatim in solennibus conuiuijs venirent, & quid claris hospitibus donaretur, ad exemplum atque ad memoriam scriberentur. Vidimus in archiuorum eius armarijs, admirandos codices in membranis, qui in singulos annos ducum & præfectorum veteranorumque militum nomina, singulorumque stipendia, & alarum ac turmarum indices continebant, descriptaque item exempla literarum, quæ in grauissimis gerendi belli & conficiendæ pacis negocijs aut ipse ad principes scripsisset, aut ab illis accepisset: vt si quis iustam historiam condere velit, non aliunde vberiorem certioremque materiam desideret: quando ex his bellorum causæ, consilia, & rerum gestarum euentus facillimè deprehenduntur. Apud patrem patruumque Barnabam Germanorum & Britannorum aduentu rudimentum militiæ posuit: nec multò post quum vigesimum tertium etatis annum implesset, à patre commentitio nomine emancipatus est, in patrimonij partem Nouaria, Vercellis, Asta, Alexandriaque ei traditis, vt inde Othoni Montisferrati Regulo semper hosti, nec vnquam quieto, dissimulante patre arma inferret. Sed dum in eo bello versaretur, prodentibus Guelphis Vercellas amisit. Allobrogum enim Regulus, quanquam ei esset auunculus, & Fliſci Ligures periculi sui admoniti, Othonis sibi finitimi iniurias defendebant: acciuerantque auxilia Pontificiarum copiarum, arcemque Ioannis Galeacij præsidio custoditam circumuallarant, vsq; adeo validis circumpositis stationibus, vt Ioannes Galeacius non semel obsesso præsidio, opem ferre conatus, quòd hostes castra castris contulissent, planè circumuentus obsideretur: tandemque præsidium vrgente fame, & desperato commeatu ex conditione arcem dederet. Sed aliquanto infelicius Britannorum aduentu arma tractauit: nam à Ioanne Auchuto Britannorũ clarissimo duce qui ab amicitia Barnabæ discedens, Pontifici & Florentinis adhæserat, in Brixiano agro acie victus profligatusque est vsqueadeo graui accepto detrimento, vt eius duces fermè omnes cum vexillis caperentur, & ipse celeri fuga è manibus hostium ægrè sese eriperet.

Ab his infaustis susceptæ militiæ initijs, cum satis superq; cùm virtutis, tum fortunæ suæ periculum feciſſe videretur, mortuo patre per legatos bella gerere constituit, quòd vnicus patris hæres extra infesti Martis discrimina sibi omnino parcendum, alienaque virtute, quæ pecuniæ mercede pararetur, sub eundam præliorum aleam existimabat: rebaturque vti natura cautus exacteque prudens, & vti mox apparuit, consilio quàm manu validior, se domi quàm foris feliciorem euasurum, pollicentibus præsertim ex genitura Mathematicis maximas opes, adauctum imperium, hostium calamitates, summamque gloriam si armorum pericula deuitaret. Neque fatidici vates, aut ipse naturæ genius humanæ voluntatis arbiter, fidem fefellerunt. Paucis annis admirabiles adeptus victorias, ita inimicos perdidit, cæcidit hostes, imperij fines protulit, vt arridentis fortunæ fiducia subnixus, totius Italiæ regnũ affectaret. Iam enim eum Ladislaus Cæsar nouo honoris titulo honesta-

rat,quũ ex ſolennibus codicillis primũ Mediolani Ducem ſceptro,pileoq; ei ius dignitatis inſignibus per legatos tranſmiſsis appellaſſet. Formidandæ ambitioſi principis erant opes, & quòd lõgè omnium ampliſsimæ, & quòd vltra ſummã prudentiã veterano milite,ſtrenuiſq; & præclaré fortunatis ducibus niterentur.Scaligeris Veronam atq; Vicẽtiam ademerat,Carrarienſibus verò Patauium,Franciſco Seniore in Modoetianum carcerẽ coniecto:præterea Taruiſium, Feltriũ,Bellunũ, montanaq; oppida cum Tridento in poteſtatẽ redegerat.Peruſini & Aſsiſiates ad eum à Pontifice defecerant. Senenſes tædio incertæ libertatis ad eius authoritatem finitimos Piſanos ſecuti ſe contulerant: quum nec Lucenſes imperium eius abnuerent.propterea Florentini non obſcuro perculſi metu, potentiſsimi hominis vim ſuſpectantes,ei vndique circummiſsis per omnem Europam legationibus,graue bellum concitabant, Roberto præſertim Cæſare in Italiam excito,& Gallis duce Armeniaco cis alpes perductis. Sed eos externarum gentium conatus ita ſuſtinuit,vt Gallos virtute Iacobi Vermij ad Alexandriam ingenti pugna ſuperatos,interfecto duce deleuerit,Cæſaremque à Brixianis alpibus ſe dimittere auſum, oppoſito Facinio Cane, primas Germanorum alas profligante, in Germaniam retruſerit. Exinde ad vindicandas iniurias pergens,Franciſcum Gonzagam Mantuæ obſeſſum, deriuatis Pado atque Atheſi per emiſſarios,& pene ſummerſa vrbe,pacis conditiones accipere coegit. Nouiſsimè ad Caſalecium iuxta Bononiam, Pontificis, Florentinorum & Bononienſium ingentem exercitũ,Bernardone Aquitano fortiſsimo duce capto,collata acie profligauit,ab eaque ſtatim victoria vrbe Bononia potius eſt,pro qua ab exceſſu Ioannis Antiſtitis per quinquaginta ferè annos fuerat dimicatum. Nec multò poſt victricibus copijs in Ethruriam per Apenninum tantum terrorem Florentinis intulit, vt demiſsi animo ciues, nequaquam in domeſticis præſidijs,ſed in vna tantùm impotentis atque irati hoſtis morte ſalutem reponerent. Nec eorum votis fortuna defuit: in arce enim Melenniani,Romana via ſupra Lambrum peſtilenti febre correptus exceſsit è vita,pridie nonas Septembris, anno à partu Virginis ſupra milleſimum quadringenteſimo ſecundo, quum ætatis annum quinquageſimum quintum attingeret,imperaſſet autem annis viginti quatuor.Duos ex Catharina Barnabæ filia impuberes filios Ioannem & Philippum reliquit. Cum autem ex Iſabella Caroli Galliæ regis filia,priore vxore nullam prolem ſuſcepiſſet,ad inſtaurandam cum Gallo rege propinquitatem, Valentinam ex eadem Catharina primo partu genitam, Ludouico Aurelianorum principi Regis filio nuptui dederat. Quo coniugio,Aſta Colonia dotis nomine Valentinæ obuenit,ad liberos verò eius hæreditatis titulo Mediolanenſis imperij iura tranſierunt, quòd Valentinæ fratres ſine legitima prole deceſisſent, ſiniſtro quidem omine, inſigniq́ue detrimento Italiæ Galliæque, quòd in repetenda ea hæreditate,diuturnum & atrox bellum ſit exortum, cuius adhuc nullum omnino certum finem videmus. Arſit per aliquos dies ante eius mortem cometes ingens,lurida & funebri oblongaq; cauda, verſus eam cæli plagam, quæ in Corum ventum obuertitur.Nec eo cæleſti prodigio indignus videri potuit,quum nemo principum in Italia à Gothicis vſque temporibus repetita memoria, imperij magnitudine & vitæ ſplendore eo clarior atque potentio

tior extiterit. quòd ſi victorias inter fortunæ munera numeremus, nemo certè ei vel innatæ grauitatis atque prudentiæ opinione, vel ipſa oris ac corporis dignitate, vel exornandæ virtutis ſtudio, ad cenſum veræ gloriæ comparandus eſt: quanquã tanti nominis famam prægrauaſſe videatur patruus Barnabas exutus regno, in Tritianoque demum carcere necatus, atque illa immenſa proferendi imperij cupiditas. Sed hanc quiſque non iniquus, neque immoderatus tyrannus, Caij Cæſaris exemplo facilè excuſauerit, ſi regnandi cauſa iuſiurandum violandum eſſe exiſtimet, & ipſe Ioannes Galeacius in exercenda ſæuitia, tempeſtiuus Barnabam, pares atq; immeritas ſtruentem inſidias, rectè præoccupaſſe cenſeatur. Contraxit tamen inuidiam eius animo grauem vti ſæuè rapax & immitis, atque perpetuus vrbium ſuarum expilator, quum à ſubiectis imperio concepta odia detegi exercerique nequirent, quæ demum in morte eius per ſingulas vrbes eruperunt. Neque enim perpetuo imperatæ pecuniæ onere feſsis, ſatis digna tolerandæ iniuriæ cauſa videbatur, accerſita ſæpe vltro gerendi belli neceſsitas, quòd nunquam ex bello pacem expeteret, ſed ex pace ſemper alia atque alia bella quæ rerentur. Nec mirum, quum ſerendis bellis viginti millia equitum & totidem peditum perpetuò alenda ſuſcepiſſet, nec vllis omnino ſumptibus parcendum arbitraretur, modò fortiſsimũ quemq; ex omni militari ordine inuitatum, vberioribus ſtipendijs, ob idque facilè detractum hoſti ſibi adſciſceret. Profiteri enim erat ſolitus, nihil eſſe ea mercatura nobilius, qua viri inſignes pararentur. Obiectauit & ei probroſas libidines in hiſtorijs Antoninus Florentinorũ Antiſtes, inepto & improbo maledicendi genere, in hoſtem patriæ inſolenter inuectus. Nullum autem eius ædificium paulò luculentius extat, quum maiores eius vſquè ad inſaniam domi & foris curias, arces, prætoria ſumptuoſiſsimè condidiſſent. Singulari tamen pietatis & magnificentiæ ſtudio, Carthuſiæ templum conſtruxit ad quartum lapidem à Ticinenſi paterna arce, vbi ferarum ſepta terminantur, addictis in alimenta ſacerdotum latifundijs. In eo templo humari voluit, ſpectaturque poſt aram maximam cælati operis admirabile ſepulchrum, ſubſcriptis ad hiſtorias rerum geſtarum, quæ marmoreis imaginibus decentiſsimè figurantur, his carminibus non omnino indignis, vt alibi quàm Carthuſiæ perlegantur.

Cum ducis Anguigeri varijs diuiſa ſepulchris
Membra cubent: ſic iuſſit enim. nam viſcera ſeruat
Antoni tua ſancta domus celebrata Viennæ,
Cor Ticinenſis Michael, Carthuſia corpus:
Hic quoque ad æternum populi patriæque dolorem
Vexilla, & Clypei, & lachrymoſæ inſignia pompæ
Exequialis honos, monumentum flebile pendent.
Inſtar & hoc tumuli ſemper memorabile noſtris
Impoſitum ſignum eſt oculis, lege principis ergò.
Hic etiam titulos nomenque genusque ſupremi
Cuius ab Angleriæ primus quos protulit olim
Natus ab Aſcanio Troiani ſanguinis Anglus,

Comitibus, si prisca petas primordia clari
Nominis, atque domus Vicecomitis extat origo
Talibus exortum proauis dixere Ioannem
Hunc Galeaz, quo non fama vulgatius vllum
Nomen in orbe fuit, factis ingentibus Heros.
Ille quidem Anguigeram super aurea sydera gentem
Extulit, & sese virtute æquauit Olympo
Dux Ligurum, patriáque pater, Comesque Papiæ,
Virtutumque fuit, quantum splendebat in illo
Imperiosa oculis vis maiestatis, & altæ
Frontis honos, tantum specie mortalibus ibat
Altior, vt dominum sola esse doceret imago,
Quantum lux animi specioso in corpore fulsit,
Cognita per varium testantur plurima casum
Consilia alta Ducis cuius pietasque fidesque
Sacráque iustitia, & clementia sanguinis expers
Innocuam fecere animam: Nec dulcior alter
Eloquio, nec magnificis præstantior alter,
Nec fuit in totis Europæ finibus vnquam
Aptior imperijs princeps, nec sanctior alter
Religione fuit, nec pacis amantior illo.
Hanc propter sæpe auspicijs iusta arma secundis
Induit, & claros superato ex hoste triumphos
Cepit, & vltrices qua nulla est gloria maior,
Nullaque compositæ maior constantia mentis,
Ipse sui victor de pectore depulit iras
Permisitque pius victis ad sana reuerti
Consilia, & medijs pacem quæsiuit in armis.
Ipse graues populis cruda de sede Tyrannos
Deiecit, fregit tumidos, strauitque superbos.
Hic erat vnde quies magnorum certa laborum
Italiæ speranda foret, Duce læta sub isto
Illa sibi antiquos iam promittebat honores:
Nanque videbatur cœlo demissus ad vnum
Natus, vt indeptis componeret aurea terris
Sæcula & afflicto tandem daret ocia mundo.
At deus Ausoniæ dederat quod sydus agenti
Transtulit ad superos, siue illo ornare beatos
Angelicós ve Choros voluit, seu lumine tali
Indignam est ratus Italiam, mundumque nocentem
Consilij ratio alta latens & causa superstat.
Sed nos ô miseri quorum ille pijssimus heros
Destitit optatæ nunquam vigilare saluti,
Flete Ducem Ligures, talem lachrymate parentem
Vosque vrbes viduæ, Princeps quas ille sub altis
Felices sceptrisque suis cum pace fouebat,

Aeternas oculis lachrymas effundite veſtris,
Ante alias Mediolanum patria inclyta magnum
Principis atque caput tantæ ditionis: & olim
Longobardorum domus auguſtiſsima Regum,
Magnanimóque Duci nuper gratiſsima ſedes
Papia illuſtris titulis quas fecerat vrbes:
Et vicina ſequens matris veſtigia Laude
Vrbs Pompeiani de laude vocata triumphi:
Brixia ciuili nec eneruata duello:
Funde pares lachrymas quibus alta Verona, ſororque
Ingenijs ornata bonis Vicentia, duris
Cognita temporibus: paruæque in montibus vrbes
Bellunum, Feltrumque adeant: & pulchra feraci
Planitie Cremona ſedens, memoresque laborum
Vercellæ antiquis tellus agitata procellis:
Et cum Derthona fœcunda Nouaria pingui,
Piſcoſúmve Comum, Populóque animoſa ſuperbo
Bergoma, & occiduus quas nunquam victor adiuit
Nomen Alexandri retinens vrbs fertilis oris
Quæque tot egregios in prælia mittit alumnos
Parma potens animos, & opima Placentia campis,
Et Bouium, & vicina malis vrbs ducta priuſquam
Sub ducis imperium, & iuga non metuenda veniret.
Te quoque Lucenſis regio, licet obruta Lunæ
Mœnia ſint, reliquis plorantibus vrbibus addas,
Quas inter magno eſt lacerata Bononia fletu
Et gemitu, & lachrymis proprium confeſſa laborem,
Quæ ſibi ſyderios ſubitò mors improba vultus
Principis eripuit, nec paſſa diutius illam
Maieſtate frui, dulcis dulcedine ſceptri.
Ite ſimul, ſic fata iubent, ſociare querelas
Vrbs Piſæ, quondam Tyrrheni Roma profundi,
Maſſáque Gorſetum, manu vehat inclyta ſecum,
Et cum vicino turrita Peruſia ploret
Aſſiſio, & mœſtæ ſaliant ad ſydera voces:
Romanum gemat Imperium, Romanáque plangat
Eccleſia, hi lachryment oculi duo lumina terræ
Raptus vterque pugil, Latijs quo maior in oris
Non erat: ex Italis Germanos depulit hoſtes
Finibus, & Gallos bello confixit acerbo.
Ante Quirinalem poſſet quàm cernere Romam
Mille quater centum atque duos cum duceret annos
Sol, hunc atra dies Septembris tertia ademit.

IOANNES MA-
RIA, SIVE LI-
BER XI.

MORIENS Ioannes Galeacius ad teſtamentū antea ritè condi tum additis codicillis, Ioannē Mariam maximæ partis imperij, nouiq; tituli hæredē inſtituit, ea cōditione, vt Philippus Papiā vrbem obtineret, Nouaria, Alexandria, Aſta, Vercellis atque Derthona adiunctis, Papiæ Comes appellaretur. Gabrieli autem ex Agnete Mantegatia ſpurio, qui erat legitimis ætate ſuperior, Piſas, Cremamq; legauit: atque ita Ioannes Maria deſumpto Ducis nomine, ſuſceptisque paternæ dignitatis ornamentis ad imperium euectus eſt, funeſtis vtique auſpicijs; nam illico ciuile bellum exarſit Gibellinis & Guelphis inter ſe

vecordi

vecordi impetu concurrentibus. Eæ ſiquidem diræ factiones contempto adoleſcente principe, vetera ciuium odia refricarant, quæ ſuperiorum principũ virtute ſublata videbantur. Is longè grauiſsimus & ſummè lugubris tumultus non vrbibus modò atque oppidis, ſed pagis agreſtibusque familijs, eodem inſaniæ morbo correptis, vaſtitatem attulit: quum cædibus incendijsque graſſari, cognatis & affinibus vltimam vim afferre, ſacra denique non ſecus ac prophana violare fas putarent, virtutisque & gloriæ loco ducerent, ſi ad oſtendendum inſigne factionis ſtudium maximè crudeles euaſiſſent. Sed dum Mediolani per ſingulas regiones cruentos euentus alternante fortuna certaretur, eadem peſtilentis mali lues, reliquas imperij ciuitates celeriter inuaſit, inſigni perfidia præfectorum & ducum, qui orientes tumultus quum facilè opprimere poſſent, turbidis rebus magnoperè gauderent. ij enim modò his, modò illis fauentes, altera partium expulſa, altera verò attritis feſſa viribus, ſubnixi validis præſidijs, vrbium dominatus arripere è medio cogitarant. Per hunc modum nullo pudore violati militaris ſacramenti, Pandulphus Malateſta Brixiam & Bergomum occupauit, cuius factum infame ſceleſtumque ſubſequuti Gabrinus Fundulius Cremonæ, Facinius Canis Papiæ atque Alexandriæ, Ioannes Vineatus Laudi Pompeiæ: Cremæ Benzones, Placentiæ Arcelli, Othobonus Tertius Parmæ, Franchinus Ruſca Comi, Bruſati, & Tornielli quondam exules Vercellis atque Nouariæ dominatum inuaſerunt. Qua fœda, & repentina ducum atque vrbium defectione conſternatus princeps, docente & hortante matre, conſilium ſuſcepit de creando gubernatore, qui militari cum imperio vrbem regeret, & ſalutem dignitatemque principis præſentibus armis tueretur. Veteres enim conſiliarij amicique quos pater in tutelam adoleſcentis reliquerat, diuerſo æſtu turbulentæ tempeſtatis iactati, aut ſecuri colla præbuerant, aut exauctorati, aduerſarijs locum occupantibus metu mortis diffugerant. Itaq; Mediolanum accerſitur Carolus Malateſta. is introductis copijs factioſorum audaciam coercet, præclarum reſtituendi imperij & parandæ quietis ſtudium oſtendit, fratriſque filiam principi in matrimonium collocat. Sed non multò poſt, quòd Guelpharum partium nomen præferret, vrgentibus patritijs Mediolano excedere cogitur. Euocatus ſubinde eſt in eius locũ Facinius Canis bello dux impiger, ſed impenſe rapax & vehementer factioſus. Verùm is multis expeditionibus proſperè confectis, quum parum æquus & reipublicæ vtilis foret, quòd Gibellinarum partium ſe defenſorem & ducem profiteretur, Guelphorum inſidijs petitus, atque vrbe vſque adeo violenter exactus eſt, vt cum circumfuſis in eum coniuratis, ne caperetur per auerſam Actianæ curiæ portulam adacto equo in fugam ſe proriperet, contuſa vehementer fronte in valuarum anguſtijs, relicto coccineo capitis integumento, continenti curſu Roſatum vſque percurreret. Tum verò Guelphi Antonio Turriano cohortante, qui apud principem quanquam nomine familiæ odioſus eſſe deberet, tamen plurimum gratia valebat, Ioannem Mariam perpulerunt, vt in Facinij locum, cum eadem imperij poteſtate Bucicaldum Gallum acciret. Is tum à rege Galliæ deditis vltro Liguribus præpoſitus Genuæ præſidem agebat, vir corpore pariter & ingenio vaſtus. Itaque ſtipatus Gallis equitibus, quum Mediolanum veniſſet, ante omnia infido conſilio, vt arce potiretur cuſto-

dis animum oblata pecunia tentauit. Id facinus maligne ſuſceptum, quum minimè ex ſententia proceſsiſſet, cuncta ad ſuperbum atbitrium reuocanda ratus, edictis propoſitis & percuſſa ſub nomine ſuo moneta, ita impotentis animi libidinem nudauit, vt non Ioanni Mariæ modò, ſed vtriuſque etiam factionis ciuibus in ſuſpicionem affectati principatus venerit. Sed dum Mediolani hac inani ſpe immodicos ſpiritus alit, atque odium ſibi ingens parat, illudente Fortuna votis eius Gallica præſidia occiſo à Spinulis Serratone præfecto, Genua pelluntur, Theodorusque Montisferrati Marchio, ſtrenuè operam nauante Facinio, Genuæ Princeps acclamatur. quo nuntio perterritus, nec ab re ſibi timens, priuſquam tanti accepti incommodi fama vulgaretur, ſimulata expeditione in Ticinēſes, copias Mediolano eduxit. quem Facinius euadentem ad Nouium oppidum adortus, adeo opportunè commiſſa pugna profligauit, vt Bucicaldus amiſſis copijs Genuæ & Mediolani præfectura vno tempore exutus, per aſperos Alpium tramites in vlteriorem Galliam perfugerit. Hic eſt ille Bucicaldus, qui Gabrielem Ioannis Galeacij filium, auaro truculentoque iudicio Genuæ ſecuri percuſsit, vt prægrandi ea pecunia potiretur, quæ illi obuenerat, quum Piſas Florentino ſenatui vendidiſſet. Per id tempus Ioannes matrem amiſit, tantis curis, vt erat corpore imbecillo, facilè ſuccumbentem: cuius peruerſo conſilio non multò antè, vt propinquas vrbes facilius tueretur, aut occupantibus Tyrannis eriperet, cæteras quæ remotæ ditionis erant, Bonifacio pontifici tradendas cenſuerat, ſcilicet vt eo inſigni munere inanem promereretur amicitiã, & tutelare fœdus afflictis & planè perditis rebus impetraret. Per hunc modum Bononia tantis impenſis atque laboribus parta: itemque Aſsiſsium atque Peruſia Vmbriæ vrbes Mediolanenſi imperio adiectæ, quum ex calamitate leuitateque Ioannis, Fortuna eodem pertinaci veſtigio nixa, alienæ felicitati aſpiraret, in ditionem Pontificij imperij conceſſerunt. Pari quoque ignauia aut deſperatione Senenſibus obtruncato Corregio præfecto deſciſcentibus, libertatem cruentis admodum ſeditionibus implicatam reliquit. Cæterùm nihilo ſecius Mediolani certabatur, recrudeſcentibus ciuium odijs, per mutuas cædes, quòd neque victi vindictæ cupiditate pacem vellent, neque victores victis inducias tanquam ſucceſſu damnoſas dandas putarent: quibus rerum difficultatibus adductus princeps, quod vnum omnino remedium in tanta ciuitatis perturbatione tranquillitatem afferre poſſe videbatur, Facinio datis obſidibus, ſeſe reconciliat, eumque iterum accerſit, & bellicarum ciuiliumque rerum moderatorem cum ſuprema poteſtate creat. eius aduentu Guelphi qui ſub Bucicaldo inſolentes euaſerant, arma poſuerunt: quieſcentibusque demum Gibellinis atque vrbe pacata, Facinius Bergomatibus bellũ inferre iuſſus trans Abduam ducto exercitu, rebellãtis vrbis agros omni belli clade vaſtauit. Sed cũ Bergomates conſumptis hoſtili igne ſuburbanis tectis ne extrema paterentur, ſe dedere decreuiſſent, Facinium articularis morbi, renumq; dolores vſq; adeo grauiter inuaſerunt, vt abſcedere irrito incepto, Papiamq; deferri cogeretur. Is morbus qui Facinio ſupremus fuit nouãdis rebus occaſionẽ præbuiſſe fertur: ſummæ nanq; audaciæ turbulenti ciues in necem principis cõiurarunt. in queis eminebãt Baucij fratres Andreas et Paulus ex intimis familiaribus, duo Puſterlæ pernobiles, et Franciſcus Mainus, Bertonus Mante-

Mantegatius,& Acontius Triuultius.Hos tanquam duces ex vtroq; factionis ordine alij ſupra triginta ſequebantur:neq; fuit quiſquã è tanto numero qui in ſumma ſpe ampliſsimi præmij fidem prodendo fallere voluerit,quũ in vitæ periculum ex ſuſpecta conſciorum multitudine ſubiret: oderant enim eum omnes tanquam inuſitatæ immanitatis Tyrannum,quòd in tanta per nouem annos grumnoſi imperij rerum omnium aſperitate, inſanæ feritatis morbum concepiſſet, vſque adeo horrendum,vt iracundia in rabiem verſa, damnatos aut ſibi inuiſos voraciſsimis canibus laniandos obijceret,eoque atroci ſpectaculo magnopere lætaretur,haberetque in delitijs Squarciam Giramum alioqui honeſta ortum familia, inhumanæ fæuitiæ miniſtrum, qui ad eam carnificinam ingentes moloſſos humana carne alendos ſuſcepiſſet. Dijs itaque atque hominibus tale monſtrum abominantibus poſtridie Idus Maias ſacrorum cauſa in templum diui Gothardi deſcendentem Baucij fratres, reliqua coniuratorum manu incumbente duobus vulneribus confecerunt diſciſſa vſque ad oculos fronte,& dextro crure ad ſuram detruncato. Exanimem & aliquandiu ab omnibus deſertum pauci ex infimo familiæ ordine in templum maximum detulere. Ibi cum fœdis vulneribus & multo cruore deformatus non ſine ludibrio ſpectaretur,infimæ ſortis meretrix tẽpeſtiuæ pietatis officium vſurpans,totum cadauer multa recenti roſa contexit. Inde poſtea à Philippo ſucceſſore opulentam dotem,vt honeſtè nuberet ingenuæ charitatis nomine habere promeruit.Eodem die Giramus ſceleſtus carnifex concurſu populi latebra extractus, quum viuus vnco traheretur pro ianua damnatæ & mox ad ſolum æquatæ domus, horribili meritoq; ſupplicio affectus eſt.Ipſe quoque Facinius copiarum Imperator,quum ei inſuperabilis morbus vitæ finem afferret, nunciata cæde principis duces militesque ſuos obteſtatus,vt percuſſores perſequerentur, Philippoque ad principatum hæreditatis iure contendenti fortem atque fidelem operam præſtarent:paucas poſt horas expirauit,magno quidem coniuratorum commodo, qui nemine principis cædem vindicante, Haſtorem Barnabæ ex cocubina filium bello ſtrenuum paternosque ſpiritus gerentem magnis acclamationibus ad principatum extulerant.

PHILIPPVS
SIVE LIBER XII.

IOANNE Maria interfecto, atque eodem die expirante Facinio, Philippus qui captiuo perſimilis incertusque ſalutis in arce Papiæ ſupremum vrgentis Fortunæ impetum expectabat, inopinato Facinij dudum hoſtis munere ſubleuatus, animum erexit ad non dubiam ſpem recuperandi principatus, cohortantibus Facinianis ducibus, qui quum in ſupremam morientis imperatoris ſui voluntatem, per coniunctas dextras fidem datam fallere nefas putarent, vti viri militares etiam gerendo bello materiam quærebant. Deerat pecunia exercendæ virturis neruus, ſed ea ſubitario prouentu à Beatrice Tenda vxore Facinij celeriter impetratur propoſitis cum nouo principe nuptijs, quas ipſe Facinius in extremo vitæ actu ſuaſiſſe ferebatur. Nec

eas

eas abnuit Philippus tanquam ętate fortunaque impares. Itaque leuis mulier intempestiuæ libidinis, & maioris imperij auida, vix detersis lachrymis inauspicati coniugij thorum subit, quaterque centena millia aureorum nummûm dotis nomine dinumerat. Nec mora instructo exercitu Philippus Mediolanum contendit. obsidebat arcem Hastor circumuallatam magnis operibus: sed ductu Franciſci Carmagnolæ Castellinique Beccariæ, Philippi milites munitiones perrumpunt, Hastoremque ad Comensem portam accerrimè resistentem profligant. Tum verò Philippus vrbem ingressus per præcones in compitis pronuntiari iubet, se nemini exceptis fratris percussoribus hostem futurum. statim acclamatus princeps singulari totius populi studio in curiam Actianam deducitur. In eo tumultu Paulus Baucius, & Franciscus Mainus principes coniurationis & cædis intercepti, teterrimo supplicio admissi sceleris pœnas dederunt. Exinde Philippi duces ad oppugnandam Modoetiam, quo se receperat Hastor profecti sunt. nec multis inde diebus id oppidum in potestatem deuenit, & Hastor qui in arcem refugerat, quum ad puteum sederet, tormenti in incertum emissi lapide coxam ictus interijt. Extincto graui æmulo, & propter studia Guelpharum partium magnoperè metuendo, Philippus auctis opibus Tyrannos adortus incredibili felicitate aliquot vrbes paterni imperij recuperauit, Pandulpho in primis Malatesta Bergomo Brixiaque depulso, Ioanne Vignato Laudensium Tyranno capto & latronum more in furca suspenso: Arcellis Placentiæ necatis, aut in exilium pulsis: & Franchino Rusca, qui Comum occuparat, certa præmij conditione ea vrbe eiecto. Verùm incredibili lætitia Philippum affecit Gabrinus Fundulius Cremonensium Tyrannus felici astu captus. Is cum medio in foro Mediolani conspecta supplicij machina ceruices securi subdere cogeretur, hortarenturque eum de more cucullati sacerdotes, vt ex disciplina Christiana composito animo vitæ exitum ferret, patratorumque scelerum sperata inde à Deo Maximo venia ritè pœnitere vellet, contortis atrocibus oculis, Desinite inquit mihi indignè perfidioseque prodito molesti esse: nam tantùm abest vt me iure belli factorum pœniteat, vt maximè etiam doleam, quòd Papam simul atque Cæsarem ad immortalem clarissimi facinoris famam, è mea turre minimè præcipitarim. Paucos enim ante annos Balthasarem Cossam, Ioannis xxiij nomine pontificem, & Sigismundū imperatorem hospitio exceptos, studioque peramœni atq; admirabilis prospectus in summam celeberrimæ turris coronam inuitatos incessente atrocem animum dira libidine in subiectum forum prouoluere cogitarat, neque alius omnino vel grauissimè rei respectus duo totius orbis lumina seruauit, quàm in nefario Tyranno non ignobilis obortus pudor, ne hospitalis mensæ religionem, cui ipse honoris causa conuiua adhibitus eo die fuerat, non crudelis quidem sed ingrati animi piaculo fœdasse vìderetur. Cæterùm Philippus & fraternam cædem & Tyrannos probè vltus, fretusque mirifica virtute clarissimorum ducum Carmagnolæ & Nicolai Picinini, ad recuperandas remotiores paterni imperij vrbes animum adiecit: Veronam enim Veneti, Pisas Florētini, & Bononiam pōtifex Romanus ademerant. Sed ab eo consilio nō iniquo iure suscepta bella gestaq; demū per triginta et septē annos aliquanto maiore virtute quàm fortuna totius Italię vrbes grauissimis cladib. affecerū.

cumque postremò belli euentum Philippus tulit, vt conspirantium inter se liberarum ciuitatum consilio atque opibus impar, Bergomum & Brixiam amitteret, & Genuæ dominatu pelleretur, quum ipse domi sederet paternoq; exemplo, sed nequaquam pari fortunæ conditione gerendà bella per legatos arbitraretur. Verùm in hac perpetua & semper ancipiti difficillimarum rerum agitatione, maximę constantiæ & generosi consilij laudem tulisse videri potuit, quum septies terrestri aut nauali acie victor, sed sæpius victus, eosdem semper spiritus indomitæ virtutis gesserit. Intentus enim & erectus ad tuendum nominis decus, quum sæpe fortunæ aleam subiret, nullo sumptu nulloque periculo deterreri poterat, quanquam natura esset pertimidus vsque adeo, vt vel mediocri tonitru audito formidine quateretur, & subterraneas latebras amenti similis quæritaret: secreto cubiculo maximè gaudebat, & in id pauciſsimos admittere, arcere salutantes, negocia tractare per interpretem, & denique reformidare cœtus hominum solebat: hebetata enim oculorum acie quòd adeuntium facies non planè discerneret, assiduo nomenclatore & monitore dissimulanter vtebatur, ne omnino captus oculis à minus familiaribus putaretur. oblectabat autem ocium historiarum lectione, quarum Antonius Panhormita literarum nomine præcipuo in honore habitus, aliquandiu fuit anagnostes. Verùm incolumi adhuc oculorum lumine, libentiſsimè adolescentium pila ludentiũ, aut luctantium certamina obducto ad fenestram speculari despectabat, vt ludentes eum spectare nescirent, cum tamen adesse crederetur. Inde enim eorum formæ decus, explicatos artus animique vigorem inspicere, & quos ex eius exercitationis indole maximè probasset, ad mensæ cubiculique ministeria deligere erat solitus. Sed eam voluptatem Candidus December illius ætatis scriptor iniquo felle turgidus, cum omissis laudibus quæ in Philippo celebrandæ fuerant, vitia notaret, ad suspicionem libidinis reuocauit. Erat Philippus inflexu præsertim ętatis ingenio suspicaci, feruido, mobili, sæpeque sæuo, quum teneræ eius aures delatorum aculeis figerentur. Nec deerant ex intimis amicorum factiosi, alienæque laudis obtrectatores, qui rectè sentientem sæpissimè deprauarent: inter quos Oldradus Lamponianus ab adolescentia cubiculis assuetus gratia autoritateque tantùm valuit, vt Carmagnolam summum ducem magno Philippi incommodo, alienare, atque extrudere potuerit. Adijt & graue salutis periculum ipse Franciscus Sfortia iam ascitus gener, falsis scilicet criminibus oneratus, cum vno innocentiæ præsidio à multis beneuolis ęgerrimè defenderetur. Verùm Philippus ingrati sæuique animi infamia sese turpiter fœdasse visus est, cum Beatricem vxorem adulterij cum Orumbello Citharœdo admissi ream, nec in tormentis quicquam contra pudicitiæ decus confitentem securi percussit, impatiens vt ferunt coniugij pertæsus, cuius tamen non dubijs opibus ad imperium peruenisset, vt demum Amadei Sabaudij filiam euentu sterilem duceret, non sine dote modò confectis nuptijs, verùm vt soceri societatem promereretur, vltro traditis Vercellis. Id quoque famam eius vehementer premit, quòd alioqui in amore odioque instabilis, tum maximè firmus atque inexorabilis euaderet, quum veteres iniurias nouis beneficijs nequaquam pensandas arbitraretur, vt in Castellino Beccaria mox apparuit, non ob aliam causam in carcere necato, quàm quòd recentis operæ fideliter strenueque prestitæ oblitus

veteris

veteris perfidiæ qua is Papiam Facinio prodiderat meminiſſet. Sed vno memorabili inuſitatæ virtutis præconio Philippus vitiorum labes præclarè aut deterſit, aut operuit, quum Alfonſum regem nauali prælio ad Pontiam ſuperatum & captum, incredibili benignitate magnitudineque animi non cuſtodia modò liberarit, ſed excultum eximijs muneribus & prægrandi pecunia inſtructum ad repetendam Neapolim dimiſerit. Rariſsimo quidem & incomparabili generoſæ clemẽtiæ exemplo, ſi vi decerpendæ glorioſæ laudis prouẽtu ſuperiorum atque eorum qui poſtea toto orbe regnarunt principum animos nobili cenſura metiamur. Superauit etiam maiores ſuos domeſtici ſplendoris munificentia cum clariſsimos hoſpites acciperet, in queis fuere Martinus Columna Pontifex maximus, cui marmoream ſtatuam poſuit, & Sigiſmundus imperator ingentibus donis cum vniuerſo comitatu liberaliter expletus. Exceſsit è vita nondum ſexagenarius ex atroci febre, & in multam bilem ſoluta repente aluo, pridie Idus Auguſti, anno à partu Virginis quadrageſimo octauo ſupra Milleſimum & quadringenteſimum, cum circumuentus Venetis armis, & Mediolani ferè obſeſſus, Franciſcum Sfortiam generum diu antea pro hoſte habitum, opportuneque in gratiam receptum, è Togata Gallia euocandum curaſſet, vt grauiſsimis hoſtibus ſummæ virtutis atque felicitatis imperator opponeretur. Ferunt eum iuſto odio contra Venetos æſtuantem diu agitaſſe animo, an Alfonſum regem genero præferret, imperijque hæredem relinqueret: vt eo inclyti opulentiſsimique nominis propugnatore, ambitioſæ & præpotẽtis Venetæ gentis audacia frangeretur, ſed amore Blancæ filiæ quæ iam Galeacium Sfortiam ad ſpem imperij in agro Piceno pepererat, generũ eundemq; ſolemni adoptione filium prætuliſſe, præcipuis ſupremi decreti ſuaſoribus Andrea Birago & Petro Puſterla: cum diuerſo ſtudio Brocardus Perſicus & Franciſcus Landrianus pro Alfonſo contendentes, victique ſuffragijs, ab ſententia popularis inuidiæ plena diſceſsiſſent, multis ciuium indignantibus, quòd pro homine longè omnium humaniſsimo, atque fortiſsimo, qui iam adoptione filius, Blancæque vnicæ Philippo genitæ maritus, atq; obiter Vicecomitum ſtirpi inſertus eſſet, externi ſanguinis ignotæque linguæ, ſuſpecti denique ingenij vir ſtultiſsimo paucorum conſilio ad patriæ dominatum vocaretur: quo conſilio, breui colonis Hiſpanis vrbem Mediolanum totamque Inſubrum regionem, ad non dubiæ calamitatis euentum eſſet repleturus. Fama tamen in vulgus manauit exaratum fuiſſe codicillum, quo priori teſtamento ſubderetur, ſed expirante Philippo priuſquam teſtibus adſcriptis obſignaretur, fuiſſe diſcerptum. quod vſqueadeo grauiter Alfonſus tanquã malignè excluſus tulit, vt ea ſuppreſsi codicilli iura Alfonſus nepos ætate noſtra reſpiciens, vt ſibi totique Italiæ clades pararet, intemperanter aſpirarit. Caruit marmoreo ſepulchro Philippus, quum in arca lignea aureo contecta panno conderetur: eam in ſublimi fornicis inter columnio ſuſtinentibus tignis ſupra aram maximam ſuſpicimus, ſed in infimo pariete affixum tale carmen legimus.

Clementiſsimus atque liberalis
Inſubrum dominus, Philippus hic eſt
Victis regibus vnico duobus
Qui bello, manicaſque compedeſque

Leuari iubet, in ſuasque abire
Donatos opibus Lucullianis
Sedes, & ſua regna liberatos
Tetro carcere. Diſcite hinc Tyranni,
Sunt hæc munera Principum, ſuperbos
Debellare, pios & eſſe victis.

ARGVMENTVM DEVOLVTÆ HÆREDITATIS AD AVRELIANORVM PRINCIPVM DOmum breuiſſimâ narratione ex hiſtoryis explicatum.

PHILIPPO vitâ functo, quòd in eo Vicecomitum principum vetuſta progenies à Matthæo Magno ducta defeciſſet, Mediolanenſes ſeſe in libertatem vendicarunt. Nam Barnabæ principis legitima virilis proles, ex tot liberis atque nepotibus præter quoſdam ſpurios, tota perierat. Neque Ioannes Maria à coniuratis propere ſublatus è Malateſta, neque Philippus ex Beatrice Tenda, nec demum ex Maria Sabaudia planè ſterili, inauſpicatis vxoribus liberos ſuſceperant. Relinquebatur Blanca, quam Philippus ex Agnete Maina nobili concubina ſuſceptam Francíſco Sfortiæ conceſſa in dotem Cremona collocarat. Verùm hæc quòd ſpuriæ nomen præferret, quanquã aſcititio iure legitimam pater feciſſet, paterni imperij hæreditate indigna putabatur. Ita vt tota ea directo iure poſſeſsio Valentinam Philippi ſororem omnino reſpiceret. Hanc Ioannes Galeacius pater Ludouico Caroli Quinti Galliæ regis filio nuptui dedit Aſta vrbe dotis nomine conceſſa: ad id quoq; ſuperaddita conditione, vt ſi fratres nouæ nuptæ ſine liberis decederent, ipſius demum Valentinæ filij legitimique ſucceſſores Inſubrum principatu potirentur. Sed tabulis eo modo confectis Romani Cæſaris autoritas deerat, cuius muneris eſſet appellare principes, Regna dono dare, in clientelam Regulos aſciſcere, et translatitijs hæreditatibus aſſentiri. Itaque vt Valentinæ, eiusque liberis ritè caueretur, quòd nullus tum ex interregno certus Cæſar extaret, altercantibus in comitio Germaniæ proceribus ad Romanum pontificem eſt decurſum. Is præclarè aſſenſu ſuo Cæſaris vices impleuit, quòd ſupremæ poteſtatis iure ritè præſtari poſſe videretur, à ſummo ſcilicet ſacrorum principe, præcipuoque humani atque diuini iuris interprete & conditore legum: quandoquidẽ Cæſar ipſe qui antiquo Romani pontificis beneficio in media Germania ſeptemuirali ſuffragio crearetur: inungendus demum ab eo appellandusque Auguſtus, & denique aureo diademate coronandus foret. Cæterùm confirmatis eo modo dotalibus tabulis nonnulli ex ordine Iuriſconſultorum Cæſareo nomini impenſè fauentes reperti ſunt, qui diſſentire viderentur, vt pontificẽ authoritate ſpoliarent, interpoſita ſcilicet ſubtiliore quadam legis interpretatione, quòd nullum omnino ius pontifici eſſe videretur in transferendis adiudicandisque regnorum feudis, tametſi peramplum foret, in his litium controuerſijs, quæ à

præſenti

prẽsenti iudicio festinatę decisionis remedia flagitarent. Verùm hæc aliquan to cauillosius quàm probum iuris professorem decéret, inducta, vel hoc vno viuidæ rationis exemplo falsissima Aurelíani censere, quum & Delphinatus perampla veterum Allobrogum ditio, & Arelatensis Prouinciæ regnum authoritate Pontificia non dubio tum, sed certo iure translata atque adiudicata fuisse constet. Itaque Valentinam Ludouicũ coniugem, insidijs Ioannis Burgundiæ ducis apud Lutetiam immaniter interfectum, suo fato subsecutam filijs susceptis Galliæ Cisalpinæ principatum certissimo hæreditatis iure reliquisse. Quanquam alios prioribus iure consultis nihilo doctiores, sed pudentiores tamen, quòd causam prioris quæstionis, de Pontificia facultate, tanquã reiectam passim & explosam deserant, adinuento diuerticulo obliqui tramitis in causæ caput deferri, vt in dubium reuocare non dubitent, an Valentinæ pater legitimi veriq; Cæsaris munere Mediolanensis ditionis princeps & dux fuerit appellatus: quasi Ladislaus insigni studio maximè patris suffragantium Germaniæ procerum Cæsar salutatus, & acclamatus id liquidissima potestate præstare nequiuerit, quoniam à Roberto Baioario pseudo Cæsare seditiosis armis ex infelici ęmulatione peteretur. Id igitur cum facilè tanquam inane commentitij iuris argumentum ab omnibus refellatur, Valentinæ sua iura probè defensa relinqui. Peperit autẽ Valentina tres mares, Carolum scilicet, qui Aurelianorum principatu Ludouico patri successit, & Ioannem Angolismorum regulum, qui huius Francisci primi Galliæ regis bellica laude, & optimorum studiorum amore valde inclyti paternus auus fuit, & Philippum Virtutis oppidi Comitem, in quem ditionis titulum, Ioannes Galeacius ducta Isabella Caroli sorore, nomine dotis vocatus antea fuerat. Tribus quoque fratribus accessit soror, quæ, quòd minimè prætereundum videtur, Fusio in Aquitania nobilissimo regulo nupta, Gastonem inusitatæ virtutis adolescentem protulit. illum inquam antè imperatorem quàm militem terrificum belli fulmen in ipsa partæ victoriæ gloria Rauennæ extinctum. Cæterùm ex Carolo qui Britannico bello captus multis annis Londini in custodia fuerat, Mariaque Cleuensi Menapiorum principis filia natus est Ludouicus rex Galliæ eius nominis Duodecimms. Is Carolus audita Philippi auunculi morte occasioni minimè defuit, quin transmisso in Italiam cum iustis copijs Raynaldo duce hæreditatem vindicaret, verùm à Raynaldo strenuo hercle duce, sed valde præpropero, Fortuna nequaquam stetit. Alexandria enim fermè tota vltra Tanarum capta, quum oppidum Castellaccium oppugnaret, eo euentu cum Bartholomeo Coleone, Astoreque Fauentino Mediolanensis Reipublicæ ducibus, prælio decertauit, vt profligatis eius copijs, fortiter, sed postremò frustra repugnans caperetur. Eo tempore Veneti inualidum adhuc incertæ libertatis statum inuaserant, ita vt singulæ imperij ciuitates, quum Mediolanensibus cuibus parere, subesseque indignarentur, nouos sibi dominos quæritarent. Placentini & Laudenses sese vltro Venetis dediderunt: Papienses & Derthonenses Francíscum Sfortiam recepere: Nouarienses Vercellis proximi ad Sabaudium inclinabant. Sed Franciscus Sfortia Mediolanensium auspicijs Venetos adortus expugnata Placentia, Laudeque recepta, ita eorum vires memorabili prælio ad Carauagium contudit, vt Veneti maximi periculi metu, & felicitate tanti ducis perterriti, cum Sfortia paciscí cogerentur, ea tum

insidiosè oblata conditione, vt si in Mediolanenses arma conuerteret ad par-
dum ex soceri testamento Principatum, ipsi in id bellum validas copias, præ-
grandemq; pecuniam conferrent. Itaq; Sfortia detersо pudore, in hanc spem
a fortuna subleuatus, cum alienati animi causas prætenderet, illico diremi ta-
micitiam, armaque intulit. Nec multò post votis eius vehementer aspirante vi
ctoria, Veneti ab eo pari impudentia ad Mediolanenses defecerunt. Sed Me-
diolanensibus turbidè & cruentè rempublicam administrantibus, inuicti du
cis virtuti fortuna comes fuit. Nam breui Mediolanenses armis fameque per-
domiti, frustra adiuuantibus Venetis Sfortiæ se dediderunt. Idem fecere reli
quæ ciuitates. pacatisque demum rebus, Franciscus, vt imperium armis par-
tum Cæsaris authoritate stabiliret, per legatos postulauit à Cæsare, vt quòd
adoptionis iure consecutus esset, Augustali diplomate cõfirmaretur. Verùm
quòd id multo maiore pecunia quam putarat, coemundum foret, Cæsaris mu
nus generosè contempsit. Vir enim magnitudine virtuteque animi nemini
secundus, ineptum, & ab erarij tenuitate prorsus alienum existimabat, eum
dignitatis titulum ex venali membrana ceraque Cæsaris præferre, quem spe-
ctata bello virtus, & inuicta arma detulissent. Galeacius quoq; eius successor
paternum secutus exemplum, in ea re comparanda ne mediocrem quidẽ sum-
ptum faciendum putauit, ita vt primus Sfortianæ gentis Ludouicus, id Cæsa-
ris diploma à Maximiliano quatercentum millibus aureis nummis impetra-
tum, ambitiosè quæsierit, excluso Galeacij fratris filio: quoniam ipse Franci-
sco patre dominante, hæreditateq; potito natus esset, secus ac fratri Galeacio,
apud Firmum Piceni agri nato educatoque in priuata patris fortuna contigis
set, qua natalitij iuris prærogatiua, ex historijs Cornelij Taciti repetita, fratrẽ
eiusq; liberos & nepotes antecedere videretur. Ea diplomata impetrata sunt
quũ Carolus Octauus Galliæ rex ad repetendum ex antiquo iure Andega-
uensis hæreditatis Neapolitanum regnum superatis alpibus Papiam venit, vt
Ioannem Galeacium inuiseret biduo post moriturum. Quo non sine suspicio-
ne veneni vita functo, Ludouicus patruus desumptis insignibus Mediolani
Dux & princeps acclamatur. In eo autem diplomate, tanta scilicet pecunia
coempto, diserte appositum fuerat, vt ipse liberique eius & successores legiti-
mè procreati Mediolani Duces apellarentur. Subiungit quoque Corius hi-
storiarum scriptor, huic diplomati ad vnguem transcripto insertoq; histori-
rum volumini, codicillos appositos fuisse, aliqua, vt credi par est, superaddita
pecunia, quo benignus ac apprimè liberalis Cæsar ad nothos & spurios, si legi
tima proles interisset, eadem principatus iura transferebat. Sed horum solem
ne exemplar non comparuit, suppressum vtique, si extitit, quod non affirma-
uerim, à Ludouico, demum à Maximiliano Franciscoque liberis: at mox extin
cto Francisco in manus Cæsarianorum à Maximiliano Stampa arcis custode
ex scrinijs Sfortianis traditum, quanquam is, vt nonnulli Sfortiano nomini fa
uentes prædicãt, exempli copiam Ioanni Paulo Ludouici ex concubina filio,
benignè, sed occultè feciſſe dicatur. Cæterùm non toto vertente anno quum
rex Carolus ex incruenta celerique victoria eiectis Aragonijs formidandus e-
uasisset, propterea que non inani metu ad arma consternati principes à Caro-
lo discessissent, Ludouicus Aurelianus ab Asta sua vrbe promotis regijs copijs
Nouariam occupauit, vt inde fretus occasione noui belli, cernendæ hæredita-

tis

tis iter aperiret. Iamq; Insubres trepidante Sfortia, ad defectionem animos inclinabant. Sed is conatus ad rectè exploratam facilemque victoriam secundo euentu caruit. Quum Ludouicus ingenti fœderatorum hostium exercitu post Tarrensem pugnam oppugnatus, & obsessus Nouaria excedere cogeretur, Carolo rege cunctatius atque tepidius quàm opporteret opem ferente. Verùm triennio pòst Carolo sine liberis vita functo Galliæ regnum consequutus, inito cum Venetis fœdere, Sfortiam vehementi impetu expulit, reuersumque demum ex Germania ad Nouariam viuum cœpit. Eo modo sine vulnere Insubrum principatu potitus, quanquam nihil sibi vllo tempore timendum putaret, vti erat eximiè prudens, & vtramque fortunam probè expertus, quòd hæreditate legitima, & iustis armis vendicatum arbitraretur, authoritate Cæsaris corroborandum existimauit. Igitur cum Maximiliano Cæsare, qui ex Tridentinis alpibus ad Benaci lacus fines peruenerat, numerata pecunia transactum est, procurante eius negocij tabulas Georgio Amboso Rotomagensi Cardinale in hanc formulã, Vt Ludouicus eiusq; gener ex Claudia filia, Franciscus Angolismorum regulus, liberique demum eius posteri successores beneficiario iure, Mediolani duces appellarentur. Verùm Germani Cæsaris consiliarij in ipso concepti diplomatis contextu, particulam trium verborum inserebant, quæ concessionem sine præiudicio alieni iuris factam ostenderet, quòd Cæsar pudore incolumi prioris diplomatis septennio antè Ludouico Sfortiæ, eiusque liberis concessi penitus obliuisci non posset. Aderat tum Georgio Cardinali Giofredus Carlius Senatus Mediolanensis Præses iuris intelligentia clarus. Is ad auertendas serẽdæ litis occasiones egregiè cautus eam trium verborum sententiam nequaquam ex vsu regiæ petitionis esse differebat, quòd non extincta omnino, sed rediuiua Sfortianorum iura non obscurè denunciaret. Sed Georgius vt quoquo modo transigeretur, cõstantibus in id Cæsaris consiliarijs, ea verba generosè contempsit, quum diceret ipso Ludouico Sfortia patre in Locensem carceris caueam coniecto, filios impuberes, qui apud Belgas in hospitali diuersorio inopem vitam traducerent, potentissimo regi serò litem moturos. Neque Giofredus in præsentienda lite falsus omnino vates fuit, quando ea demum ambigui acideo funesti iuris particula non Italiam modò sed Europam omnem inuecto exitiali bello maximè conturbarit. Siquidem Ludouico Duodecimo post subactos Lugures, Venetosque terrestri imperio penitus exutos, ad conuellendam Iulij Pontificis authoritatem Concilium Pisis indicente, non aliunde Iulius pontifex quàm ex his tribus verbis tuendæ dignitatis occasionẽ arripuit, vt Maximilianus Sfortia in paternum principatum reduceretur. Sicuti & Leonem Pontificem octo post annos, eandem belli causam secutum, vt Parmam Placentiamque recuperaret, Mediolano Gallos depulisse meminimus. Non defuere tamen summæ grauitatis iurisconsulti, qui ea verba tanquam obscurè dissimulanterque prolata & descripta in solemnes codicillos non perinde valere iudicarent, ac si disertè expresseque ad declarandam sinceri sensus sententiam apposita fuissent, præsertim in grauissimis, vt aiunt, feudorum concessionibus, in quibus apertè & planè scienter ad non dubiam equi iuris intelligentiam cauisse oporteat. Sed huiusmodi controuersias vel eruditissimi legum interpretes nunquam tempestiuè definiunt, quum magnæ lites non in foro, sed pro castris Marte iu

dice dirimantur. Dedit itaque Franciscus rex, non grauatè multis obtestationibus Clementis & totius Italiæ precibus, quòd non aliter grauissimo bello finis imponi posset, vt tantisper de iure suo decederet, & Sfortiam regnare pateretur, quem à Cæsarianis Maiestatis reum factum, ac impotentibus circumuentum armis paulò antè transmissis auxilijs adiuuarat, ipso præsertim Carolo Cæsare magna tum æquitate moderati animi Franciscum Sfortiam Bononiæ in gratiam Augustique Imperij clientelam recipiente. Sed Sfortia eo Cæsaris beneficio & Francisci regis indulgentia diu vti non potuit: repentina enim & inexpectata populis morte sublatus est, vt nouas fatalis belli causas aperiret, quo iterum Europa vastaretur. Igitur rex Franciscus Sfortiana stirpe penitus extincta, tota eius ambigui iuris suspicione liberatus, à Cæsare qui tũ ex Africa nobili parta victoria reuersus, Neapolim Romamque peruenerat, postulauit vt Mediolanensis principatus redderetur, qui sibi & liberis prædaro hæreditatis iure, & Maximiliani demum Cæsaris legitima concessione in non dubiam ditionem obueniret. Verùm Cæsar qui regijs legatis aliquam propinquæ sed nondum maturæ liberalitatis spem dedisse videbatur, vbi Romæ fuit, opinione Gallorum durior est inuentus, vsqueadeo auerso obfirmatoque animo, vt cum legati regij inanibus promissis se circumduci, & Francisco suo legitimo iure fraudari quererentur, Carolus ad Pontificem senatumque omnem & legatos principum orationem haberet, luculentam herclè sed æquo amariorem, quum pro tuenda dignitate, auertendaque inuidia veteris odij memoriam refricasset. Cæterùm exitus orationis fuit, vt negaret quicquam se facturum ex voto regis, nisi Subalpina oppida cum Taurino Gallicis armis Carolo Sabaudio nuper adempta redderentur. Agnouere tum plures id esse Cæsariani animi decretum, vt quamdiu arma valerent, ab Italia Gallos arceret. Ipseque opportuno atque opulento Insubrum principatu potiretur. Atque ita non multo post auctus viribus, terra marique Narbonensem prouinciam vno simul tempore Belgicis armis Galliæ inferioris fines inuasit, scilicet vt Franciscus domestico oppressus bello Subalpinæ regionis præsidia deducere, Italicarumque rerum penitus obliuisci cogeretur. Sed Gallis vtrinque fortiter suos fines defendentibus ex eo bello quod tum frustra susceptum fuit, alia atque alia summæ calamitatis secuta sunt bella, quum violatis inducijs, & desperata concordia, post afflictas nostras opes, Barbaro hosti aditus ad occupandam Pannoniam sit patefactus. Nec herclè sperandum videtur, vt ille fatali nostra socordia factus ingens hoc anno, qui est ab excessu Francisci Sfortiæ huius diri belli duodecimus, omnino conquiescat, quin reliquas Pannoniæ Noriciq; vrbes nouis illatis cladibus perturbet, nisi Cæsar ad victorias de Barbaris natus, pio generosoq; animo recenter icti ad Suessionũ vrbem fœderis conditiones respiciat, patremque tuum orbatum præstantissimo filio, deiectumque obiter spe pacis benignè consoletur, adinuenta scilicet tolerabili aliqua æqui iuris conditione, vt Christianus orbis pace tandem, vel sera ipsius maximè immortali beneficio perfruatur, & veræ demum summæque laudis & gloriæ trophæa, Barbari eo in solo defigantur.

FINIS.

VITA

VITA SFORTIAE CLARISSIMI DVCIS A PAVLO IOVIO CONSCRIPTA, AD GVIdonem Aſcanium Sfortiam à Sanctaflora Cardinalem ęrarijque præfectum.

VVM honorem ſenatoriæ dignitatis, quem tibi planè adoleſcenti maternus auus Paulus III Pontifex Maximus inſigni iudicio, ſed maturius fortaſſe quàm ſperaras mandauit: cum virtutis indole, tum claritate familiæ adeo egregiè ſuſtentes, vt maiore fortuna dignus eſſe videare: pergratum omnino futurum exiſtimaui, ſi tibi ardenti animo virtutem complectenti, faces nouæ adderentur, ductę ſcilicet à maiorum tuorum exemplis, Sfortiæque preſertim abaui tui, qui ſumma cum laude ampliſsimis rebus geſtis familię veſtrę immortale cognomen dedit. Eius enim viri bello memorabilis dicta, factaque ſolerti indagatione ex varijs, ineptisque ſępe rerum ſcriptoribus excerpta in enchiridion deſcripſi, vt ad imaginem tanto frontis honore conſpicuam, quam domi pictam aſſiduè contemplaris, excelſi quoque animi ſimilitudo ad veram effigiem ſtilo expreſſa non indecenter accederet. Itaque enitere Guido Aſcani, virtuteque plurimũ & literarum ſtudio contende, vt paterni maternique generis famam & ęques & ſuperes. Nec id tibi omnino difficile videatur. pulchrum enim erit, & valde decorum ſacrato viro, inter tanta maiorũ lumina pietatis, & literarum fulgore procul ab inuidia fulſiſſe. Vale.

CAPITVM ELENCHVS.

De natiuitate eius Cap. 1
De fama natalium 2
De horoscopo, & genitura, & nomine eius 3
De diuinatione Astrologorum 4
De educatione & rudimento eius 5
De prima militia eius 6
De altitudine animi & cupiditate gloriæ 7
De Ioanne Aucutho Britanno duce 8
De Brolia, Biordo, & Alberico magnis ducib. 9
De Alberico cataphractorum equitum inuentore 10
Do cognomento ex re quæsito 11
De primis commilitonibus eius 12
De præfectis ab se dilectis à promptitudine virium 13
De amicitia cum Braccio inita 14
De causis amicitiæ cum Braccio abruptæ 15
De causis inimicitiarum cum Tartalia 16
De prima equitum præfectura 17
De insignibus gentilitijs à Roberto Cæsare dono acceptis 18
De honoratiore militia eius 19
De cæde Othonis tertij 20
De diuersitate famæ ex Othonis cæde 21
Quibus principibus operam nauarit 22
De Ludouico II & amore Reginæ Ioannæ 23
Quoties prosperè infeliciterque pugnarit 24
De Angelo Vergulano profligato 25
De Ladislao rege ad Lyrim superato 26
De prælio ad Aquilam feliciter commisso 27
De Tartalia ad Tuscanellam deuicto 28
De pugna ad Sebethi pōtē egregiè depugnata 29
De Roma libertati restituta, & Picinino acie capto 30
De Alfonso rege acie profligato 31
De infelicitate prælij ad Viterbium 32
De clade ad Cryptam acceptam 33
De infelici pugna ad Capuam 34
Quoties prælio & insidijs sit captus 35
De prælio ad Casalecium facto 36
Quomodo ex insidijs sit captus 37
Quomodo ad Beneuentum sit captus 38
Quomodo Iacobus ex principe rex sit appellatus & Sfortia seruatus 39
Quibus conditionib. Sfortia necem effugerit 40
De supplicio Cæsaris, & Sfortiæ felicitate 41
De Regina capto rege liberata 42
De iniurijs eius deorum iudicio vindicatis 43
De cæde Alopi 44
De nece Iulij Cæsaris, Peretti & Cecholini 45
De calamitate Iacobi regis 46
De Sergiano magno seneschalcho trucidato 47
De Nicolai Vrsini fœda morte 48
De Paulo Vrsino Braccij insidijs interfecto 49
De Armalerij proditoris supplicio 50
De infelicitate Braccianarū partium & Sfortianarum prospero successu 51
De vulnere ad Viterbium accepto 52
De periculo eius in expugnatione Capitonis 53
De vitæ discrimine in quo Romæ versatus est 54
De insidijs ad Calorē amnem strenuè vitatis 55
De insidijs ad Saranum æstu superatis 56
De periculo ad Caietam paruo casu facilè superato 57
De moderata liberalitate eius, & abstinentia, contemptuque pecuniæ 58
De duabus eius concubinis 59
De vxore eius Antonia Salimbenia 60
De secunda vxore Catella Alopa 61
De tertia vxore Maria Martiana 62
De liberis eius ex Lucia Trezania 63
De affinitatibus summa prudētia contractis 64
De clementia & seueritate erga suos 65
De Martino Pasolino conseruato 66
De clementia erga Bisium 67
De inusitato panarum genere 68
De Gratiani supplicio 69
De mansuetudine erga Brandolinū comitē 70
De inuidia ex nece Tartaliæ parta 71
De natura ingenij 72
De disciplina domestica & militari 73
De cultu eius & conuictu 74
De pietate eius erga superos 75
De pietate erga patriam 76
De pietate erga propinquos 77
De præceptis Francisco filio datis 78
De prudentia ex alienis iudicijs quæsita 79
De candore ingenij & memoria eius 80
De studio literarum Etruscarum 81
De generositate animi erga inimicos 82
De fortitudine eius in dolore tolerando 83
De vrbanitate eius 84
De facetè dicto 85
De salsissimo dicterio 86
De statura corporis eius 87
De agilitate membrorum eius 88
De infelicitate mortis eius 89
De Braccij iudicio, & laude erga defunctum, & cæde ipsius 90
De prodigijs quæ mortem eius significarunt 91

FINIS.

VITA

VITA MAGNI SFORTIAE.

De Natiuitate eius Caput I.

NAtvs est SFORTIA Cotignolæ, antiquo Togatæ Galliæ oppido, iuxta viam Aemiliam, agri Fauentini, patre Ioanne, ex Attendula familia, honesta potius quàm nobili, sed maximè opulenta, & quæ numerosa, & militari iuuentute floreret. Mater e fuit Elisa, virilis animi mulier, ex Petracina factiosa gente: Eai erat feruidis admodum, asperisque moribus, sed pudicitia & fœcunditate mirabili: Peperit enim alterum & viginti liberos, quos veluti ad arma natos ita educauit, vt facile cõptiora indumenta, exquisitasque epulas, & mollia strata contemnerent: vterentur autem robusto quodam corporis atque animi vigore ad tuendum familiæ decus, & id sæpius armis, quando grauissimas

ſimultates cum Paſolinis eque potentibus exercerent, quum Martinus Paſolinus eius familiæ princeps puellam nobilem Bartholo Sfortiæ fratri ex chirographo deſponſatam, quòd in eius dotem perampla hæreditas veniret, arroganter intercepiſſet. Ob id ſæpius iuſta propè acie dimicatum eſt, magnæque cædes editæ, in queis Bartholus vulneratus eſt, & Martini filius: itemq; duo propinqui eius ceciderunt. Sed res eum habuit euentum, vt Martinus orbatus filio expoliatusque omnibus amicis atque fortunis, oppido pelleretur. Per id tempus videre erat in Attendula domo conclauia, atque cubicula non auleis ſed ſcutis atque thoracibus exornata, atque item lectos ingenti amplitudine ſine lodicibus, in queis loricatæ affinium cohortes promiſcuè cubitarent, adeoque vigilantes & intenti omnes erant, vt nullo cum honore menſarũ, ſed plerunq; ſtantes, & ſine vllo ordine cibum caperent, quẽ exiguo ſumptu, & nulla arte agaſones, vel armigeri pueri tumultuariè parauiſſent.

De fama Natalium Cap. I I.

Non defuere qui dicerent, ſed in gratiam Braccianæ factionis, vt Sfortianis demum principibus nouitas generis obiectaretur: Sfortiam paterno in agro ita operis præfuiſſe, vt & ſua manu faciundo operi vomeres, & ligones ſtrenuè tractaret, quòd vel ob id inuidiosè confictum videtur, quoniam tredecim annorum puer in Boldrini caſtra conceſſerit, neque inde redierit, niſi equeſtris ordinis miles. Sed iucundo prorſus mendacio fabulæ fidem fecit perennis fama, quæ manauit ad poſteros. Ferunt enim, quum agrum foderet, duro labore fatigatum, ab ea indignitate operis ſuſpexiſſe in cœlum, & de tota vitæ fortuna vota ſuſcepiſſe, ea ſorte precatum Deos, vt voto bene verterent, euibraſſeque protinus ligonem in præaltam quercum, vt credi par eſt, antiquitus Marti conſecratam, eo animi decreto, vt ſi decideret, eum æquiſsimè ad perpetuum laborem eſſet reſumpturus: at ſi ramis hæſiſſet caſtra continuo ſequeretur. Verùm Marti ligonem Fortuna appendit, vt fatis viam aperiret. Gloriabatur hac fabula Franciſcus pronepos, quòd vel ob id familia nomen nequaquam antiquæ nobilitatis, ſed ſpectatæ virtutis auſpicio niteretur: adeo, vt quum mihi humaniter arcem ab excellenti munitione ſtructuraque toto terrarum orbe longè clariſsimam, armamentarijs patefactis oſtendi iuſsiſſet, conuerſus læto ore, & hanc inquit, Paule loui, quam miraris, & hoc imperium quo potimur, ab illo ligone habemus, quum felici noſtra ſorte in arborem à proauo contortus, fataliq; ramuſculo ſuſpenſus minimè decidiſſet. Vnde & illud Pontani in defunctos intemperanter genuinum dentem exercentis, quum dixit: Dux ab aratro Sfortia. Quaſi non in ſumma gloria ſit, aut certè diſpudeat Caij Marij exemplo ex aratore imperatore euaſiſſe.

De horoſcopo, & genitura, & nomine eius Cap. I I I.

Editus eſt vtero matris die Martis, quinto Calendas Iunij, ſub auroram, anno à partu Virginis milleſimo trecenteſimo & ſexageſimo nono: ſub id ferè tempus, quo Carolus Quartus Imperator auaritia infamis Italiam reliquit.

Luſtrico

Lustrico autem die, quo ritè sacro fonte ablutis nomen imponitur, puero Iacobi & Mutij nomen indiderunt. Sed aliquanto post obliterato primo nomine, tantummodo Mutius est appellatus, donec ab ingenij viriumque indomito quodam vigore SFORTIÆ cognomen tulit, Mutij verò nomen, & hodie quoque in nepote Ludouici Sfortiæ principis repetitum videmus: quem Paulus eius filius, sed ex damnato coitu susceptus è tanta sobole vnicum atque legitimum reliquit.

De diuinatione Astrologorum Cap. IIII.

In genitura eius Mathematici præcellentem syderum posituram & sedes, aspectusque mirabiles conspicati, ei magnum imperium, immortalem gloriam felicemque sobolem prædixerunt: idque demum subiunxere, eum nequaquam exacta ætate, & morte quidem repentina periturum.

De educatione & rudimento eius Cap. V.

Ab ea, vt diximus, domestica educatione vulnerum & periculorum contemptor factus, quum tredecim annos natus miram indolem ad militiam afferret, clàm arrepto domi equo, & inuito quidem patre euolauit ad Boldrini Panicaliæ castra, qui Pontificiæ militiæ sceptra tenebat: Eo nemo ducum felicior fuit: Nam dum viueret, acie semper victor, etiam post mortem sæpius victorijs, triumphisque militum suorum interfuit. Ii siquidem ducis sui cadauer exsiccatum conditumque aromatibus in feretro circumferebant, quum neminem qui succederet militari imperio dignum putarent. Tendebatur ei prætorium, non secus ac viuo, & circumpositis vexillis, belli tessera petebatur, ita vt mortui consilijs quadam sorte exceptis, ad res gerendas feliciter vterentur. Adhæsit primùm Spoletano equiti, cui ab iracundia, Scoruccio cognomen fuit. Apud hunc quatuor annos permansit, adeo pertinaci corporis ac animi contentione semper vsus, vt ex armigero puero ferocium equorum domitor, & mox lateronis nomine strenuus miles, cuncta officij munia Scoruccio charus adimpleret.

De militia eius Cap. VI.

Posito apud Boldrinum tyrocinio, domum rediit intestino reuocatus bello: sed ibi demum pace parta, militiam repetiuit, oppignorato fundo, vt armis & equis instructior domo emitteretur, propinquis vno patre excepto, sumptum improbantibus: ad quos iuuenis conuersus, desinite, inquit, mussare: militari enim quæstu aut cuncta rependam, aut idem mea hæreditas, si ita erit in fatis, vt acie occisus cadam, cumulatè persoluet. Itaque primò cataphractus eques (hi eo tempore quaternos equos trahebant) & non multo post turmæ, & demum alæ præfectus sub Alberico, Brolia & Aucutho secunda fama militauit, adeo vt vberiore semper stipendio, & maiore præfectura dignus haberetur.

De altitudine animi, & cupiditate gloriæ Cap. VII.

Excitabatur die noctuque ad magnorum ducum nomen, qui tum bellica virtute prouecti ad ingentes opes, ac imperia peruenerant, adeo vt in corona quum aliquid bello præclarè gestum nuntiaretur, commoto veluti animo suspiraret: vtpote qui honesta æmulatione inductus, felicitati eorum haud mediocriter inuideret.

De Ioanne Aucutho Britanno duce Cap. VIII.

Erat ante alios in oculis Ioannes Aucuthus vir Britannus, qui ab extremis Oceani finibus, traducta in Italiam Anglorum manu clarus euaserat: quum rebellantem à Gregorio Pontifice Togatam Galliam expugnatis aliquot vrbibus, pacauisset: tulissetque in præmium nauatæ operæ quinq; oppida, & in his Catignolam ipsius patriam: adeoque mox inclaruisset, vt Bernabouí Vicecomiti Italiæ principum longè potentissimo gener ascisceretur, & eum Florentini demum ingentis exercitus ducem crearent. Vnde illi, vti de Republica bene merito, imaginem colossæam equestrem, supra sepulchrũ in templo maximo posuerunt.

De Brolia, Biordo, & Alberico magnis ducibus Cap. IX.

Militari etiam virtuti apprimè nixus Brolia vir Allobrox Assiatum in Vmbris tyrannus euaserat: quum Florentinorũ, & Romani pontificis dux fuisset. Biordus quoque, qui in Gallia aduersus Britannos magna mercede, & multo maiore cum laude militarat, apud Perusinos principatũ fuerat consecutus. Sed vnus præ cæteris Albericus Balbianus illustri fulgore gloriæ clarissimus & ipsum, & Attendulos omnes ad obeundam militiam accendebat. Hic enim vnus, quòd externæ gentes mercenarijs armis Italiam quaterent, multæque passim immani rabie baccharentur, indignitate permotus, Italorum animos qui tum per socordiam, amissamque libertatem veteris belli gloria decidissent, in spem recuperandi nominis erexerat. Fuere sub eius imperio ingentes alæ cataphractorũ equitum, qui auspicijs diui Georgij militantes sacramento adacti, nunquam se terga daturos externo hosti coniurarant. Ab his demum non vno in loco Britones profligati, cæsi Galli, pulsi deuictique Germani, Hispani fusi, Allobroges, Anglique deleti, apud Italos non omnino extinctum antiquæ virtutis decus iusta confessione docuerũt.

De Alberico cataphractorum equitum inuentore Cap. X.

Hic est ille Albericus, qui equitem cataphractum ea specie, quam videmus, formauit, & instituit, adinuento hoc conclusæ duplicisque galeæ genere quo nunc maximè vtimur, & Gothico nomine Helmettum vocitamus: Imposuit & tegumenta equis quæ Bardæ vocantur, recocto ê corio, vt Clibanarios equites à Persis ad Gothos, priusquam ad Italos reiectis loricis ductos imitaretur. His enim nihil validius, si tormenta ænea ad exitium humani generis, corruptelamque veræ militiæ reperta, consensu publico tollerentur:

rentur: quando iam egregiæ virtutis decus nequaquam ad fortem ſpectatamque duris in prælijs dextram, & inuictum corporis ac animi robur, ſed ad foruitos volantium pilarum ictus, cæca ſemper ſorte, & in his temeraria ſæpe fortuna reuocetur.

De cognomento ex re quæſito. Cap. XI.

Quum in Alberici caſtris eſſet ferè imberbis, animoque ferox, & manu promptus, ſæpe turbas iurgiaque miſceret, nec quenquam ante ſe pugnam caſſere pateretur: in eo peracutus imperator animi, atque oris habitum notauit, prædixitque eum, niſi immaturè caderet, & paululum feruidi ingenij impetum prudentia temperaret, abſoluti ducis nomen habiturum. Nec multò poſt ſuborta altercatione inter commilitones in partienda præda immortale cognomen adeptus eſt: quum eam minus æqualiter diuidi immodicè quereretur. Siquidem tota lite ad ducis arbitrium delata, iudicataque, ad Albericū ſubirato & minaci vultu conuerſus: Mihi, inquit, imperator, hoc tuo iudicio rata pars prædæ perinique ſurripitur, ita vt in poſterum ſimilē iniuriam æquo animo non ſim laturus. Ad ea Albericus renidenti, & contracto ore reſpondit: An & mihi quoque vti alijs ſoles, adoleſcens, vim afferre voles? Deſume ergo tibi Sfortiæ nomen: atque ita abolito Mutij nomine, vt ab omnibus vocaretur edixit; quæ vox Latinè exprimit violentum.

De primis commilitonibus eius Cap. XII.

Eduxit autem patria peregregiæ iuuentutis manum adauctam mox concurſu inſignium equitum, quum bellicoſiſsimus quiſque ſpe laudis, & lucri cupiditate ad eum deferretur. In his fuere ex numero propinquorum Bartholus & Franciſcus germani fratres: Sed in Franciſco mira indoles efflorebat, cui ab inſita ingenio eius audacia Boccaleto cognomen fuit: Præterea Boſius, Laurentius, Michaletus, & demum Foſchinus Attenduli cum Sanctoparente Petracino auunculi filio, & alijs pleriſque, qui è finitimis vrbibus amicitia, & partium neceſsitudine coniuncti, creſcentis in eo nominis famam vehemēter obſeruabant. Hos omnes ferè in hiſtorijs celebres videmus. Verùm illuſtris admodum euaſit Michaletus, qui accumulatis ab humili gradu bellicis honoribus, Venetorum demum imperator effectus, ad exactæ ætatis terminos peruenit.

De præfectis abſe dilectis à promptitudine virium Cap. XIII.

E turmarum, cohortiumque præfectis eos maximè adamauit, fraternoque amicitiæ iure ſibi obſtrinxit, qui manu præcipuè valerent. diuiſa enim inter Ducem, & militem eſſe militiæ munera dictitabat, vt victoria pararetur: quum in illo ante omnia rationem, atque prudentiam, in his autem expeditam vim, per acrem impetum, & indomitum robur omnino requireret. Propterea eos maximè deuitare damnareque erat ſolitus, qui in coronis ſollicitè nimis, atque ſubtiliter de belli ratione, exituque rerum diſſerendo, quid ſta-

tuendum, quidue tentandum foret, imperatori consulere atque præscribere viderentur. Cæterùm ipsi perlibenter aspera quæque & periculosa munia detrectarent, soloque & inani sapientiæ nomine contenti fortibus viris veræ laudis materiam relinquerent: qui imperantibus alacriter parêre, vehementerque pugnare, nec vulnera, & mortem timere didicissent. Ex hoc ordine primores ardentissimi dilexit Martinum Fauentinum, qui aliquot post annos à Pandulpho Malatesta Ariminensiũ tyranno necatus est, quum inhiaret eius pecuniæ, & crescenti insontis viri gloriæ vir crudelis inuideret: Præterea Eustorgium Vicecomitem, Ludouicum Columnam, Tomam à Typherno, & Scorpionem, atque Tarantulam à Luco Flamminiæ, Zenonemque item Cribellum, & Parinum Derthonensem, & Gentilem Montaranum, Angelumque Lauellum, cui ob hæsitantiam linguæ, tumultumq; oris Tartaliæ cognomen fuit.

De amicitia cum Braccio inita. Cap. XIIII.

Cum vno autem Braccio Montonensi, ętate, fortuna, virtuteque fermè æquali, arctissima familiaritate coniunctus adeo fraternè & liberaliter amicitiam excoluit, vt aliquot annis inter se duo longè omnium in Italia maximi futuri duces, consilia, arma, equos, pecuniam, & tabernacula in communem vsum conferrent, ijsdemque vexillis, & laciniarum coloribus vterentur. Militaria enim sagula singulis equitibus ab humero dextro in obliquum femur, coccineo colore: è contraria verò parte, per transuersum albo, & cœlesti alternatim vndulato distinguebantur. Verùm vt aliquod expropinquo discrimen foret, per acutos Sfortia fluctus, obtusiores verò Braccius eleganter expresserant. Quorum insignium argumentis atque coloribus hodie quoque vtriusque factionis studiosos vti videmus, quum centum quinquaginta & quatuor anni numerentur, ex quo ea ipsi authores & principes gestare cœperint.

De causis amicitiæ cum Braccio abruptæ Cap. XV.

Sed eam demum amicitiam iampridem obtrectatione gloriæ, & virtutis æmulatione commutam, Sfortia grauissimis offensus iniurijs, post triginta annos adaperto tandem animo, & libero ore penitus abrupit: quum ipso Sfortia ad Beneuentum in carcerem coniecto, Braccius nihil amici calamitate permotus, violata repente amicitia, ea oppida quæ sunt in Thuscis inter Cassiam viam & Aureliam Sfortianæ ditionis, Tartaliæ inuadenda, occupandaque tribuisset: idque eo infestius à Braccio factum fuisse videbatur, quoniam ab initio ipsius fidei commendata fuerant, & subinde Tartalia grauiorem iniuriam occupatis oppidis addiderat: quum Sfortianas turmas in hybernis oppressisset, fortissimo quoque decurionum, & equitum in vinculis retento. Braccius enim in Vmbria felici rerum successu elatus, vasta cupiditate animum intenderat, vt vrbis Romæ imperio potiretur. Tribus siquidem ea tempestate Pontificibus immani cardinalium ambitione, atque superbia creatis, Christiana religio lacerabatur: Romaque terrarum quondam

quondam domina, fame, peſtilentia, ac incendijs deformata, obſeſſa latronibus, ac orbata Pontifice, factioſorum libidini ſeruiebat. Ad id audendum patrandumque facinus, idoneus & opportunus erat Tartalia, cum ſub ſignis eius mille equites, & bis totidem pedites militarent. Fœdere itaque icto, vt mutuis auxilijs atque opibus fines proferrent, & ſeſe aduerſus vim hoſtium tuerentur, Tartalia facilè cuncta vſque ad Senenſium fines in poteſtatem redegit, præter Aquenſes & Porſenianos, qui Sfortianorum præſidio tenebantur. Braccius verò poſitis ad Anienem caſtris, fuſisque tumultuario prælio Romanorum copijs, vrbe potitus eſt. Per eos quoque dies Braccius Michaletum, qui capto Sfortia, ad eum amicitiæ iure cum trecentis equitibus confugerat, omni pudore diſſoluto miſſum fecit, nec perſoluto quidem ſtipendio. Quam demum contumeliam indignatus Braccio Picininus, magno, nobilique animo reſarciuit, quum ex domeſtico abaco argentum omne, vt æs alienum cum milite diſſolueretur, ad Michaletum detuliſſet. Per hunc modum inter ſe diducti accenſique odio Sfortia & Braccius, Italicæ militiæ principes effecti, magnosque exercitus ductantes, de nomine ſectas condiderunt. Quibus demum liberarum ciuitatum, Regum atque Pontificum opes vehementer attritæ, conuulſæque ſunt: quum veluti ex condicto, pudenda eius ſeculi conditione, ad alenda bella ſæpe altercantes, & ſemper aduerſi, modò his, modò illis, mercenaria arma inferrent, aut ſuſtinerent.

De cauſis inimicitiarum cum Tartalia Cap. XVI.

Graui etiam de cauſa multis antè annis cum Tartalia amicitiam diremerat: quum ad Caſalecium, malignitate aut metu deſerente locum Tartalia, ſe ab hoſtium cuneis ex obliquo irrumpentibus cum turma protritum & captum quereretur. Ea res, vti multorum oculis liquidiſsimè ſpectata, euulgataque vtrinque in caſtris dilui non potuit. Ob id in Tartaliæ pectus altè taciteque deſcenderat, adeo vt occultum vigeret odium, & eo quidem lethalius, quòd illa eadem familiaritatis imago officijs quibuſdam & alloquijs ſuſtentabatur.

De prima equitum præfectura Cap. XVII.

Suo primùm ductu apud Broliam vigintiquinque equitibus præfuit: qui numerus equitum eo tempore turmam implebat. Apud Albertum autem Ferrariæ principem iuſtæ alæ vexillum ſuſtulit, coniuncto ſibi Laurentio: in ea fuere equites ducenti. At confecto ibi bello reuerſus ad Broliam haud multum ibi permanſit accitus à Raſpantibus, qui tum Peruſiæ popularem ſtatum induxerant: Oppugnabat eorum libertatem Ioannes Galeacius Vicecomes: illi ex aduerſo contractis auxilijs, vno maximè Sfortia duce, ſeipſos acerrimè tuebantur. Sed ciuitas viribus impar opulentiſsimo hoſti tandem ceſsit. Eo bello Sfortia vigilantis, intrepidi, maximeque pugnacis ducis famam conſecutus, vtrinque virtutis & fidei præmium tulit. Donatus enim eſt publicè ad ornamentum abaci, cælato argento, & ab hoſtium duce, duplicato ſtipendio Ioannis Galeacij militiæ adſcriptus. Inijt tum arctiorem

amicitiam ſocietatemque cum Parino certa lege communicatis turmis, vt æquali auſpicio regerentur. Sed profecti ad Inſubres, quum non vno in loco æquali ſorte, ſed diſpari cum laude militaſſent, obſcuriusque indies fieret Parini nomen, Sfortia ſcilicet fortibus factis duorum famam vendicante, liuore atque perfidia Parini exauthoratus, dimiſſusque eſt: quum falsò accuſaretur apud ſuſpicacem Principem tanquam occultus, & capitalis Gibellinarum partium hoſtis, & genere Guelphus, cui factionis ſe maximè aduerſum Galeacius, quòd ita ſibi conduceret, factis & dictis profiteretur. Eo modo proditus, ſed cum multo verborum honore à Galeacio dimiſſus, ad Florentinos ſe contulit, qui tum Gallorum reges, & Germanos Cæſares aduerſus Galeacium concitarant.

De inſignibus gentilitijs à Roberto Cæſare donato acceptis Cap. XVIII.

Sub id tempus Sfortiam iampridem eximiæ virtutis opinione percelebrem, Robertus Cæſar Auguſtus Romanorum imperator illuſtrem fecit. Deſcenderat is in Italiam Florentinorum pecunijs euocatus ad bellum, vt Galeacius Mediolano pelleretur. Sed demum duobus tumultuarijs prælijs ad Brixiam pulſus, repreſſusq; cum Patauium reparandis copijs diuertiſſet, obuiam honoris & præſidij cauſſa Sfortiam habuit, qui tum ſtatiuis in caſtris ad Montagnanã Patauino principi, Venetorum oppreſſo armis opem tulerat, præpoſitus Florentinorum auxilijs, quæ ſocio amicoque principi iure fœderis mittebantur. Excepit Cæſarem perornato compoſitoque more militiæ toto equitatu, circunductis & in duplices alas digeſtis ordinibus, ita, vt Cæſar ea ſpecie cataphractorum equitum, qui criſtati, bardatique omnes procurrerant, mirum in modum oblectaretur, erigeretque animum renouando bello, ſi ijs maximè copijs, & Sfortia duce iuuaretur. Commouit & in admirationem Robertum ſimul, proceresque Germanos Sfortiæ equus tanta arte concitatus, circumactusque in gyros, rurſusque tum plenis, tum ſuſpenſis ſaltibus reflexus, vt ſeſſore Sfortia nemo peritior, aut habilior reperiri poſſe videretur. Qua vna arte Germani grauiores, ſegnioresque habentes equos dudum ad Brixiam ſe victos fuiſſe memorabant. Viſebatur in Sfortiæ vexillis citonium pomum vetus Attendulæ gentis inſigne, ductum ſcilicet ab oppidi nomine, vti principem familiam decuit. Ad id aſpiciens Cæſar, & ad Sfortiam ſe conuertens: dignum, inquit, virtute tua leonem dabo, qui citonium læua ſuſtineat, & minaci dextra tueatur, ne quis attrectet, atque corripiat. Atque ita tabulis lata membrana confectis, Leonem fuluum erecta cerui ce, alteri pedi innixum dono dedit, conceſsitque vt Attenduli omnes eo argumento vterentur, eſſentque in clientela Baioariæ principum, quorum eſſent à priſca origine gentilitium inſigne. Nam Robertus ipſe, Norici regulus, è Baioaria familia ſuffragijs Germaniæ procerum de more ad imperiũ acceſſerat.

De honoratiore militia eius Cap. XIX.

Regreſſus in Ethruriam Florentinis aliquot annos militauit, Bononienſi primùm

primùm bello, quò vel ab aduerſo pugnæ euentu, quum in hoſtium poteſtatem veniſſet & fama clarior, & ſtipendio auctior euaſit. Piſano autem bello id magni ducis ſpecimen dedit, vt Nerij Caponij manu, de Angelo Pergulano hoſtium duce profligato, lauream acciperet, atque item liliatum vexillum, decretoque demum publico annua pecunia donatiui nomine donaretur. Sed Piſanis in ſeruitutem redactis, cùm Florentini quiete atq; ocio fruerentur, ad Nicolaum Ateſtinum Ferrariæ principem contendit. Is tum ab Othone Tertio Parmenſium tyranno acerrimè premebatur. Galeacio enim Vicecomite morte ſublato, duces, dilacerato eius imperio, ſinguli ſingulas vrbes occuparãt, Parma Regiumq; Lepidi cum multis oppidis Othoni ceſſere. Is veteranis inſtructus copijs, in queis ſupra quatuor equitum milia fuerant, Mutinæ atque Ferrariæ imminebat, populabaturque effuse agrum, & cuncta bellico terrore complebat. Cæterùm ſuperuentu Sfortiæ, eius impetus fortiter eſt repreſſus, bis conſerta pugna, ſemel pro Mutinæ portis, quum Sfortia in eum ad ſuburbana vſque tecta inſolentiſsimè prouectum duabus portis feliciter erupiſſet: ac iterum non longè à Roberia, vbi Othoniani loco pulſi, ponteque deiecti, multis ſuorum amiſsis terga verterunt. Nec multò poſt, ad Regiolum ancipiti euentu ex itinere dimicatum, cùm Sfortianos à Guaſtalla maioris pecoris agentes prædam, Otho ferociter adortus ancipiti periculo conflixiſſet. Suffoſſo enim equo circumuentum & captum, tanta vi veterani equites vt opem ferrent, ſigna intulerunt, vt erepto duce ipſo ex Sfortianis ad triginta equites cum Michaleto caperentur. Hos Otho contra morem militiæ, compedibus oneratos, duro in carcere quatuor menſes detinuit, adeoque inhumaniter cruciauit, vt media hyeme nudos gelida aqua perfunderet. Sed perrupto demum carcere feliciter effugerunt, vt eam iniuriam Othonis cæde vindicarent.

De cæde Othonis Tertij Cap. XX.

Otho vbi conatibus ſuis ſuſtinente, vrgenteque Sfortia, acerrimè reſiſti videt, pacem, vt falleret ſe appetere ſimulauit, ſperans Nicolaum prægrauante ſtipendio Sfortianas copias eſſe dimiſſurum, vt demum ex occaſione incautum, exutumque armis repentinus inuaderet. Poſtulabat igitur Otho vt Nicolaus in colloquium deuenire minimè grauaretur, vt coram de pace liquidiſsimè agi poſſet. Id bis abnuerat Nicolaus ab inſidioſo aſtutoque homine dolum veritus, ſed tandem aſſenſit, vt eius perfidiam præoccuparet. Res eo modo compoſita eſt, vt ambo inermes, binis ſtipati equitibus, parique ſpacio à ſuorum agminibus prouecti ad primum à Roberia lapidem militari in via conuenirent. Aderant Othoni Guido Taurellus, & Antonaccius Aquilanus clari duces: Nicolaum verò Sfortia & Michaletus medium tenebant. Cæterùm vix dum cœptis ſermonibus, Sfortia præalto & feroci equo in Othonem repentè concitato eum per loricam, quam lacinia tectam fruſtra induerat, ſub coſtis gladio transfodit, proſtratum confecit Michaletus: Taurellus & Aquilanus, quum ſigno dato vndique ex inſidijs procurreretur, capti: comitatus verò eorum in fugam præceps, magna ex parte armis & equis exutus eſt. Extemplò Sfortia promotis caſtris Parmam contendit, re-

ceptusq; á ciuibus, qui liberatori, & tyrannnicidæ insigni studio fauendum existimabant, Othonis filium in arce obsedit. Is erat Nicolaus cognomento Guerrerius, quæ vox Bellicosum sonat. Ea dedita pari demum euentu, & Regium, & sancti Domnini oppidum, cum triginta amplius castellis in ditionem Atestini deuenerunt, ita vt fortuna puncto temporis Othonis imperio pariter ac vitæ finem attulerit. His rebus biennio confectis, Sfortia quũ à Nicolao discederet, Monticulo Parmensis agri oppido donatus est: atq; item vexillo, in quo adamas turbinatus aureo incluſus annulo depictus erat: quo insigni postea, & ipsũ & posteros eius perpetuò vsus fuisse cõspicimus.

De diuersitate famæ ex Othonis cæde Cap XXI.

Fuere ea tempestate qui clarissimi facti nomen accumulata cum laude celebrarent. Porrò alij contrà interpretarentur, vtpote qui sacrosanctam colloquij fidem singulari perfidia violatam, iusque gentium fœdo in posteros exemplo temeratum, atque sublatum dictitarent, adeo vt Sfortiæ militari iudicio, magna quidem inuidia, sed Nicolao multo maxima conflaretur. Quamobrem Sfortia vbi se acrius perstringi didicit, publico in loco, ita vt à multis insignibus viris exaudiretur, in hunc modum est prolocutus: Desinant, inquit, ex occulto verbis criminari, quicquid de Othone transactum est: quandoquidem ego eum iure occisum, si quis improbet singulari certamine sim ostensurus. Annon ego etiam ingratus & nequam existimari potuerim, si principi, qui me ipsum copiasque meas alit, parêre, operamque præstare recusassem? an eo præsertim homine tollendo qui perfidia & sæua tyrannide infamis, contra fas & æquum, sceleratis armis aliena appetebat: cum & ego quoque immani lacessitus iniuria eum priuato nomine, & iure quidem optimo, vel ad aram fuerim occisurus.

Quibus principibus operam nauarit. Cap. XXII.

Quatuor demum pontificibus maximis, & totidem regibus, aut duxsumus, aut æquali cum imperio operam nauauit: Gregorio XII primùm, ac Alexandro V. cum Ludouicum II. Andegauensem in paternum regnum reduceret: ac demum Ioanni XXIII, à quo insigni liberalitate, vt merita stipendia soluerentur, Cotignolam patriam dono accepit. Quo munere nihil vberius, aut omnino iucundius in toto vitæ cursu sibi euenisse fatebatur, quòd honestissimo dominatu parto, ciuium suorum princeps esset effectus. Asseruit demum in libertatem Romanos Braccio Vrbe depulso, legatumque Vselanum in arce diu obsessum dignitati restituit, Stephanucio Cardinale in carcerem coniecto, qui ordinis & patriæ dignitatis oblitus, auersusque Pontifici, Braccij partes sequebatur. Martinus enim in concilio apud Constantiam, Ioanne in ordine Senatorium redacto, omnium suffragijs pontifex renunciatus in Italiam venerat. Nec multò post, Sfortia, vti decuit pontificiæ dignitatis assertorem, vrbe Roma Iordano Columnæ tradita (is à fratre pontifice præmissus fuerat) sacrosanctæ militiæ Vexillifer creatus est, vt eo honore qui in Italia supremus habetur, supra cæteros duces eminèret.

De

De Ludouico II. & amore Reginæ Ioannæ Cap. XXIII.

A Ludouico Secundo insignem tantùm beneuolentiam gratiamque promeruit, cum ille Ladislao ad Fregellas memorabili acie superato, victoria vti nesciuisset, interrupto scilicet secundarum rerum cursu pessimis Pauli Vrsini artibus. Transiuit demum magnis frequentibusque iniurijs, ab eodem Paulo Vrbe extrusus ad Ladislaum. Ab hoc rege qui totius Italiæ imperiũ ingenti animo affectabat, quatuor oppidis in Samnio donatus est: cum & antea Franciscum filium vrbis Tricarici Comitem fecisset, qui tredecim annorum puer, vt paternæ fidei obses foret, è Ferraria Neapolim aduenerat. Ladislao autem immatura morte surrepto, sorori eius Ioannæ Reginæ adhæsit: iactatusque est vario euentu magnis fortunæ fluctibus, quum modò insigni gratia floreret, modò graui pressus inuidia mergeretur. Incredibile quidem dictu est, quantos æstus receperit Reginæ animus, cùm insanis amoribus perditissimè deseruiret. Nam Alopo, Vrbanus Aurilia, atque eo prætextu legationis in Germaniam ablegato, Caracciolus successerant. His admiscebatur Sforția procacibus reginæ oculis ad amorem pellectus. Eo cæteris grauior riualis, quòd omnes simul ingentis animi virtute, copiarumque inuictis opibus anteiret. Inter tantos rerum motus, quibus modò aduersa, modò secunda, & semper instabilis fortuna Sforțiã exercuit, obuenere ei largiente Regina Beneuentum, Manfredonia, Barolum: itemq; Tranium vrbes, & supra XX oppida, partim in Apulis, & Samnio, partim in Brutijs atq; Lucanis. Sed diductus demum à Regina, quum Sergiani dolis ac insidijs peteretur, Ludouico Tertio Secundi filio se coniunxit, ita iubente Martino Põtifice, qui Ioannam Regiæ maiestatis nomen perpetuis stupris dedecorantem, regno exturbandam susceperat. Sed amantum ire, bella, suspiciones, eum rebus exitum dederunt, vt Sforția rursus in gratiam, pristinumque militiæ honorem reciperetur. Quo etiam tempore cum Braccio veterem amicitiam repetiuit, quũ duo longè clarissimi duces, manentibus inducijs, in colloquium Saccomania insylua deuenissent. Desciuit demum ab adoptante matre Regina ingratus filius Rex Alfonsus, adeo vt capto Caraciolo in arce Capuana reginam oppugnaret. Qua indignitate permotus Sforția obsessæ celeriter opem tulit, memorabilique pugna rege profligato, Catalanos in arcem Nouam compulit: neque postea vnquam ab officio amicitiaque discessum.

Quoties prosperè infeliciterque pugnarit Cap. XXIIII

Septies iusta acie feliciter pugnauit, ter tantùm alteram fortunam expertus, & ea quidem conditione, vt aduersis aliquanto clarior quam secundis haberetur. Nemo enim eo constantius hostilem impetum ferre, pertinacius resistere, nobilius pedem referre, & denique fortius ducis simul ac militis officia implere didicerat: vtpote qui nunquam propinquo & ferienti hosti terga ostenderet, nunquam nisi omnium postremus, & ora ferociter obuertens, & acriter repugnans se reciperet.

De Angelo Pergulano profligato Cap. XXV.

Pisanis graui bello, & prædura obsidione fermè oppressis, quum Angelus Pergulanus incomparabili victoria de Heluetijs parta admodum clarus, qui opem ferret Aurelia via per Senensium oram aduentare nunciaretur, vnus Sfortia obuiam eundi reprimendique hostis munus alacriter susce pit: quanquam Bertoldus Vrsinus, ad quem belli summa respiciebat, ne ancipiti prælio pugnandum foret, remoturus à muris castra id consilium damnaret, & minus ab ipso quoque Tartalia probaretur. Concedente igitur Nerio Caponio legato, qui promptum in eo animi vigorem admirabatur, magnis ac inusitatis die noctuque confectis itineribus, syluisque etiam acimpeditis fluminibus magno labore superatis improuisus ad hostes contendit. Quo repentino incursu, cum signa è syluis educerentur, tantum terrorem imparatis intulit, vt Pergulanus bis frustra composito agmine, bis pugna strenuè instaurata, fusus fugatusque sit, signis ac impedimentis omnibus amissis, & vix quarta parte equitum ex vehementi cursu seruata. Ad eam quoque victoriam memorabile facinus adiunxit, quum detracta hostibus saga equites suos induere, prælatisque Pergulani vexillis ad proximi oppidi portam procedere felici dolo præcepisset. Id erat Castellionum ab Aprili piscoso lacu Piscarium appellatum, in ora maris saxeo tumulo impositum. Nec mora, oppidani eo terrore decepti, hostes pro socijs gratulanter excepere. Atque ita irrumpente occupatam à primis portam toto exercitu, oppidum captum direptumque est. Ob eam rem à Pergulano male gestam, desperatis rebus, Pisani Florentinis deditionem fecerunt. Sfortiæ autem, dum vita maneret, Senatus, vti de Republica benemerito, millenos quotannis aureos liliatos donatiui nomine decreuit.

De Ladislao Rege ad Lyrim superato Cap. XXVI.

Eo bello quo Ludouicus II Andegauensis, adiuuante Gregorio Pontifice, ipso Sfortia, ac item Paulo Vrsino ducibus, in Apuliæ regnum reducebatur, mirum in modum cum prudentiæ militaris, tum inusitatæ virtutis laude nominis famam adauxit. Ladislao enim rege, vt fines tueretur, ex Casinatibus campis alacriter prouecto, quum ob id suspenso admodum Ludouico duces cunctarentur, Sfortia pernobili in medium prolata sententia transeundum omnino Lyrim amnem, atque è vestigio hostes inuadendos censuit: quòd cunctari, & sedere arma inferentibus ineptum & exitiale videretur. Itaque Lyri supra Fregellas vado superato, collatis signis est dimicatum: & eo quidem euentu, vt profligato Rege, & prostratis eius copijs, castrisque etiam & signis, ac ducibus captis, victoria inter memorabiles pararetur. Eo die Sfortia cuncta moderatus, instruxit aciem, & primum agmen in hostes induxit: ita, vt ferè omnium primus fortissimum quenque se sequi iubens inclinata adpressaque lateri hasta, purpureis insignibus conspicuus, Nicolaum Campobassæ Comitem, qui auratis armis refulgens, & prælatè cristatus eminebat, ingenti ictu prosterneret, & caperet: ipseque demum variante fortuna, vt fit, crescentibus vtrinque auxilijs, in omni ferè pugnæ loco, atque periculo, & præclarus adhortator, & bellator acerrimus conspiceretur. Vsus est ea die incomparabili equo spadice alternos pedes vsque

ad genua

ad genua calciato, cui ab agilitate Catto nomen erat. Primam igitur victoriæ lauream Ludouicus Sfortiæ detulit inuidente Paulo Vrsino. Quod non multis inde annis Ladislaus ambobus regijs in castris ad Tudertum militantibus, præclaro testimonio confirmauit, cum præsenti Paulo Sfortiam interrogans, dixisset: Annon & hoc oppidum expugnabis, qui ad Lyrim illo Catto equo tuo vbique pugnax, & vehemens, me ipsum copïasque meas profligasti? Quæ verba in Pauli animum iam antea cœco liuore corruptum, profundè admodum descenderunt. Sfortiam enim, vir superbus, neque superiorem sibi, neque parem existimari volebat.

De prælio ad Aquilam feliciter commisso. Cap. XXVII.

Quum Regina delitijs amoribusque vacaret, & Alopus regio plane fastu rerum potiretur, capto demum Sfortia, plerique regni proceres ab ea defecerant. Sed ante alios Alopum, Reginamque terrebat Antonaccius regulus, vir bello clarus, qui Aquilam validissimam vrbem occuparat. Is terror Sfortiæ saluti fuit. Custodia etenim eductus, instructo valido exercitu Aquilam contendit. Cum castra ad vrbem proferrentur, Antonaccius viribus ac ingenio ferox minimè dubitauit, quin copias omnes militares, atque item Aquilanorum iuuentutem, & ingentem armatorum agrestium manum educeret, & magna loci fiducia, & populari quadam alacritate, infestis signis in Sfortiam deferretur. Ferunt Sfortiam temeritate, ac insolentia hostium permotum risisse paululum, monuisseque præfectos vt confertum maximeque densatum cataphractorum agmen irruentibus obijcerent, nihil autem loco mouerentur, donec ipse quid fieri vellet, tuba signum dedisset. Erat in dextra accliuis locus, ibi cohortes locat, ad læuam planiore in loco, leuem armaturam equestrem lunata ala sese ostentare iubet: ipse subductis è medio agmine delectis aliquot turmis magno itineris flexu, in tergo nihil tale putantibus sese ostendit, ita vt nouissimos hostium exeuntes porta, partim intra vrbem compelleret, partim ab vrbe exclusos, & ad suorum extremum agmen confugientes persequeretur. Tum verò signo tuba dato & peditatus ab accliui loco repente in latus hostium decurrens, & leuis armatura è diuerso expansis alis concitata in medios impetum fecere: cataphractus quoque equitatus à fronte irruentium impetum egregiè excepit atque sustinuit: ac eodem ferè puncto temporis Sfortia cæcidit terga. Quibus malis vndique circumuenti Aquilani in medio cæsi, & ad vnum ferè omnes cum ducibus atque vexillis capti, temeritatis pœnas dederunt. Qua calamitate permoti, qui in vrbe restiterant, portas victoribus aperuere, orantes Sfortiam, vt victos pariter & deditos conseruaret. Nec mora captiuos omnes vna voce liberauit: Antonacciumque in primis, & decuriones vrbis cœnæ adhibuit. Tanta re patrata, confectoque bello sine suorum vulnere, hortatus est Aquilanos, vt Reginæ nomen in posterum fidelius colerent, & ad impetrandam erroris veniam ipsius authoritate, ac officio vterentur, se libentissimè intercessurum pro his, quos incolumes conseruasset, quum iure belli diripere atq; interficere posset. Id verò fortunæ fuit humanis rebus illudentis Aquilanos paulò antè superbia elatos, ingen-

tique mox fractos calamitate,& demum subitò atque insperato gaudio exultantes conspexisse. Quo Aquilanorum exmplo adducti, Iulius Cæsar Capuanus, qui Capuam occuparat, & Carolus Martianus, & Christophorus Caietanus, restitutis vrbibus ac oppidis, veluti desperantes, consilioque depulsi, Sfortiæ vade, fidemq; suam Reginæ nomine præstante, ad officiū redierunt.

De Tartalia ad Tuscanellam deuicto Cap. XXVIII.

Tartaliam inimico simul ac hostili animo persecutus, ad Tuscanellam in prouisa acie profligauit, vlturus iniurias, quas superiore anno dum in custodia seruaretur acceperat. Noctu enim à diuersa Viterbij porta, vt speculatores falleret, cum expeditis copijs profectus, pedites caua in valle occultauit, vt ex insidijs, quum signum pugnæ datum foret, extemplò prosilirent: turmas verò quatuor cum Sanctoparente obliquo itinere locatas statuit, ipse cum robore equitatus intra syluam constitit: vti præceperat, præmissi leuis armaturæ equites, prædatorum specie, armenta pascentia corripere, fugatis agrestibus cœperunt. Tartalia ad clamorem excitatur, familiam armat, prædam abigentium tergis inhærere iubet, crescente tumultu oritur prælium. Auctis numero hostibus, Tartaliani equites ad tubæ cantum sub signis porta effunduntur: nec se continet Tartalia, quin ad ferendam opem cum globo cataphractorum erumpat. Tum verò erupere è syluis vndique Sfortiani, pugnatumque est, ac si aliâs vnquam longè fortissimè. Sed premente Sfortia acrius sternenteque signa, Tartaliani intra portam sunt compulsi magno accepto detrimento, maioreque ducis periculo, qui inuectus per pontem irrumpentibus simul Sfortianis casu quodam seruatus est: quum Hugonem Sfortianæ turmæ præfectum, vehementi offensione ab cathena pontis in fossam deturbatum, reliqui impedito atque occupato ponte subsequi nequiuissent. Nam Tartalia saucius, & multo perculsus metu extemplò cataractam demitti iussit, ita, vt alienæ salutis oblitus, tertiam ferè suorum partem excluderet. In his Donatus Lauellus Tartaliæ frater fuit. Captus est & in oppido Pellinus Cotignola dux turmæ fortissimus, qui cognitum Tartaliam, magnisque ictibus ferreæ clauæ percussum, vt caperet, fuerat insequutus. Eo prælio Franciscus Sfortiæ filius sextumdecimum natus annum, quod anteà ei pater minimè concesserat, in aduersos hostes alacriter hastam perrupit, subindeque cingulo militari & calcaribus aureis, præclaro etiam hostium testimonio exornari promeruit.

De pugna ad Sebethi pontem egregiè depugnata Cap. XXIX.

Memorabili autem ea acie, quæ iuxta Neapolim ad Sebethi amnis potem pluribus horis est dimicatum, mirificæ virtutis laudem tulit, præclaro maximè Alphonsi regis præconio confirmatam, qui tum hostis & spectator è triremi cuncta oculis obseruabat. Reducebat tum Sfortia Ludouicum tertium Andegauensem in auita paternaque iura Neapolitani regni authore Martino Pontifice: quum Reginam seuerè aliquandiu, & frustra demum castigatam armis omnino persequendam censuisset, quòd nihil famæ suæ parceret, nec vllo dedecoris metu, aut respectu Christianæ pietatis permoueretur:

moueretur: vtpote quæ iam pridem contra fas, & regium decus, amatoris Sergiani intolerandæ libidini nobilissimi regni nomen, & diuina, ac humana omnia subiecisset. Ob id impotens sui mulier, libidine simul atque superbia exardens, Alfonsum in Corsica bellum gerentem euocarat, adoptaratque in filium, vt Hispanicis opibus vim Galli hostis propulsaret. Itaque multis antè diebus oppugnata, & ex insidijs per aquæductum, & obsoletam portam semicapta Neapoli, & Ludouicus in Sfortiana castra ad Auersam peruenit, & Alfonsi onerariæ & rostratæ naues ad Oui arcem appulerunt. Quamobrem Sfortia, & nauandæ operæ, & ostentandæ virtutis cupidus, ad Sebethum vsque castra promouit. Inde sex stadijs ad vrbis portas, præmissis leuis armaturæ equitibus, non modo stipendijs addictos, Vrsum Vrsinum, & Iacobum Caudolam, & Bernardum Cartheium duces, verum & equites Catalanos, quos Alfonsus aduexerat, & Neapolitanos, tum maximè equitatui studentes ad prælium exciuit. Commissa est pugna paribus animis, sed Alfonso triremes ad litus admouente, & lapideas pilas tormentis in opposita hostium latera sæpius emittente, ter repressa est Sfortiæ virtus. Sed detersa tormenti ictu ab casside crista, eo ardore pugnam restituit, & signa intulit, vt pulsi loco hostes terga darent, & dissipato agmine cum multa equorum ac hominum strage intra portam compellerentur. Tum verò Sfortia victor, vt Ludouico simul ac Alfonso designatis regibus ardorem studiumque suum ostentaret, in præalta ad portam munitione Andegauensium signa præfixit, tutatus ea per semihoræ spacium ne à quoquã prius quàm se reciperet, impunè tollerentur. Eo prælio id certè memoria dignum accidit, vt virtutis amore Alfonsus in eum vnum tormenta naualia dirigi vetaret. Sfortia verò pariter ediceret, ne currulibus tormentis in litore constitutis triremis Regia peteretur. Nam Squarcia Monopolitanus inter Sfortianos bellator accerrimus, cùm suffosso equo captus, & ad Regiam triremem scapha perductus, petente rege, pugnantem Sfortiam digito commonstrasset, ille pernobili, & planè regia humanitate, parcendum cùm duci eximio tum bellatori fortissimo protinus edixerat.

De Roma libertati restituta, & Picinino acie capto Cap. XXX.

Missus à regina cum validissimis copijs, vt vrbem Romam impotenti Braccij dominatu liberaret, ad promerenda eo insigni beneficio gratiam apud Martinum Põtificem inter Appiam & Latinam portam castra locauit. Inde cum Braccium, vel missa per præconem cruenta ad eum chirotheca, vt iusto prælio certaretur frustra prouocasset, supra Ostiam demũ Tyberi ponte constrato exercitum traduxit, tanta animi magnitudine, victoriæque fiducia, vt dubitantibus scisciantibusque præfectis, an vllum haberet amicum, à quo commeatum esset petiturus, comprehenso gladij capulo responderit: His viris & fortibus omnia feliciter expediet: atq; ita pontem rescindi iusserit. Ad eius rei famam, adeo mente commotum fuisse Braccium ferunt, vt diffisus populo Romano, nec conclamatis quidem vasis, multisq; relictis impedimentis per Miluuium pontem se proriperet, atq; inde rescissa pontis parte, ne hostis insequi posset, in Vmbriæ fines citato agmine deferretur. Sed compositis iam

vrbanis rebus Piciñinus à Braccio circa Preneſte cum parte exercitus relictus, cum infeſta populatione circa Vrbem Romanorũ armenta diriperet, & Romanos primò, ac ipſum denique Sfortiam vt opem ferret, ad prælium exciuit. Pugnatum eſt vario euentu, & vtrinque ſemper acerrimè, præter aquæductũ cum Piciñinus prædam tueri, & Sfortiani Romaniq́ue iam longe abactam recuperare, ſumma contentione decertarent. Ad extremum adnitente, cohortanteq́ue Sfortia, Bracciani profligantur, omnisq́ue item præda recipitur, capiturq́ue ipſe dux hoſtium Piciñinus ad augendam Romanorum Sfortiæq́ue lætitiam. Is tandiu in Capitolio valde humaniter ac liberaliter cuſtoditus, nõ prius eſt emiſſus, quàm impetrante Braccio Sfortiani milites, ducesq́ue à Tartalia in inſulas Vulſiñj lacus relegati, facta permutatione ad Sfortiam incolumes perueniunt.

De Alfonſo rege acie profligato, Cap. XXXI.

Longè autem nobiliſsimè ſecundiſsimeq́ue cum Alfonſo rege conflixit, quum ille ingrato animo, atque impijs armis Reginam matrem oppugnaret. Procurante enim Martino, nec abnuente Ludouico ad Caietam pace facta, et reſtitutis demum Acerris, Sfortia Reginæ, Regisq́; militiæ fuerat adſcriptus, ea conditione, vt præoccupanti exigentiq́ue operam nauaret. Eo tempore Alphonſus regnandi auidus, neq́ue probra famoſæ matris, neque portentoſam Sergiani potentiam ferre poterat. Itaque felici aſtu, ſimulata ęgritudine, illectum ob id Sergianum, ac officij cauſa vt decumbenti aſſideret, in arcem nouã venientem cum vniuerſa familia comprehendit, correptisq́ue repente armis, cum delecta ad id Catalanorum manu, vt reginam opprimeret, ad Capuanam arcem aduolauit. Sed magno caſu renunciante Sergiani caſum puero, qui facilè inter crura cuſtodum portæ elapſus accurrerat, Regina ſeruata eſt. Iam enim armatus rex prioribus equi pedibus pontem attigerat, quum à Damiano centurione, reiecto per frænum equo, ianua eſt prohibitus. Nec mora accitis vndiq́ue copijs circumſideri, oppugnariq́ue miſsilibus, atque tormentis cœpit: peruaſere tamen cum literis Reginæ ad Sfortiam nuncij, maturam opem perditis rebus implorantes. Itaque Sfortia à Mirabello inſigni celeritate Neapolim promotis ad arcem copijs profectus, per idoneos homines orauit Regem, vt tam fœdo incœpto abſiſteret, nec à fœmina eadem & matre oppreſſa (quod à virtute regij animi alienum videretur) gloriam appetere vellet. Se enim officij lege præoccupatum Reginæ ſaluti deeſſe non poſſe, ſed daturum enixè operam, vt Regina eum ex equo regnare pateretur, tollerenturq́ue diſſenſionis cauſæ: quod factu facilè foret, quandoquidem Sergianus in ipſius manu eſſet, à quo Reginæ animus ad omnẽ conſilij caſum expoſitus depende ret. Ad ea Alphonſus elatè reſpondit: Se Sfortia armato diſceptatore atq; arbitro vti nolle. Nec multò poſt magnis accitis vndiq; copijs, regio ſpiritu egreſſus vrbe, collatis ſignis cum Sfortia dimicauit. Eo prælio vera virtute, & vario ſæpe euentu, quum multis horis pugnaretur, ad extremum Sfortia felici conſilio hortorum macerias in latere hoſtium diſiecit, ancipitiq; acie circumuentos hoſtes fudit, tanta vi in transuerſos inuectus, vt penè rex ipſe interclusus caperetur. In ea equorum ac hominum ſtrage, Sfortia primùm regiæ alæ ſigniferum

ſigniferum ſua manu confodit, captaque ſunt equitum ad duo millia, & in his nobiles Catalani centum viginti, illuſtresque viri Raimundus Perilius, Ioannes Moncata, Bernardus Contellia, & Lupus Corellia. Eodem victoriæ impetu in arcem Alfonſus eſt compulſus, ita vt à Neapolitanis Sfortianisq; Catalanorum omnium domus in prædam verterentur.

De infelicitate prælij ad Viterbium Cap. XXXII.

Infelici porrò euentu ad Viterbium cum Braccio pugnauit, ſed deſertus, & proditus à Gilberto, & Nicolao Vrſino, qui cum Braccio paucis ante diebus occulto fœdere icto, vbi occaſionem fortuna præbuiſſet, ſe Sfortiam in acie deſerturos promiſerãt: cuius ſceleris indices tabulas Nicolai ſubſcriptas manu, Braccius in colloquio ad Saccomaniam ſyluam Sfortiæ poſtea oſtendit. Dimicatũ eſt in Caſsia via non longè à Buſſetanis aquis, cum Tartalia transuectis per Vulſinum lacũ copijs ſuis Braccio ſe coniunxiſſet, qui ab Ariſpampano, & à Balneo regio (id Feroniæ lucus fuit) ad montem Faliſcum peruenerat. Pugnauere ſummi duces ſummis incenſi odijs, ſummisq; vel ob id annixi viribus, à meridie ad occaſum ſolis: cum nemo (teſte demum victore Braccio) è tantis copijs (quandoquidẽ ab octo millibus equitum pugnaretur) ipſo Sfortia aut maiore arte, aut vehementiore impetu, aut diuturniore conſtantia dimicaſſet. Cæterùm Sfortiam fruſtra reuocantẽ ſuos vt in prælium redirent, lethale vulnus ceruice acceptũ tardauit, amiſsis ſubinde mille & ſeptingentis equitibus. In his capti ſunt quadraginta octo præfecti centuriones, virtute verò maximè illuſtres Foſcinus ſororis filius, Acactabriga, Mannusque Bariles, quos Braccius in Veſentinam Martanamque inſulas cuſtodiendos miſit.

De clade ad Cryptam accepta Cap. XXXIII.

VIturus iniurias à Sergiano ſibi illatas, qui diu venena, & ſicas fruſtra pertentarat, ſtruxeratq; dudum inſidias ad Sarni pontem, armato exercitu Neapolim intrauit, inclamantibus Sfortianis Reginæ nomen, Sergianum verò ad necem depoſcentibus, qui impotenti ſuperbia malignitateque diuina ac humana iura conturbaret. Fauebat Sfortiæ nobilitas omnis, cuius concurſu authore Franciſco Morimino, porta intranti patefacta fuerat. At Sergianus tanto metu conſternatus, quòd viribus eſſet impar, ad dolos ſe conuertit: emittiturq; arce Franciſcus Vrſinus authoritate inſigni, qui Sfortiam adeat, nomineque Reginæ oret, vt ab armis diſcedat: fore enim vt equiſsimis conditionibus ea controuerſia ad ocium deducatur. Non debere eum cum priuatas iniurias vlciſci properaret, publicarũ rerum ſalutem in periculum deuocare, læſa præſertim & ſugillata Reginæ maieſtate, quæ eundem cum Sergiano conturbationis atque moleſtiæ caſum ſubire cogeretur. Ad ea Sfortia reſpondit: ſe, vti antea Reginæ nomen in omni fortuna ſpectata fide coluiſſet, ita & tum eius cauſa iniurias omnes & contumelias animo depoſiturum, modò ipſa ſe traduci & circumagi fallaciſsimis Sergiani artibus minimè pateretur. Ita cõmeante ſæpius Vrſino, & res compoſitas ſimulante & prædicante, vt cogendis inſtruendisque copijs ſpacium daretur: ad id Sfortia poſtulante regina

adducitur,vt copias eductas vrbe in ſuburbana Corregia transferret.Ea ſunt contra arcem nouam,& ad ſubiecti litoris plagam hortorum amœnitate percelebre extenduntur.Per hunc modum tanto armorum impetu ſpe pacis ad ocium compreſſo,cùm Sfortia nihil omnino timendum putaret,ſpaciaretur-que inermis in litore, Vrſinus magna armatorum coacta manu improuiſus erupit,incompoſitos adoritur,funditque tanta celeritate,vt Sfotia ſeminermis inopinati periculi caſum excipere cogeretur.Sfortiani toto eo litore fugati ad Cryptam perfoſsi,à Cocceio Pauſilippi montis peruenere.Ibi aliquã diu Sfortia globo facto pugnam ſuſtinuit,ipſeque demum per Cryptam ſub ſecutus Caſale principis euaſit,amiſsis quingentis equitibus.Sed demum refecto exercitu ab Aurilia familia Acerris receptus,tanta vi demum ad oppugnandam Neapolim eſt reuerſus,vt Sergianus filios obſides dare,ſarcire detrimentum ad Cryptam receptum,remiſſaq; potentia parem ferre cogeretur.

De infelici pugna ad Capuam Cap. X X X I I I I.

A Braccio quoque tumultuaria pugna ſuperatus ad San. Mariæ Burgum, quo in loco veterem Capuam fuiſſe conſtat,ſexcentos amplius equites amiſit: adeò vt à Braccianis, Acactabriga, atq; Iannucio captis, Tartalia primùm,& ipſe demum Sfortia ad Auerſam vſque pellerentur. Occultarat enim Braccius aliquot turmas prædenſa in ſylua, quæ ad Sciliceum Glanĩ pontem, Atellanamque viam pertinebat:quarum eruptione,quum in transuerſos impetum feciſſent,primæ pugnantium alæ à reliquis intercluſæ,profligatæq; ſunt. Cæterùm Braccius vbi Capuam eſt reuerſus,de Iannucio viro fortiſsimo ſupplicium ſumpſit,quòd paucis ante annis ab ipſius caſtris exacto ſtipendio,ſed nequaquam impetrata miſsione,diſceſsiſſet.

Quoties prælio & inſidijs ſit captus Cap. X X X V.

Semel omnino manu hoſtium,bis inimicorum fraude captus eſt. Cæterùm adeo felici ſorte,vt è calamitate ſeipſo ſemper maior,& clarior euaſerit. Siquidem præter honores & opes quas obiter ab innocentia præclaraque virtute affluenter eſt conſecutus,etiam illi(quæ in ſumma totius vitæ iucundiſsimum videtur) opportunè atque feliciter euenit,vt inimici eius ferè omnes ad mirabili Deorum immortalium iudicio plecterentur.

De prælio ad Caſalecium facto Cap. X X X V I.

Eo inſigni prælio,quo ad Bononiam iuxta Rheni pontem Bernardonus vir Gallus,Pontificis Florentinorumque & Bononienſium imperator ſuperatus,captusque eſt ab Alberico,& Vermio Ioannis Galeacĩ ducibus: Sfortia & ipſe in poteſtatẽ hoſtium deuenit.In eum enim conſtantiſsimè dimicantem,& deſerente locum Tartalia,à latere præſidio nudatum, Facinius Canis dux acerrimus, cum denſata ala cataphractorum equitum irrupit, adeo vehementi improuiſoque impetu vt multis proſtratis,& ipſe Sfortia equo per armos haſta perfoſſo deturbaretur,ſuperincidentibusque victis ſimul atque victoribus planè oppreſſus ſummum vitæ periculum adiret. Vbi verò Alberici

rici beneficio castris hostium se explicuit, ingenti animo gregarios milites qui exuti armis & equis more militiæ dimittebantur, cohortatus est vt bene sperarent, & se duce Florentiam venirent. Fore enim vt accepta incommoda Senatus liberalitate & cura sarcirentur. Ita ipse pedes Apenninum transgressus portæ vrbis applicans, vti erat puluerulentus recta in curiam contendit, trecentos amplius viros fortes adducens: Patres conscripti, inquit, nos vestri milites, vti opportuit pro dignitate vestra, & militari laude impigrè pugnauimus: fortuna autem quod voluit & potuit insolenter effecit. Cæterum si digni sumus qui vestra benignitate armis & equis instruamur, dabimus enixè operam, vt vos iudicij vestri minimè pœniteat, & nos vberiore stipendio digni videamur. Placuit Senatui in eo publico omnium dolore, generosi infractique animi vigor: extemploque Sfortia accepta largè pecunia, & refectis turmis duplicatam numero equitum præfecturam obtinuit.

Quomodo ex insidijs sit captus Cap. XXXVII.

Malignitate porrò, & parum virili insidiarū genere Pandulphi Alopi circumuentus, & in Arce noua Neapoli custodiæ traditus per quatuor menses nihil mitius expectauit, quàm vt à carnifice conficeretur. Id enim vnum ab improbis ac imbellib., quibus ex ignobili metu inhumana crudelitas inesse soleret, omnino timendum arbitrabatur: quandoquidem illi naturæ vitio viros fortes & illustres, insontesque præsertim non capere, aut fortè captos non temerè vnquam dimittere, veluti exacerbatis iniuria eorum animis consuessent. Erat Alopus natalibus clarus, sed decore formæ & morum illecebris maximè insignis, quibus Reginam facto pudore insanientem ad amorem pellexerat. Ea enim vt iampridem vidua, sublato scilicet marito qui erat ex Austria domo, Norici regulus, ac demum orbata fratre Rege Ladislao, apertius atque liberius, vti libido extimularet, amoribus vacabat: adeo vt Alopum ęrarij præfectura ornatum veluti consortem imperij, & rerum omnium arbitrum, Neapolitani Græcorum more in adulationem promptissimi, regijs honoribus percolerent. Is diffisus summo gratiæ loco, qui tum maximè lubricus videtur, quum ad fastigium propius accedit, Sfortiam tanquam riualem suspectare cœperat, Regina scilicet, vbi à grauissimarum rerum consultationibus discederetur, familiarius ac blandius cum Sfortia iocos miscente. Tanta enim erat in eo viro staturæ dignitas, & frontis honos, & in sermone alacritas militaris, vt Reginæ animum ingenitæ libidini semper obtemperantem, facilè occupare posse videretur: vt inde qui & gloria sua, & militiæ opibus tantus erat, validissimo gratiæ nexu confirmatus, vt summi ducis & denique Regis nomen vsurparet. Itaque liuore atque perfidia Pandulphi, Sfortia nouo calumniæ genere oneratur, subornatis qui dicerēt, non incerta fama circumferri, Sfortiam ante omnes delectum esse, cui Regina nuberet, maturisque iam nuptijs fore, vt Rex intra paucos dies appellaretur. Per hunc modum nihil tale suspectans Sfortia, ex cœnaculo in cubiculum ductus, atque inde custodiæ traditus est. Sed in eum nihil durius & atrocius statuente Regina, nec obsistente tamen impotenti amatoris cœpto, planè accidit, vt nemo è tantis copijs, totque præfectis, vti sperarat Alopus, à Sfortia deficeret: sed in v-

num Sfortiani omnes, Laurentio duce, ad vrbem Cluſium cogerentur, perſuaſuri infeſtis armis vſque Neapolim, vt ducis iniurias vindicarent. Peroppor tunè quoque ſub id tempus allatum eſt, Iulium Cæſarem è familia Capuana, Capuam, vnde erat oriundus, occupaſſe: Chriſtophorum item Gaetanum defeciſſe à Regina, & Iacobum Caudolam (qui dux bello clarus) Aquilanos ad defectionem impuliſſe. Qua rerum neceſsitate adductus Alopus, quum nemo eſſet qui ipſo Sfortia melius, atque præſentius Reginam tutari, rebellantesque compeſcere, & perſequi armis poſſet, Sfortia cum multo verborum honore cuſtodia educitur: datisque obſidibus, & accepta ingenti pecunia, gerendi belli cura ei protinus demandatur, ea conditione, vt Cattellam Alopi ſororem matrimonio ſibi adiungeret, qua affinitate cum Alopo ſyncera fide in gratiam rediſſe teſtaretur. Obſidum princeps fuit Franciſcus filius, qui poſtea virtute animi, & felicitate rerum geſtarum omnes eius ætatis duces anteceſsit.

Quomodo ad Beneuentum ſit captus Cap. XXXVIII.

Paribus quoque inſidijs, ſed multo acerbiore periculo, & calamitate maximè diuturna, iterũ in carcerem eſt coniectus. Nupſerat Regina Iacobo Martiæ Comiti, viro è Narbonenſi Gallia regijs natalibus orto, nulla honeſtiore de cauſa, quàm vt impudicitiæ probra accepti coniugis imagine tegerentur: cæterum ea conditione, vt is regio nomine penitus abſtineret, & Tarentinus tantum princeps appellaretur. Miſerat Regina qui eum è Manfredonia Neapolim venientem exciperent, ipſum ante alios Sfortiam: qui Magiſterij equitum honore longè ampliſsimo cæteros anteibat, & cum eo Perettum Allobrogem ragiæ aulæ præfectum, Troiæ comitem: utque item Iulium Cæſarem Capuanum cum Fabritio fratre, & Cecholinum Peruſinum alas equitũ ductantem, homines gloriæ, ac amplitudini Sfortiæ plurimum inuidentes. Hos diſertè etiam atque etiam Regina monuerat, præceperatq; vt Iacobum non alio, quàm principis nomine ſalutarent. Verùm vbi in conſpectum eſt deuentum, ſolus Sfortia cæteris omnibus magno aſtu, & repentina perfidia in adulationem procumbentibus, reginæ mandatis paruit: neque vel præſenti exemplo adduci potuit, vt eo ſcelere Reginam offenderet, ac officij pariter & libertatis oblitus impudenter aſſentaretur. Ita vti coniurarãt veteres Sfortiæ hoſtes, Iacobum adeunt, in Sfortiam falſis veræ miſcẽtibus peracerbè & graiter inuehuntur: adduntque magnis pollicitationibus, ſi animum regio nomine dignum cœptis afferre velit, ſe omnes ſtrenuè operam nauaturos, vti ei cortiſsimo procerum ſtudio, & ſecundiſsima populi voluntate, nec demum ſuccẽſſente Regina, regiæ dignitatis corona deferretur. Sed ante omnia Reginam duobus impotentibus mœchis atque latronibus omnino liberandã videri, qui regnum pro libidine lacerandum, euaſtandumque ſubacta peſsimis artib. Regina, arroganter occupaſſent. Hos eſſe & Alopum & Sfortiam: ſed illum poſtea Neapoli facilè tolli poſſe, ſi præſentẽ Sfortiam celeriter oppreſſiſſent. In hunc modũ inita conſpiratione, per aſſuetos cædibus ſatellites, quorum Sclauettus ex Illyrico princeps erat, eum in itinere confodere ſtatuerunt, cum in vado Caloris amnis incautus, & à ſuis diſiunctus facilè confici poſſe videretur. Sed percuſſoribus demum ad patrandam tanti viri cædem animus

defuit,

defuit, quum insidentem militari equo, cui à sessoris fiducia Sperantio nomẽ erat, quadratoq; suorum agmine, & minaci vultu amnem transgressum formidassent. Certis enim coniecturis, vir acutus, clàm ab se quædam imperari agminaque componi animaduerterat, notaratq; pallentia ora in quibusdam, qui atrocia & periculosa suspensis animis agitare videbantur. Sed nihil adeo sæuum aduersum se parari posse, vir adapertus & generosus ad animum admittebat, adeo vt in arcem Beneuentanam ad Iacobum ascendere non dubitarit. Ibi ex composito, quum Iulius Cæsar spurcissimo ore maledictis agendo perfidiæ crimen obiectaret, contraq; ipse succensus ira, calumniæ indignitate permotus, eum tanquam improbè mentientem in singulare certamen, militari prouocatione deuocaret spectante Iacobo, res eò deducta est, vt Perettus & Cecholinus simulatione officij altercantes dirimerent, comprehensosque in diuersa cubicula diducerent. Sed Iulius statim est dimissus, Sfortiæ autem manicæ ferreæ statim iniectæ. Nec mora magno concursu facto Sfortiæ domus diripitur, equites vertuntur in prædam, captique tres liberi eius, & propinqui fermè omnes custodiæ traduntur, vno excepto Sanctoparente, qui initio tumultus talia spectans, atque opportunè diuinans feliciter effugit.

Quomodo Iacobus ex principe Rex sit appellatus, & Sfortia seruatus. Cap. XXXIX.

Capto Sfortia, Iacobus Neapolim venit, prodenteq; Nouam arcem Auersano Centurione, cui à contrario euentu Seruatori nomen erat, ea potitur: Paulum Vrsinum liberat, interfectoq; Pandulpho Alopo, nuptiales mensas eius sanguine conspergit. Nec multò post Reginam coniugalis quidem thori consortem facit, sed erepta totius imperij potestate, multis oneratam probris, et seuerè castigatam, ne diffugiat à Gallis custodiri iubet: regios titulos ipse vsurpat, & Gallis honores, præfecturas & magistratus dilargitur. Interim Sfortia deuectus in Insulæ Megaris arcem, cui ab Ouo nomen est acerbissimis tormẽtis cruciandus Bernardo barbaro homini traditur, vt expressis tesseris quæstione, ea oppida reciperent, quæ Sfortianorum imperio tenebantur: nec suprema tamen vis, vti anteà decreuerãt, vitæ eius affertur. Tot enim acerrimos duces propinquos eius, tantasq; copias veteranorum militum amore, & studio incredibili, multisq; beneficijs, & diuturna consuetudine Sfortiano nomini addictas formidabant: vtpote qui eius rei periculum superiore anno improspere factum fuisse meminerant. Porrò Sfortiani milites fuga ad Petrafixæ oppidum in Samnio coeunt. Michaletus & Laurentius Attenduli, & Sancto parens infesta populatione in suburbanas vsque villas portasque Neapolim deferuntur. Ob id Iacobus copias conscribere cogitur, quibus Iulius Cæsar, & Cecholinus hostem reprimant, & Tricaricum vrbem expugnent, quam Ladislaus Francisco Sfortiæ filio, præclara pueri indole adductus dono dederat. Erant in præsidio Michaletus ipse, & Michelinus Rabinianus, cui Margarita Sfortiæ soror, Foschini, & Marci Attendulorum mater, defuncto priore marito denupserat. Ii de Sfortiæ salute solliciti, opportunè de inducijs, compositioneque agere cœperant, factaque potestate impunè commeandi è castris hostium, summæ nobilitatis homines Tricaricum venerant, Antonellus Pudericus, Ruffus Caietanus, & Angelus Vellianus Nouæ arcis præfectus.

In hos Margarita fraternæ virtutis æmula, arrepto venabulo loricata impetum fecit, comminataque acerbissimum mortis genus, ni fratrem incolumem sibi redderent, legitimo iure captos comprehendit. Quando ab ipsa, quæ Tricarici imperio & ditione potiretur, nequaquam autem à Michaleto, Michelinoque, quibus malum in ea vrbe ius esset, fides petenda fuisset. Id virile facinus haud dubiam Sfortiæ necem auertit: extemplò enim à legatorum propinquis concursu ad Regem facto, facilè impetratũ est, vt Sfortiæ parceretur.

Quibus conditionibus Sfortia necem effugerit Cap. X L.

His autem conditionibus inter Sfortianos & Regios res compositæ sunt, vt tradito Tricarico, & remissis legatis, Sfortiæ liberi, & propinqui omnes, ac milites dimitterentur, præter Franciscum, qui ad solatium præteritæ calamitatis in liberiore iam humanioreque custodia cum patre relinquebatur. Laurentius autem & Sanctoparens, millè equitum stipendia sub Rege mererent: Michaletus quoque vti liberet, cum Leone, Ioanne, Alexandroque Sfortiæ liberis in Hetruriam proficisceretur, iureiurandoque rex promitteret, nihil se postea Sfortiæ nociturum. Margaritæ item potestas esset, vbi vel let Neapolitano in regno considere: idemque liceret Catellæ Sfortiæ vxori, quæ in tanto rerum tumultu ad sacratas virgines in templum diuæ Claræ cum Lisia priuigna confugisset. Michaleto quoque concessum est, vt quoties vellet, Sfortiam inuiseret, alloquereturque sine arbitris. Isque demum appro bante, adhortanteque Sfortia, ad Braccium, veluti ad veterem amicum, tuentemque Sfortiæ oppida in Hetruscis cum sexcentis equitibus contendit.

De supplicio Cæsaris, & Sfortiæ felicitate Cap. X L I.

Pacato regno à Sfortianorum incursionibus, Iacobus nihilo secius Reginã in custodia continebat, abutebaturque imperio adeo insolenter, vt solis Gallis cuncta deferret. Italicos verò homines vsque ad fastidium omnino reijceret atque contemneret: & denique illustrium amicorum obliuiscereturque, qui cum summo scelere atque periculo ei regium nomen asseruissent. Hac indignitate permotus Iulius Cæsar ingenio superbo, atque præcipiti, vlciscendæ cum publicæ tum priuatæ contumeliæ consilium desumpsit. Repulsam enim ter tulerat, quum in locum Alopi supplicio affecti, aut captiui Sfortiæ, aut denique Peretti paulo antè defuncti, suffici cupiuisset, præoccupantibus cuncta Gallis qui amplissimos honores sibi deberi existimabant. Hi sunt ordine, Magister equitum, regiæ aulæ præfectus, atque item præfectus ærarij, qui hodie nouitio vocabulo Conneſtabilis, Seneſcalcus, & Camerlingus appellantur. Igitur Iulius Cæsar lethali bile percitus, reginam secreto adit, ipsius iniuriam, & communes omnium miserias deflet, quibus se præbuisse initium fatetur: sed accepta fide serio promittit, tam forti animo, quàm antea incauto his rebus omnibus finem allaturum, modò ipsa dignum regio sanguine, & præsenti fortuna consilium sincera fide ad animum transmittat. Confossurum enim sua manu pseudoregem pollicetur, vt Reginam simul & patriam à barbarorum tyrannide liberet. Tum verò Regina gratias agens excusis lachrymis, & præbita dextra fidem dedit, se immortali beneficio obstrictam fore, si id quod egregio

voto

voto conciperet,& à Dijs immortalibus,& à Fortuna probaretur: cęterùm in id facinus animum pararet, & ad se triduo reuerteretur, vt cuncta aptius vti opus foret, constitui, atque instrui possent. At sæua mulier, nec oblita recentis iniuriæ, quò autore Iulio Cæsare, & necatum Alopum, cuius memoriam occultis fletibus assiduè percolebat, & Sfortiam tutorem regni, defensoremque regiæ dignitatis, tormentis excruciatum, ipsamque regio fastigio deiectam, in custodia barbaris traditam obliuiisci non poterat, animum ad vindictam atque perfidiam reuoluit, detulitque cuncta ordine ad maritum vt incorrupti amoris,& propensissimæ voluntatis fidem animo eius insereret,& geminata demum proditione vtrunque disparibus insidijs aggrederetur. Iacobus ea nouitate periculi exterritus, nec planè mulieris indicio fidem præbens vbi compositis insidijs in Reginæ cubiculo Iulium Cæsarem eadem de patranda cæde promittentem, conopeo tectus audijt, prosilientibus armatis extemplò Cæsar est comprehensus,& in foro quum securi percuteretur, demum dignas instabili & turbido ingenio pœnas persoluit. Per hunc modum Iacobus adeo insigni vxoris officio deuictus, familiarius atque frequentius reginam adibat, permittebatque, vt solito liberius,& sine custodibus tota arce vagaretur.

De Regina capto Rege liberata Cap. XLII.

Cæso Iulio Cæsare,& ob id facinus Regina in coniugalem thorum, communesque epulas recepta, Iacobus nequaquam omnem animo suspicionem deterssisse videbatur, quū spacianti Reginæ arcis limine pedē efferre, aut nauicula deuehi non liceret. Itaq; duo Neapolitani, altitudine animi insignes, eripiendæ, asserendæque in libertatē Reginæ, ac expellendi Regis negotiū susceperunt, Othinus Carracciolus, qui inter optimates authoritate & opibus præcellebat,& Anechinus Moriminus popularium princeps. Discesserat opportunè per eos dies Lordinus Gallus equitum Magister, cū copijs in Aquilanum agrū profectus, & festus dies publico epulo, & chorearum ludis in theatro celebrabatur. Ad id honoris causa Gallorum Proceres inuitati, & quum nouæ nuptæ omnes, matroneq; nobilitate & forma lectissimæ, ad eam celebritatem ducerentur, haud difficulter, sed magnis tamen precibus à Rege impetratum est, vt Regina iucundissimis huiusmodi voluptarijsq; spectaculis interesset. At postquā inclinante in vesperam die saltationi finis est impositus, Reginam ciuibus agentem gratias, & simulanter in arcem Nouam redire parantem, à dextra sinistraque Othinus & Anechinus comprehendunt, stipatiq; valida iuuenum manu, eam in Capuanam arcē perducunt. Extemplò Reginæ nomen inclamatur, inuaduntur Galli, totaq; vrbe fugati, in arcē compelluntur. Rex ad inopinati periculi discrimen metu cōsternatus, portas claudi iubet. Neapolitani ex aduerso circumuallare arcem, egressus obstruere,& latè obsidere Regem pergunt. Quibus rebus non modò dignitati, sed & saluti vehementer timens, nudatusq; omni militum præsidio, & consilij penitus inops, his conditionib. in deditionē est receptus, vt in posterū regijs titulis abstineret. Tarētinus princeps appellaretur: Gallos verò omnes, præter quadraginta in Galliā remitteret, et Sfortia statim custodia emitteretur, redderēturq;

ei vi erepta oppida renouatoque veteri honore, Magister equitum crearetur.

De iniurijs eius Deorum iudicio vindicatis Cap. XLIII.

Haud dubiè concessu & munere Deorum, ea quæ longè omnium honestissima, maximaque videtur, per omnem ætatem voluptate potitus est, vt insignes iniurias suas ab his plerunque, qui erant inimicissimi, vindicatas conspiceret. Facilè enim accidebat, vt hominem multo candore, fide, probitateque ingenij præditum, & nunquam per circuitus atq; fallacias, sed militari adapertaque via ad verum decus properantem, ij maximè ex insidijs peterent, qui imbelles, malis artibus, & perfidiosa simulatione in aula principum valerent, aut bellica virtute valde inferiores, in recessibus animi cœco liuore torquerentur. Sequentibus enim naturæ vitium, merita pœna non defuit, quæ nocentes, vel pede claudo maturè consequitur.

De cæde Alopi Cap. XLIIII.

Pandulphum Alopum, cui Ioanna Regina eius amore perdita, ærarij præfecturam, ingentes opes, & totius regni procurationem detulerat: adeoque ei profligato pudore erat obnoxia, vt iam imbelli impudicoque iuuene, ipsum Sfortiam virum fortissimum, insontemque carcere includi pateretur, securi percussum, triduoque insepultum Neapolitani in foro spectarunt, quum Iacobus rex qui tum & Sfortiam in custodia seruabat, ipsum Alopum in Reginæ stratis occultatum, deprehensumque cepisset.

De nece Iulij Cæsaris, Peretti, & Cecholini Cap. XLV.

Iulio Cæsari Capuano, Peretto Troiæ comiti, & Cecholino Perusino par vitæ exitus fuit. Hi enim virtuti atque amplitudini Sfortiæ inuidentes, nihil tale suspicantem Beneuenti comprehenderant, quum etiam eum biduo antè submissis percussoribus interficere cogitassent. Horũ igitur malignitate atq; perfidia captus Sfortia, & crudelitate regis in quæstione tortus, priusquam è carcere mitteretur, audijt Iulium Cæsarẽ ab ipso rege, digno perfidia eius supplicio publicè necatum: Peretum verò idem expectantem acerbissimo intestini dolore, incertum an veneno sublatum. Nec multo post Braccius in Asisiatum campis, memorabili pugna superatos Carolum Malatestam & Cecholinum viuos cepit: recuperata ex ea victoria vrbe Perusia, Carolum tanquam hostem ingenti pecunia redimi permisit: Cecholinum autem vti inimicum, & aduersarum partium acerrimum ducem in carcere necauit.

De calamitate Iacobi regis Cap. XLVI.

Ipse quoque Iacobus, qui reginam vxorem in captiuæ morem Gallorum custodia sepserat, infaustoque Iulij Cæsaris & Cecholini studio rex fuerat appellatus, vix vndecim mensibus regnauit: nobilissimorum enim ciuium conspiratione in potestatem Reginæ redactus, eum superbiæ & crudelitatis exitum tulit, vt talionis pœnam subiret. Sed demum impetrante Martino Pontifice, cum liberiore custodia seruaretur, nauigio repente conscenso

Tarentum

Tarentum profugit, sed eo fortunæ euentu, vt inde oppugnatus à fœmina Maria Baucia Ladislai regis vxore fœdissimè pelleretur. Sensit & demum vel Italia pulsus infestos deos, rabidissimis ventis in Cephaleniam insulam raptus, & longo tandem, varioq; errore delatus in Galliam. Desperatis nanque rebus, vt ignominiam & calamitatem religionis voto contegeret, sacrati habitus cucullam sumpsit: atque ita vir sæuitia & fastu intolerandus inter sacerdotes in obscuro vitam finiuit.

De Sergiano magno Seneschalco trucidato Cap. XLVII.

Fuit etiam perpetuò infestus Sfortiæ Sergianus Caracciolus, qui à Regina in delitijs habitus ad id gratiæ potentiæque fastigium peruenerat, vt Alfonso regi in filium adoptato, authoritate ac opibus æquaretur. Hunc à rege captum, qui Reginæ matris nomen tantis impudicitiæ probris liberare contendebat, Sfortia redemerat: ita vt in eius gratiam, cupiente præsertim expetenteque Regina illustres duodecim Catalanos, quos profligato rege ceperat, graui admodum permutatione dimiserit. Sed tanto etiam obstrictus beneficio, in posterum nihil ab ingenio suo discessit, quin pessimis artibus hostilia, & maximè atrocia in Sfortiam moliretur. Hunc ad extremum viri illustres, qui tale monstrum ferre non poterant, vt Reginæ pudori consulerent, pernoctantem in arce Capuana, euocatumque cubiculo trucidarunt. Iacuit & semiuiuum cadauer in via publica tanto fortunæ ludibrio, vt regina nullam vocem emitteret: propinqui tanti viri cædem vindicandam non susciperent: Magistratus autem id facinus miro silentio transmitteret.

De Nicolai Vrsini fœda morte Cap. XLVIII.

Nicolaus etiam Vrsinus Bertholdi filius, à quo Viterbiensi acie Sfortiam desertum, proditumque memorauimus, vti Braccius ipse aliquot post annos ad Gaianellum in colloquio syncerè testatus est, eius facinoris pœnas ignobili morte persoluit. Quum enim apud Soanam oppidum Senensis agri suæ ditionis impotenter agrestium fœminarum pudicitiam expugnare pergeret, concursu vnius familiæ quæ in tyrannum coniurarat venabulo, & irati quidem aratoris manu crudelissimè confossus interijt.

De Paulo Vrsino Braccij insidijs interfecto Cap. XLIX.

Cum Paulo etiam Vrsino insigni duce, dilacerata vetere amicitia, simultates adeo vehementer exercuit, vt ex militari prouocatione vsque ad singulare certamen iram atque odium efferrent. Sed id facinus auertit Ioannes Pontifex, Balthasar olim Cossa, quem tum primùm è Bononia Romam petentẽ Sfortia eius militiæ ascriptus deduxerat, ostentaratq; in ea pompa per mediã vrbem ornatissimas alas, & veteranas aliquot cohortes, inuidente Paulo, qui clientelis, & Vrsinę factionis viribus pollens, neminem potentia & dignitate parem pati, & prorsus Romæ solus regnare cupiebat. Erat enim bello acer, verũ ambitiosus, impotens, cruentus, et ab ingenij mobilitate, crebris, fœdisq;

transfugijs infamis. Itaque quum Sfortiam extimulatum varijs iniurijs ab amicitia Pontificis diuellere, Vrbeq; detrudere pergeret, quòd eo expulso, nemo esset reliquus qui licentiam audaciamque ipsius frænare posse videretur, id apertè molitus est, vt Sfortia de salute solicitus, vi ac iniurijs compulsus Vrbe excederet, & in Algido castra metaretur, nec vt rediret adduci potuit, quanquam Pontifex misso ad eum S. Angeli Cardinale vetere eius amico, communi nomine pro Paulo fidem interponeret. Respondit enim se eius hominis temeritati salutem minimè cõmissurum, qui antea in conspectu Gregorij Pontificis manu sua Mostardam clarissimum ducem confodere non dubitasset, & ab eius inusitati facinoris impunitate animũ minoribus postea cædibus efferatum ad terrendos homines ostentaret. Inde Sfortia Ladislao Regi se coniunxit, ad quem non multò post & ipse Paulus est profectus prodita vrbe Roma, quam paulo antè cum insigni laude defenderat. Sed eum demum Vmbrico bello proditionis accusatum, & Neapoli ad supplicium in custodia seruatum, Ladislaus immatura morte sublatus, periculo exoluit. Sed vt meritas & fatales pœnas subiret, fortuna demum eo pacto illum carcere eduxit, vt Braccio obijceret, qui dum Sfortia in cathenis teneretur, eũ ad collem Floridum extra portam oppidi spaciantem nactus, Tartalia, & Ludouico Columna operam nauantibus, interfecit. Eo cædis nuncio erectum in spem libertatis Ffortiam sublata vcoe dixisse ferunt: Ergo & mihi insonti dij immortales maturè cathenas soluent, qui vti equissimi iudices impio ac omnium deterrimo dignum vitæ exitum celeriter attulerunt.

De Armalerij proditoris supplicio Cap. L.

Armalerium quoque Asculanum, cui vt equitum turmam, & cohortes peditum simul ductaret, contra vetus institutum indulserat, vnum omnino è tantis copijs & beneficij oblitum, & summa cum perfidia alienatum sensit. Hic enim, duce Neapoli custodiæ tradito, vrbem Orbitum naturali munitione inexpugnabilem, quũ fidem cum fortuna mutasset, Braccio venalem proposuit, & prodidit. Nec diu Armalerius auro illo flagitiosè quæsito potitus est. Hostilia enim molitũ, accumulataq; perfidia, nouæ proditionis consilia, fallaci ingenio versantẽ, Vitellius Patriarcha Cornetanus laqueo necari iussit

De infelicitate Braccianarum partium, & Sfortianarum prospero successu Cap. L I

Hac quoque Deorum immortalium censura, id etiam in cumulo felicitatis accesit, quòd nihil, vel eo vita functo iustæ vltionis videretur esse præter missum: quandoquidem Franciscus filius ita patris virtutem, & opes, & studia militum excepit, vt non multo post Braccium, atque item continenter eius partium duces, non vno in prælio prosterneret. Non multis enim inde annis, cum Nicolai Picinini opes, tum filiorum eius conatus virtutis emulatione certantium, magnitudine & felicitate rerum gestarum vsque adeo fregit, atque deleuit, vt nemo Braccianæ sobolis hæres, qui dignitatem originis & senescentis famæ nomen sustineret, facilè reperiretur.

De vulnere

De vulnere ad Viterbium accepto Cap. LII.

Viterbienſi in pugna grauiſsimum ex obliquo vulnus ceruice excepit: cum ei Brandolinus Comes vehementi incurſu, diloricata caſside in iugulum vſque haſtæ cuſpidem adegiſſet: neque prius, vel multo manante ſanguine, reduci è pugna potuit, quàm à Sancto parẽte irato ſimul et reclamante, correptis equi habenis retrò verteretur: adeo enim ira doloreque incenſus erat, vt vindictæ cupiditate inſana quadã temeritate cum paucis ſæpius in medios hoſtes procurrere, peruadereque vſque ad media ſigna non dubitaret.

De periculo eius in expugnatione Capitonis Cap. LIII.

Eadem penè animi peruicacia cum vlturus iniurias, Braccium Martini auſpicijs in Vmbria perſequeretur, in expugnatione Capitonis oppidi extremum vitæ periculum adijt. Defendebatur accerrimè oppidum à Bracciahis, adeo vt Sfortiani quater redintegrata pugna, & irrito ſemper conatu multis acceptis vulneribus ſegnius murum ſubirent. Id dedecus ſe præſente admitti, elato indignanteq; animo, minimè ferens, comprehenſam ſua manu ſcalam mœnibus admouit, & ſubijt. Nec defuere hoſtes qui in eum aſcendentẽ forti exemplo milites, ingentia trabium pondera, molaresque lapides prouoluerent, ita vt comminutis ſcalis, terribili ſtrage in præceps dati, tota foſſa ſterne rentur. Decidit Sfortia è ſummo ferè muro deturbatus, adeo vt multis fomentis, vix poſt horæ ſpacium ad vitam ſit reuocatus. Eo tamen caſu, nequaquam intermiſſa pugna, recruduit, inuſitatoque ardore Sfortianorum militum corona muri occupata, oppidũ eſt direptum, & Bracciani duces capti, ipſo propè ſpectante Braccio, qui laturus opẽ cum magnis copijs aduentabat. Inter captiuos fuere clariſsimi poſtea duces Comes ipſe Brãdolinus, cuius manu Sfortiã ad Viterbium vulneratũ fuiſſe meminimus, & Gattamelata Narnienſis, cuius hodie ænea equeſtris ſtatua Patauij à ſenatu Veneto poſita conſpicitur.

De vitæ diſcrimine in quo Romæ verſatus eſt Cap. LIIII.

Verſatus quoque eſt in longè maximo vitæ diſcrimine, cùm media in vrbe Roma continuato per tres dies cruento certamine, pugnaretur aduerſus Vrſinos, contra vrgentibus Columnis atque Sabellis, quibus Sfortia dux aderat. non longè enim à Mineruæ templo, qua itur ad Aemilianum arcum è feneſtra ingenti ſaxo brachio eſt ictus, adeo vehementi dolore, conuulſisque neruis, obortaque oculis caligine, vt exanimatus ab equo prorueret, & à ſuis pariter ac hoſtibus fœde proculcaretur: ſed vir nequaquam dolore victus, in genu ſeſe fortiter erexit, læuaque proximi equitis lora ſtapedis comprehendit. Is erat Laurentius eques Romanus, cognomento Surdus, qui clauа ferrea obuios pertundens, vt opem ferret, proturbatis diſiectisque hoſtibus, ad Sfortiam ferocem equum adegerat, cohortans & monens, vt galeæ bucculam eleuaret, raptariſque ſe equi viribus pateretur: atq; ita correptus per bucculam innixusque ſtapedis loro ægrè pertrahente Surdo, in pacatum locum peruenit, magno prorſus miraculo ſeruatus ſanatusq;: quandoquidẽ quadraginta amplius diebus cùm brachij, tum dextræ manus ſenſu vſuq; caruerit.

De inſidijs ad Calorem amnem ſtrenuè vitatis Cap. LV.

Ter ex insidijs in summo vitæ discrimine versatus est: primò ad Calorem amnem apud Beneuentum, pridie quàm à Iacobo rege & à coniuratis custodiæ traderetur. Profluentis enim vadum tentanti, disiunctoque à suis, ad id delecti equites, districtis repente gladijs, & adactis equis vim afferre decreuerant. Sed ille, quanquam nihil tale suspicaretur, quum sine consilio suo quædam turbatius, quàm pro pacati, & nihil hostile timentis agminis consuetudine, imperari & circumagi videret, tanto animi vigore sub vexillo agmen composuit, & galeatus ferocem equum, quo in prælijs vti erat solitus conscendit, vt coniurati subito pauore concepto, quominus tela expedirent, vel vna terribilis, & parati eius facie terrerentur.

De insidijs ad Sarnum æstu superatis Cap. LVI.

Sergianus Caracciolus deformi postea vitæ exitu memorabilis, quum anxiè riuales timeret, ob idque Vrbanum Auriliam Reginæ genio respondentem, specie honoris legatum Constantiam ad concilium ablegasset, Sfortiam & ipsum eodem æstu tollere conatus est. hoc demum à regina impetrato, vt aduersus Sanseuerinæ familiæ proceres in Brutios mitteretur. Discesserant enim Sanseuerini à vetere officio, nec planè tamen rebellarant. Ob id putarat Sergianus Sfortiam aut minus feliciter reginæ operam nauaturum, aut Sanseuerinos inexpiabili iniuria affectos contractæ affinitatis, ac amicitiæ iura turbaturos. Sed Sfortia authoritate ingenti potius, quàm belli metu, sanatis Sanseuerinorum mentibus, ita celeriter negocium confecit, vt ei Sergianus regredienti non vno in loco insidias pararet. In Picentinis enim occupati calles, suppressi cõmeatus, & circa Salernum excitiagrestes, qui præcisis itineribus Sfortianas turmas aggrederentur: præpositusque demum ad Scaffatam ponti Sarni amnis Campanus centurio, vt transeuntem inuaderet atque conficeret. Verùm id resciuit Sfortia, copijsque ad Anchariam vi cum subsistere iussis, obsoleta lacinia indutus, armatusque tragula, & galeatus, stabulario similis percussores fefellit. Quum enim in equi clunibus de more, mantica cum strigili gestaretur, & cribrum ab ephippio dependeret, quis eum tanti nominis imperatorem putasset?

De periculo ad Caietam paruo casu facile superato Cap. LVII.

Paruo etiam temporis momento, & magno quidem parcentis fortunæ beneficio, Alphonsi regis insidias præuertit. Venerat ad Reginam Sfortia, quum illa, graui tum ad Neapolim Autumno, Caietam cum Sergiano secessisset, atque vnà rex Alphonsus in Formiano litore inter fontes, & Citriorum syluas, vitandi æstus causa versaretur, vt cum ambobus post redditas Acerras, de stipendijs, ac oppidorum possessione disputaret, inuasit repente Regis animum fœua libido Sfortiæ tollendi. Is enim vnus erat qui virtute animi, & bellicis viribus terribilis, offuturus esse videretur, si ambitioso animo spes suas proferre, & apertè regnum inuadere vellet. Sed Sfortia magno, & planè regio comitatu, multisq; fortibus alarum prefectis semper stipatus, nequa quã sine ancipiti periculo comprehendi posse videbatur. Excogitauit itaque dolum

dolum Rex peracutus, triremem que conſcendit inuitato Sfortia, vt honoris cauſa ſecum legato pontificio obuiam venire minimè grauaretur. Is erat Fonſeca Cardinalis, qui ad eũ à Martino mittebatur. Nec dubitauit Sfortia, quin pariter conſcenderet, nihil de Catalanorum perfidia ſuſpicatus, vtpote qui adaperta ingenui animi fiducia, nihil ſibi inſonti timendũ arbitraretur. Paratæ iam erant compedes, & laqueus more gentis, ſaccusque quo inuolutus profundo mergeretur quum id promontorium, in quo mirabile Planci ſepulchrum latè conſpicitur, tranſuectis celerius opinione omnium, è Speluncano litore Legati triremis apparuit. Tum verò Alphonſus qui tum in receſſum extremæ puppis ſceleris miniſtros euocarat, animum à nefario conſilio ad priſtinam comitatem reuocauit: ne aduentantis ſacrati viri lætitiam, & publici officij cæremonias, tanti facinoris atrocitate conturbaret. Ita Sfortia deorum immortalium munere conſeruatus ad ſuos rediit, quum eum Sfortiani omnes, tanquam fato functum veriſimis lachrymis eluxiſſent.

De moderata liberalitate eius & abſtinentia, contemptúque pecuniæ Cap. LVIII.

In exercenda verò liberalitate, qua vna maximè virtute, vel ingentia vitia occultari facilè poſſunt, mediocritatem tenuit, varia admodum fama, quum in erogando diſtribuendoque meditata, & prouiſa largitione vteretur, quaſi ducem ad gloriam, & ad magna imperia ſemper aſpirantem penſitata ratione vti non doceret: quũ militi præſertim improuiſa, & feſtinata potior videretur. Sed ille opes ſemper contempſit adeo liberali iudicio, vt à ſignatæ pecuniæ nota oculos ſemper auerteret, vituperatis qui diro eius conſpectu, & venenata libidine gauderent. Sumptuarias rationes, cenſu oppidorum, & ſtipendijs equabat: ne, vt ipſe dicebat, temere decoqueret. Creditores raro contempſit, nunquã eluſit: quoniam opum & diuitiarum opinionẽ, fide potius & incorrupta exiſtimatione, quàm præſenti pecunia conſtare iudicabat. Nemo enim ea tempeſtate, quum oporteret, opulentior ac inſtructior fuit: quandoquidem inſigni ſtudio menſariorum omnium oneratus etiam grauibus impendijs iuuaretur. Vt tum accidit ad Viterbium amiſſis ſupra mille equitibus, ad pecuniæ inopiam redacto: quum è foro Romano amici atque beneuoli certatim ſub vna tantùm ſyngrapha aureorum nummũm triginta milia contuliſſent. Irridebat plerosque & in hoc Braccium etiam ipſum, qui aliquando alienа rapere, prædarique, quam es alienum diſſoluere mallet, vt ab extemporanea, & diſsipata liberalitate militum animos ſibi deuinciret. Præcipua enim cura ei ſemper fuit, paganos & agricolas ab auaritia militum defendere, hoſpites tueri, licentiam militarem in hybernis, & in agmine, indicta graui ac inexorabili pœna cohibere, ac demum deditis conſeruatisque quàm expugnatis, atque deletis vrbibus, lætari. Adeo vt eum Braccius in colloquio ad Saccomaniam ſyluam, quod vtrique ſupremum fuit, poſt multa de bellicis artibus grauiſsimè diſputata percunctaretur: Cur nam tantoperè ſeueritatis ac abſtinentiæ laudem quærendam putaret, quando id prorſus à toto militaris conſilij propoſito alienum eſſe videretur: quod promereri ſtudia militum, vel cum iniuria generis humani opportere cenſeret, ſi ad ingen-

tia imperia & opes vti ipsi ab humili fortunæ loco prosperè decreuissent, foret euolandum. Ad ea Sfortiam respondisse ferunt, nihil esse gratius dijs immortalibus, equitate atque iustitia, qua vna maximè, quæsitæ bello opes, positis demum armis, cum insigni gloria firmarentur.

De duabus eius concubinis Cap. L I X.

Quum Perusinis, apud quos Biordus, & Cecholinus fratres interfecto Pandulpho Baleono nobilitatis principe, popularium statum induxerant, stipendia mereret, in hybernaq; concessisset ad Martianum oppidum, virginem ad modum nobilẽ adamauit, Luciam Trezaniam, adeo vt amatorijs obsequijs, & spe nuptiarum pellectam, iustæ vxoris loco haberet & coleret. Ab huius felici admodum fœcunditate auctus est fortunata sobole maximorum ducum & principum. Sed eam aliquot post annos, vti iam planè impar, tantis scilicet opibus partis ab illustri virtute famam consecutus, Ludouico Folianeo in matrimonium opulenta dote præbita collocauit: quũ paulò antè maximas spes parandi imperij ingenti animo versantem, vt vxorẽ opportunè duceret, temporum necessitas impulisset. Ex ea demum natus est Conradus, qui Francisco Sfortiæ vterino fratri, pluribus in bellis fortem, fidelemque operam nauauit. Subsequentibus verò annis adamauit & Tamiram venustate admirabili, oriundam è Calle Vmbriæ oppido iuxta viam Flaminiam: è qua ad aquas Pendulas in Hetruria suauissimi oris filiam nomine Honestinam suscepit.

De vxore eius Antonia Salimbenia. Cap. L X.

Ita verò nuptias appetiuit, vt nequaquam sponte vxorium iugum subire videretur: quando liberis pro ea in qua tum erat fortuna abundè auctus, nihil magis cuperet, quàm certis & legitimo iurè quæsitis sedibus, vaga & mercenaria arma ad tutos receptus alicubi cõfirmare. Ob id Antoniam Salimbeniã apud Senenses antiquissimæ stirpis vxorem duxit. Ei maritus fuerat Franciscus Casalius Cortonæ Regulus, paulo antè coniuratione ciuium interfectus, vnde illi ex mundo muliebri preciosa suppellex, & dotalia quatuor castella obuenere, Mons Iouis cum Monte Nigro, atque item Ripa, & Balneo Clusinis aquis propinquo. Addidit & Clusium vetustissimæ claritatis vrbem Cocchus Salimbenius Antoniæ frater iampridem Sena patria eiectus, vigente ibi popularium factione. Quum enim nouæ affinitatis præsidio res suas, dignitatemq; tueri, & confirmare percuperet, vnũ præcipuè Sfortiam inter multos sororis procos, vti bellica virtute insignem, opulentis, & imbellibus anteponendũ censuerat. Quo consilio transtulit & Clusij ditionẽ in ipsum Sfortiam tabulis ritè confectis, vt Senensibus antiquo iure eam vrbem & agrũ repetentibus armatus, & acer defensor opponeretur. Ex hac Antonia vnicus legitimę prolis, ex nobili materno genere puer susceptus est: quem Sfortia Bosium appellari iussit, vt patruelis sui Bosij Attenduli fortissimi equitum præfecti, quem ad Spoletum amiserat, in domo sua memoriam renouaret. Hic porrò Bosius virtute animi, & rebus bellicis Francisco fratri penè par, priusquam ille regnum apud Insubres arridente fortuna, virtute & armis compararet, vxorem duxit Criseydem Aldobrandescam Sanctę Florę comitis filiam

natalium

natalium claritudine, & dotis opulentia illustrem: vtpote quæ septem oppida non longè à Porseno, de nomine Porsenâ Hetruscorum Rege condito in hæreditatem traheret, & genus eius Dantis Poetæ testimonio, in præaltam Hetrusci, regijque sanguinis originem referretur. Itaque quod in abauo nomen fuit, iure optimo in eius memoriam in patre tuo Bosio repetitum vidimus. Tu verò quod in proauo fuerat GVIDONIS nomen susceptisti, quod ille ab auo materno Sanctæfloræ comite, pari ac vsitata ratione deduxerat. Auo autem tuo Federicus Feltrius Vrbinas dux prælio inuictus, supra affinitatem in sacri fontis cæremoniam vocatus, nomen suum indidit. Additum quoque tibi est Ascanij nomen fatali quodam augurio, vt in te demum amplissimi, & longè optimi senatoris Cardinalis nomen & decus, veluti rediuiua domus dignitate refloreret: Et eo quidem nobilius, quoniam ille stirpe eadem, sed nequaquam legitimo ortu cœpta, nomen deducebat: quum natales tui ab incorrupta maiorum serie, impolluta stemmata fateantur.

De secunda vxore Catella Alopa Cap. L X I.

Accessisse autem ad secundas nuptias dira necessitate coactum constat, quū à Pandulpho Alopo erarij præfecto, inuidia virtutis eius, & obtrectatione crescentis apud Reginam gratiæ, in carcerem esset coniectus. Neque enim aliter, vel placare Alopum, qui cuncta vnus totius regni munia vsurparat, aut denique Reginæ voluntatem à vindictæ suspicione redimere potuit, quàm Catella Alopi sorore in matrimonium ducta. Si quidem Alopus præcellenti forma eruditis mundicijs, & latere demum infracto, deuictam penitus, & in seruitutem (animo scilicet muliebri, impotenti amore facilè subacto) redactam, nutibus regebat. Ea affinitas maturatis nuptijs apparatissimè celebrata, Sfortiam haud dubiè à parato iam capitali supplicio seruatum, in libertatem eduxit, leuauitque item Alopi animum ingenti metu: quum meritas illatæ iniuriæ pœnas, à viro fortissimo, & tot militum gladijs instructo formidaret. Cæterum Catella nihil omnino à fratre præter venustatem ad maritum attulit, dote scilicet à Regina liberalissimè collata. Dotali siquidem iure quinque castella in Samnio in Sfortiæ ditionem venerunt. Peperit Catella non toto vretente triennio tres liberos, præmissa puella, quam nomine suo Regina Ioannam vocauit: mares item duos, Leonardum scilicet: Id nomen in eius Diui honorem inditū fuisse constat, quoniam per quietem Diuum Leonardum ea specie qua depingi in templis solet, sibi opem ferentem vidisset, quum & clatros ferreos fenestræ carceris disrumpere, & compedes soluere præsenti numine videretur. Impleuit autem somnij fidem, & numinis oraculum rei euentus. Nam eodem die lætam somnio noctem sequuto, & Rex Iacobus imperium cum libertate amisit, & Sfortia adaperto carcere, ingenti omnium lætitia iterum Magister equitū est renuntiatus. Sed Leonardo vix infantiam egresso vitam morbus eripuit. Et immatura quoq; morte surreptus est alter, cui Sfortia Bartholo nomen indiderat, in memoriam scilicet Bartholi fratris & fortissimi commilitonis, quem lue absumptum apud Perusiam iampridem amiserat.

De tertia vxore Maria Martiana Cap. L X I I.

Postremò quinquagesimum ætatis annum agens vltimas sibi nuptias am-

bitiosè admodum quæsiuit assiduis artibus, ac ingentibus armorum officijs, petita, ductaque Maria Martiana Suessani Reguli filia, quæ in Campania, & ad Fucinum lacum multis oppidis imperabat. Nupserat hæc antea Ludouico II Andegauensi, eoque ante nuptias celebratas vita functo, ad Celani comitem secunda thori vota transtulerat. Hîc in Marsis & Furconensibus multorum castellorũ ditione præpotens, quum è vita excederet, vxorem testamento magnarum opum dominam reliquerat. Quamobrem & ipso Sfortia demũ importuna vi fati surrepto, quartum sibi coniugem facilè inuenit Franciscum Vrsinum Manappelli comitem, qui bis, & diuersa quidem fortuna apud Neapolim cum Sfortia collatis signis dimicarat. Natus est ex Maria Carolus, id nomen imponente regina in honorẽ scilicet Caroli Regis eius patris, qui magnis rebus in Italia gestis, Pacificatoris cognomen adeptus, in Pannonia demũ coniuratione procerum inter epulas trucidatus est. Cæterùm Caroli nomen haud multũ in puero permansit: nam atra bile diu vexante, attenuatisque inde viribus, vti obeundis militiæ muneribus impar, pietatẽ voto professus, sacratã cucullam desumpsit: atque ita abdicato priore nomine Gabriel est appellatus. Hunc postea Franciscus frater Galliæ Cisalpinæ imperio potitus, cœnobio eduxit, vt insigni dignitate ad familiæ decus ornaretur. Idq; facile à Pio Pontifice impetratũ est. Nec multo post Mediolanensis archiepiscopus est effectus.

De liberis eius ex Lucia Trezania Cap. LXIII.

Primo partu ex Lucia Trezania puerum suscepit, qui de patrui nomine Francus est appellatus. In hunc ab admirabili quodam syderum concursu, cuncta humanæ felicitatis ornamenta, virtus & fortuna contulerunt. Natus est in diui Miniati Hetruriæ oppido, iuxta Arnum Pisana via, Anno à partu Virginis vno & quadringentesimo supra millesimum, decimo Cal. Augusti, quum Sol occideret. Militabat tum Sfortia alterum & tricesimum ętatis annum agens, Florentinis, qui Pisanis bellũ intulerant. Secundo autem partu Elisam, in qua maternæ auiæ nomen repetitum videmus. At tertio partu alterna fœcunditate puer est ęditus, cui ab insignibus Roberti Cæsaris munere Patauino bello acceptis, Leonis nomẽ impositũ est. Peperit & mox Antoniam venusta te insigni. Cæterùm Leo ab ineunte ętate Francisco fratri omnibus ferè bellis assiduus comes, eam in re bellica spectatis operibus laudem tulit, vt non magno interuallo, ad fraternæ virtutis nomen accederet. Leoni biennio post successit Ioannes nomen paterni aui deferens, ingenio, viribus, et fortuna fratrib. dissimilis. Sed eum secutus est natu quartus, à Pontifice eius nomine Quinto, Alexander appellatus. Is tanto studio, tantaq; vi pręstantis animi arma tractauit, vt nõ modò Francisco fratri indomiti corporis, et pugnacis ingenij vigore, verùm & felicitate rerum gestarũ æquaretur. Condidit enim sibi filijsq; item atq; nepotibus principatum apud Pisaurenses, vt in Togata Gallia non secus ac in Cisalpina Franciscus frater, Sfortianæ domus stirpem insereret.

De affinitatibus summa prudentia contractis Cap. LXIIII.

Leonato ex Sanseuerina familia nobilissimo atq; fortissimo iuueni Elisam nuptui dedit, vt generum armorum studio illustrem potentemque clientelis & opibus

& opibus apud Picentinos & Brutios, certo veluti præsidio rebus suis adiutorem, defensoremque pararet contra potentiam inimicorum, Sergianiq; præsertim, à quo se cuniculis, & machinis oppugnari, petique insidijs haud obscurè intelligebat. Ex Elisa natus est Robertus ipse Sanseuerinus præclarus imperator, & maximis eius temporis ducibus præferendus, nisi in extremo vitæ actu à Germanis ad Athesim prælio fusus, ac interfectus superiorum victoriarum nomen obscurasset. Dedit & in matrimonium Marino Caracciolo Sergiani germano fratri Claram Attendulam, Foschini & Marci sororem (ea erat ipsius ex sorore Margarita neptis) procurante cohortanteque Regina, vt erumpentia, & iam coalita alternis offensionibus odia tollerentur. Desponsauit demum Antoniam Arditioni Cararienſis comitis filio, cuius ditionis erat vrbs Asculum in Apulia, vt patrem eius eximiæ authoritatis ducem, magnas tum copias ductantem, in reginæ partes pertraheret: In eo etiam Braccij hostis spem frustratus, Cararienſem multis pollicitationibus sibi adiungere properantis, Polyxenam quoque Ruffam in Brutijs, dotali iure tres vrbes, & viginti amplius castella in nuptias trahentem, vt Francisco filio collocaretur à Regina feliciter impetrauit: sed infausto demum successu, cum ab amita præferoci scelestaque muliere, & Polyxenam & eius filiolam dudum infelici vtero editam, admisto dapibus veneno sublatas audisset. Curauit quoq; vt Polyxena Sanseuerina Micchaleto Attendulo, & Ioannella Iesualdia Dominico Bosio iungerentur: quando eæ mulieres in Hirpinis inueterata imperij consuetudine ingentes opes tuendis Sfortianorum cœptis allaturæ viderentur. Nec alia quoq; de causa Tartaliæ filiam Ioanni filio desponsatam, intra Penates nurum recepit, quàm vt Braccio Montonio, vetus sibi hostis, & acerrimus bellator detraheretur: vtpote qui plerunque diceret, nihil commodius ac vtilius videri, quàm tribus propositis hostibus cum primo pacem paciſci, cum altero autem inducias parare, vt in tertium maximè expedita, & grauiora arma verterentur.

De clementia & seueritate erga suos Cap. L X V.

Tanta autem varietate clementiam simul, & seueritatem exercuit, vt delicta familiarium, & militum, nunc puniendo atrociter, modò facilè ignoscendo, neque huius, neque illius virtutis constantem famam assequeretur. Sclauetto Dalmatæ insigni equitum præfecto, qui in gratiam Iulij Cæsaris, se primum è percussoribus in transitum Caloris amnis Sfortiæ latus mucrone petiturum pollicitus fuerat, adeo generosè pepercit, vt captum ad Casam Marij, & iure belli armis & equis dispoliatum non modò (id improbantibus amicis) incolumem, verùm omnibus impedimentis, ne quid omnino desideraret, magna cura conquisitis, & restitutis, cumulatè instructum dimiserit: perblanda & nobili contentus interrogatione, quum ad eum dixisset: Quis nam furor inhumani crudelisque animi, Sclauette, alioqui vir fortissime, te impulit, vt nulla lacessitus iniuria adeo prolixè promitteres, te gladium ex cæde mea cruentum ad Iacobum regem omnino relaturum? Sed immanis vir ad id tum oculis in terram defixis, non multo post apud Philippum Insubrum principem, perfidiæ militaris crimine conuictus, in furca pependit.

De Martino Pasolino conseruato Cap. LXVI.

Eadem animi magnitudine vsus est erga Martinum Pasolinum aduersæ factionis principem, cum quo multis vtrinque cædibus editis aliquot annos Attenduli intestino bello contenderant. Eum enim vndique pulsum, infestáque Attendulorum arma fugientem, desperatis rebus ad Sfortiæ pedes procubuisse, salutem, veniam, pacemq; extemplò impetrasse constat: Et eo quidem maiore cum laude, quòd tum planè iuuenis, & vindictæ libidine vehementer exardens, ea odia, infesto semper animo, & cruentis manibus exerceret.

De clementia erga Bisium Cap. LXVII.

Bisio quoque è Cotignola peditum præfecto præter omnium opinionem, inexpiabilem iniuriam, & grauissimi delicti pœnam remisit. Nam quum Sfortia spectantibus ex propinquo duobus Regibus, penè intra Carmelitanã portam ad Neapolim victricia signa, perturbatis iam fugatisque hostibus intulisset, vnius Bisij socordia perfidiaque obstitit, quo minus cumulata victoria potiretur. Iussus enim duabus veteranis cohortibus intra hortorum macerias in insidijs considere, & ad signum datum prorumpere, vt studio pugnæ prouectos hostes intercluderet, neque designatum in locum peruenit, neque prius apparuit, quàm post trium horarum pugnam receptui signum tuba datum audiuit. Ob id Sfortiam irato animo, ea mediocri victoria minimè contentum exclamasse rauco ore plurimùm ferunt, itidem sæpe repetentem: Bisi, sceleste desertor, redde mihi hostium duces captos, atque intercepta eorum vexilla, quæ incredibilis, ignauia pariter, atque perfidia tua dudum nobis è manibus eripuit. Cæterùm eum ex conscientia animi, metu consternatum, & crimen ineptis verborum ambagibus excusantem, ea lege castris excedere iussit, vt perpetua ignominia notato, acerbissimi supplicij pœna, si in conspectum castrorum vnquam veniret, indiceretur. Ea est æneo tormento includi, & succenso demum sulphureo puluere per aera discerptis artubus diffundi.

De inusitato pœnarum genere Cap. LXVIII.

Equitem Patauinum è turma Scorpionis à Luco, qui Bononiensi medico in castris artem profitenti, coccineam togam è tabernaculo, dum alteille sterteret noctu rapuerat, eadem indutum toga, sed vinctis manibus per forum, & stationes, & contuberniamilitum traduxit: adeo, vt ridente, & exsibilante toto exercitu, ne reliquo ignominiæ dolori superesset, seipsum pugione transfoderet. Domitorem quoq; equorũ, magistriq́ue stabuli vicarium, patria Campanos, qui equis militaribus hordeum subtrahere, idque diuendere cœperãt, deprehensos, alligari per pedes equorum caudis, incitatoq; cursu per prata, & sata raptari ad necem iussit. Equitem etiam è Ferraria nobilem, qui contra edictum vel sæpe admonitus, scortũ adolescentis armigeri habitu, circumtonsa cæsarie habebat in castris, pudenda ludibrij pœna affecit quum muliebri veste indutum, per castra armato in equo circumduci, ostentariq́ue iussisset.

De Gratiani

De Gratiani ſupplicio Cap. LXIX.

Quum Ioanna Regina Alphonſi regis repentinis armis circumuenta, obſeſſaque in arce Capuana, cohortante demum, deducenteque Sfortia Auerſam ſe recepiſſet: Gratianum Fauentinum cuſtodiæ arcis propoſuit, commendante eius virtutem ac fidem Sfortia. qui illum magnis beneficijs ac præfecturis ornatum ab humili militiæ loco ad primos honores extulerat. Is beneficiorum oblitus, vt militare decus auaritiæ ſimul atque perfidiæ ſcelere fœdaret, corrumpentibus eum multo auro Catalanis, ſe proditurum arcem pepigit. Verùm à Sancto parente interceptis literis, & detecta perfidia, non dubitauit Sfortia, quin ſeueriſſimè in eum ageret, qui ſacramenti religionem, & priuatæ fidem amicitiæ nefaria proditione violaſſet. Atque ita eum apud Sciliceum Glanij amnis pontem Auerſana via prælta in arbore ſuſpenſum, agitandum vento, & volucribus carpendum reliquit.

De manſuetudine erga Brandolinum comitem Cap. LXX.

Nnon defuit in eo, qui in ſuos ſupra equum ſeuerior habebatur, humanitatis & candoris eximij laus erga hoſtes, Brandolinum comitem, cuius manu Viterbienſi in prælio ſauciatus, & penè interfectus fuerat, expugnato Capitone oppido, captum, quum in eo tumultu inimicum pariter, ac hoſtem facilè, & quidem procul ab inuidia tollere poſſet, adeo humaniter apud ſe habuit, vt ex conſcientia magnopere ſibi metuentem, effuſè laudaret in conuiuio, atque omni penitus metu liberaret. In hoc etiam gloriatus, quòd in tanta fortunæ iniquitate, neque à gregario, vel ignauo milite, ſed à nobiliſsimo, atque fortiſsimo duce vulnus accepiſſet. Erat Brandolinus Braccianæ factionj vehementer addictus: ſimilemque animum Tibertus filius, aduerſus Sfortianos ſemper exercuit, ne à paterna diſciplina diſcederet: vnde illi demum fatale exitium. Franciſco enim Mediolani ad principatum tanta felicitate prouecto, quum Braccianas opes vndique fractas, deletasque conſpiceret, ſeſe turbido ingenio à vetere inuidia, odioque ad perfidiam vertit. Atque ita deprehenſus, & cuſtodiæ traditus, vt imminenti ſupplicio ſe eriperet, præacuto ferreæ lucernæ manubrio ſibi iuguli venam perfodit, & interijt.

De inuidia ex nece Tartaliæ parta Cap. LXXI.

Onerauit autem eum inuidia maximè ingenti, ſupplicium de Tartalia ſumptum: quanquam ille meritas conceptæ perfidiæ pœnas luiſſet, quòd nequaquam ſyncera fide ad amicitiam affinitatemq; vocatum, circumueniſſe dicere tur, occulta ſcilicet in id tempus, & mox detecta naturæ malignitate, vt ſublato bellicæ virtutis æmulo, eodemque fortiſsimo duce, veteres iniurias vindicaret. Sed id Martini Pontificis iuſſu factum fuiſſe ſcriptores fatentur: Ipſeq; in primis Campanus in hiſtorijs alioqui Sfortiæ infenſus paſsim, & contrà Braccij gloriæ impudentiſsimè ſemper fauens, cuncta reticendo, aut eleuando verbis, quæ Sfortia conſilio, manuq; feliciter geſsiſſet. Reducebat in regnũ Martinus Ludouicũ III. Andegauenſem, Sfortiæ ductu, vt Ioannam omnib.

impudicitiæ flagitijs coopertam expelleret. Illa verò Alphonſum ab Hiſpania adoptatum in filium euocarat: bellumque gerebatur aſperrimum Sfortia tanta belli molem egrè ſuſtinente, quum Braccius dux ea ætate clariſsimus, magnis præmijs atque ſtipendijs conductus, Reginæ partibus adhæſiſſet. Sed æquatæ demum ſunt vires Tartaliæ aduentu, quem ſuperiore anno ab amicitia Braccij diductum, Martinus cum mille & quingentis equitibus ad Sfortiam auxilio miſerat. Eo autem anno Tartaliam his artibus operam nauauit, vt contra naturam ingenij cunctatior, & ſegnior factus, Sfortiam vetere gloria ſpoliari, profligarique, quàm Braccium omnino vinci malle videretur. Ad Sarnum enim ſeparatim ſibi caſtra fecerat, collegæ præſtò nunquam adfuerat, ceſſarat ab excurſionibus, quibus Campani Neapolitanique ab Auerſa, vti Sfortia præceperat, facilè poſſe vexari, præmique acrius infeſta populatione viderentur. Auxerat & eam ſuſpicionem Braccius per eos dies inuſitato militiæ more, Sfortianos milites bello captos ad triremes Catalanorum relegare, Tartalianos verò benignè remittere ſolitus. Commeabant & frequentes nuncij, præconesque à Tartalia ad Braccium, adeò vt iam nemo eſſet qui repetitam cum Braccio amicitiam, & ob id Tartaliam ex occaſione ad hoſtes tranſiturum non putaret. His ad Pontificem perſcriptis, venit ab vrbe Roma Colaus Squarcia Romanus iureconſultus, vt ex indicijs in reum iure ageret. Hic Tartaliã inopinato Sfortiæ aduentu oppreſſũ captumq; quæſtioni ſubiecit: et de cõfeſſo, poſt tertiũ diem Auerſano in foro capitale ſupplicium ſumpſit.

De natura ingenij Cap. L X X I I.

Ex diſciplina, totoque vitæ ordine, & ſucceſſum rerum manu, quàm conſilio potior cenſeri poteſt, quum incauta facilitate vel contumacia ſubagreſti, in ea conſilia plerunque adigeretur, vnde nullus pateret felix exitus, propter ſimulatas multorum voluntates, & neceſſe eſſet à fatali virtute, vel diuina ope ſubſidia comparare. Maximas enim iniurias quum æquo animo ſæpius ferret, leuem demum contumeliam tolerare non poterat: ita vt iracundiam plerunque exerceret imparatus: cum mori præſtare diceret, quàm iniuriæ indignitate minimè commoueri. Vexauere itaque hominem occulto aſtu, & in maxima vitæ pericula coniecere Paulus Vrſinus, Alopus demum, & Sergianus: ſed dij immortales eius viri virtute ac innocentia adducti, ita ne quiſsimorum hominum inſidijs obuiam iere, vt vltrò eas demum iniurias vindicaſſe viderentur. Nunquam transfugit, nunquam diſceſsit ab officio niſi magnis de cauſis: ita vt nunquam improuiso factus hoſtis arma conuerteret, niſi renuntiata prius amicitia, remiſsisq; vexillis: vt eo facto diſſenſionis cauſam in alterum reijceret, & ſe ad tuendam dignitatem bellum nequaquam inſidijs & dolis, ſed vera virtute geſturum teſtaretur.

De diſciplina domeſtica & militari Cap. L X X I I I.

Quum ad multa conniuendum eſſe cenſeret, nec exactiſsimus delictorum vltor eſſe vellet, ita inſtitutum domi erat, vt contemptores diuũm, ac hominũ, limine penitus arcerentur: fures nocturnos, & interdiu expoſita ioci modo carptum inuolãtes, maneret in pœna, nemo impunè ſpecularetur. Abhor-

rebat

rebat verò plurimũ ab insanis & moriontib., qui atra bile laborarent, quòd ar cipiti ioco risum pariter & luctũ mouere possent: Suo scilicet periculo admo nitus, quòd ad Collem Senensis agri oppidum insanus quidam, dum ioco mi litari intemperanter lacesseretur, & ob id irritantem saxo petere vellet, ipsi Sfortiæ tegumentum capitis summo cum vitæ discrimine decussisset. Omni autem vitæ tempore in castris aleam perosus, vti Duci pariter ac militi maxi mè pestilẽtem, ita ocij tempora transigebat, vt in vsum militiæ ad palestram cunctos ordines exerceret. Tum enim mos erat multa arte luctari, ingen tis ponderis saxum iactare, ferreum vectem iaculari, teretem palum in ter ga conuersis manibus euibrare, saltuque & cursu plurimum contendere. Quibus in ludis ipse multum lacertosus & industrius facilè validissimum quenque superabat. Pluuijs nocturnisque temporibus, quòd nequaquam Latinas literas attigisset, vernaculis conscriptæ versibus Heroum, & Galliæ procerum historiæ pariter & fabulæ legebantur: vnde illi exempla peterent, qui se duce virtutis famam clarissimis factis extendere decreuissent.

De cultu eius & conuictu Cap. L X X I I I I.

Erat in cultu vestituque moderatus potius quàm elegans, vel sumptuosus. Oderat vestis munditias: sagulorum autem, & armorum nitorem ita exige bat, vt maculam & eruginem contumelia, & nonnunquam verbere vindica ret. Equiti ex hybernis eruginosa gestanti arma, in conspectu hostium seue rè imperauit, vt adaperta casside in aciem prodiret: scilicet, vt cum periculo nosceretur, si parum gnauiter dimicasset. Cæterùm in pompa. & cum lustra rentur exercitus saga serica, argento, atque auro bracteata conspiciebantur: auratæ item & egregiè perpictæ Bardæ, quibus equi Persico more tegeban tur. Is verò eques sibilo notabatur, qui decoras in casside cristas nequaquam ostentasset. Mensarum verò honos non in delicatis, & exquisitis dapibus, sed hilari simplicitate perenni copia, comitateq; et frequẽtia conuiuarũ cẽsebatur.

De pietate eius erga superos Cap. L X X V.

Deum optimum, Diuosque omnes syncerè potius, quàm religiosè coluit, vtpote qui à rationibus bellicis procul esse existimaret, ineptis cæremonijs; & simulatis precationibus Deos fatigare, quum necesse foret bella gerenti cuncta rapinis, cædibus, ac incendijs permiscere: neque vel infanda scelera posse puniri, corrupta iam militari disciplina. Qua in re ducem belli, præfe ctumque à seueritate vrbani prætoris plurimum differre oporteret. Sed palam earum rerum agnoscebat culpam, & veniam secretò præcabatur: quo tidiana sacra audire, aut si instante negocio impediretur, postridie ea repete re, & quotannis pio pœnitentique animo expiare sese, maximeque sacramen ti hostiam ritè suscipere solitus. Id verò demum probi, & verecundi du cis esse prædicabat, honestiorem belli causam sequi, inuiolata templa præ stare, in captiuis pudicitiam tueri: nunquam abuti sanguine militum, aut hostium cæde lætari.

De pietate erga patriam Cap. LXXVI.

Edidit & insigne pietatis exemplum erga patriam Cotignolam: quum fortuito incendio absumptam, priuata liberalitate instaurandam suscepisset, singulos ciues cohortando, vt ædificare luculentius vellent: quando ipse lateres, materiam, calcem, sé gratuitò collaturum profiteretur. Factumq; subinde est, vt celeriter restitutis, adornatisq; domibus, & directis regionũ vijs, priuatim, & publicè magnificentissimo principi gratiæ ingentes agerentur, quòd opportuna liberalitate, & priuatæ commoditati, & elegantiæ publicæ consuluisset.

De pietate erga propinquos Cap. LXXVII.

Pietatem quoque cum incredibili charitate erga propinquos, & rarissimo quidem exemplo ostendit. Bartholum etenim, & Franciscum fratres, euastante Perusinum agrum lue pestifera, apud Martianum exitiali correptos morbo, adeo constanter inuisit, vt vel deprecantibus amicis ab his diuelli nequiuerit: quin desertis & morientibus venas tangeret, fomentaq; præberet. Quibus demum celeriter expirantibus, sepulchrum extruxit, addiditque aram, & sacerdotes, qui certis diebus inter sacra eorum manibus parentarent. Pari quoque officio, amoreq; Bosium patruelem complexus, ad Spoletum ex castreusi per hiemem fatigatione neruis conuulsum diligentissimè fouit, elatumque insigni pompa fratrum sepulchro intulit.

De præceptis Francisco filio datis Cap. LXXVIII.

Sub hac disciplina educatum Franciscum filium, cum ab se Sfortia in Brutios ad dotaliũ vrbium prefecturã dimitteret, ei attribuit eximiæ virtutis duces, & milites qui bello, paceque ætatem eius regerent: diu iuuenem cohortatus, vt pietatem, & iustitiam coleret: nobilique animi decreto existimaret, virtute potius quàm malis artibus ad opes, & gloriam contendendum. Illud etiam grauissimis præceptis adiecit, vt etiam atque etiam caueret, ne amici, aut imperio subiecti vxorem vnquam impudicis oculis intueretur. Neminem vulnere, aut duro verbere puniret, aut si id casu, aut ira præcipiti accidisset, extemplò lenitum, donatumque digno munere longius ablegaret. Postremò nunquam indomiti oris equum ascenderet: nunquam eo vteretur, qui ab vngula molliore facilè soleam excutere consuesset: quòd se ab equo alioqui longè optimo, sed in frænum contumaci, cui Draconi ob id nomen erat, cum suborto ex insidijs Bracciano hoste, irrita habenarum contentione abreptum se, & in Auersæ fossam præcipitatum memoraret. In Vmbris autem tumultuaria in pugna, quum ex equo, cui à colore auis, Picæ nomen erat, depugnaret, eo inter colluctationes omnibus soleis discalciato vix ipse pedibus eo relicto è manibus hostium effugisset. Quibus præceptis maximè vsus Franciscus, quòd nemini ferè contigerat, omnibus consilijs felix, & prælijs victor euasit, vt spem de præclara indole patris iudicio conceptam, fataque & vota hominum impleret.

De prudentia

De prudentia ex alienis iudicijs quæsita. Cap. LXXIX.

Eum verò prudentiæ, iudicijque militaris tenorem vsque ad vitæ exitum constantissimè tenuit, vt non temerè quicquam in rei bellicæ negocio decerneret, nisi accito vel infimo quoque centurione & milite veterano, vt exquisitis separatim omnium sententijs, quod patrandum foret, multorum iudicio probaretur. Sed id tanta dissimulatione expetebat, vt semper alienis exordijs, & fabulis animi propositum celaret, atque aptè demum ad id quod vellet instituto nouo sermone deferebatur: quoniam eo pacto nunquã prolato interiore animi decreto, autoritatem suam egregiè retineret: nec ob id persuasione prudentiæ animi minorum ducum inflarentur: quando ij alia semper de causa vocatos, & fortuito demum sermone in grauiorem consultationem incidisse humanitate ducis facilè existimarent. Verùm illos confecto negocio iucundè potius quàm grauiter in corona laudabat, qui feliciter in disputatione diuinassent: id quidem iucundiore gratia, quòd liberaliter, & nullo fastu gloriam communicare videretur.

De candore ingenij & memoria eius Cap. LXXX.

Ingenio enim natura fuit candido, adapertoque potius quàm latebroso & callido. Vnde quum dolis, occultisque aulæ artibus parum valeret, facilè in insidias præceps daretur: sed statim inde alleuatus fatali quadam virtute resurgeret. Stata autem ætate, propter occultas hominum voluntates, atque ora fictitia: itemque ad eludendos speculatores cohibere linguam, iram fræna re, ac opportunè, apteque varia persona vti didicerat. Ita tamen, vt si quid simulatius faceret, aut diceret, à familiaribus, atque domesticis facilè nosceretur. Natura siquidem eos oderat qui animo ancipiti essent, multosque recessus, & varios anfractus haberent, dissentiente præsertim fronte, in qua præclarè apud generosos ac probos, & fides, & pudor habitarent. In eo etiam supraque credi par est, admirabilis rerum, ac nominum memoria uiguit, tanta felicitate, vt quum nullis commentarijs inniteretur, non modò militum suorum, verùm & equorum nomina à multis annis repeteret. Nec in persoluendo stipendio vlla in re vnquam falleretur.

De studio literarum Hetruscarum Cap. LXXXI.

Literas Latinas nequaquam attigerat, sed admirabatur, secutus Hetruscas, atque vernaculas, quæ ex vsu militari commodiores viderentur. His necessitate quadam totum id ocium, quod ex negocio supereset, vehementer addixerat, vt historias calleret: quas è Græcis Latinisque scriptoribus traductas lectitare erat solitus, inuitatis liberalitate ad id munus suscipiendum literatis, in queis fuit Porcellij Poetæ pater, ob tralatos Cæsarem, & Salustium, honesta domo cum hortis donatus. Quòd autem literas nesciret, perurbanè sese excusabat: quandoquidem vna atque eadem manu librum simul, & gladium tenere minimè dicidisset. Neque etiam sua manu epistolas, nisi tumultuarijs ridendisq; literis vnquam perscripsit: adeo, vt ipso dictante ab amanuensibus exaratas, quodam symbolo potius, quam descripto nomine subnotaret,

& mitteret, Vſus eſt in literario, ſcriptorioque munere Theologis cucullatis: Quo genere hominum ad longè, lateque ſpeculandum, nihil aptius, atque ſecurius aſſerebat: quandoquidem prætextu religionis omnibus rerum diuinarum, ac humanarum negocijs libera vbique, & ſemper impunita ſimulatione miſcerentur.

De generoſitate animi erga inimicos Cap. L X X X I I.

Ladislao rege magnis viribus Tudertum oppugnante, quum Braccius repentina & graui eruptione Paulum Vrſinum veterem inimicum ſuum adortus, ita copias eius cæcidiſſet, vt ſtatione, & totis deniq; caſtris ipſo duce pulſo, & fugiente pellerentur, non dubitauit Sfortia, quin circumuento & penè capto opem ferre maturaret, cum ſibi in ſua caſtrorum parte deſignatum locum tueri, ac inimici cladem ociosè ſpectare, optimo militiæ iure licuiſſet. Deſcendit enim ab accliui loco inſtructis turmis atque cohortibus tardauitque impetum inſequentis atque victoris hoſtis: adeo vt longo ac acerrimo certamine edito, Bracciani intra portam compulſi, non mediocri accepta clade, terga dare cogerentur, vociferante, atque irridente Braccio, quòd Sfortia communem inimicum, quem interficere deberet, clementiæ, & ſtultæ lenitatis nomine conſeruaſſet. At Paulo inter metum, & pudorem Sfortiæ gratias agenti, ille alta voce, vt omnes exaudirent, reſpondit: Non eſt, Paule, quòd parem referre gratiam cogites, quoniam hodie cum ſignis & copijs meo inſigni beneficio ſis conſeruatus: quando id, quod ſtrenuè & per opportunè factum videtur, id totum Regiæ & publicæ omnium dignitati ſit datum: neſcilicet in oculis regis ac meis inexpiabile dedecus admitteretur. Tu verò nihilo ſecius inſectari, & perſequi venenatis etiam telis meipſum perges: Ego certè immeritas acceptas abs te iniurias probè, & ſtrenuè vlciſcar, quum te mihi fortuna, quæ nunc ſocium facit, aliquando hoſtem obtulerit. Id factum, dictumque Ladislaus magnopere commendauit, Sfortiæq; dono dedit equum phaleratum, atque item laciniam ex purpura, auroque inſignem, argenteis ſquamoſam bracteis, qua ille vti in prælijs ſoleret, vt palam in Sfortia raræ virtutis ſimul, & clementiæ decus teſtaretur.

De fortitudine eius in dolore tolerando Cap. L X X X I I I.

Miram quoque animi fortitudinem, & patientiam in tolerando omni dolore in aduerſis ſemper oſtendit. Neque enim frangi, aut demitti animo, vlloue lachrymarum veſtigio fœdari, virile putabat: vt tum accidit, quum vno ſimul tempore multarum concurſu calamitatum penè obrutus, nulla omnino vel ſubtriſtis, vel perturbati animi ſigna prætuliſſet. Ipſo enim in edito colle ſupra Campanam portam Romano opere vallatis caſtris Neapolim circumſidente atque oppugnante, priuſquam Ludouicus III claſſe in eam oram adueheretur, Franciſcus filius grauiore veruto maioris ſcorpionis per duplicem ferreum thoracem penetrante lethaliter vulneratus, ac item Foſchinus ex ſorore nepos ſimili telo ictus penè deſperata ope iacebant. Ipſe quoque Leonatus gener, tantæ indolis dux ex prouocatione ad oſtentandam equeſtris

ſtris diſciplinę peritiã virtutemq; cum Caraffello Caraffa nobiliſsimo equite, nulla intercedente ſimultate congreſſus, recepta per caſsidem haſtæ cuſpide, lugente toto exercitu ceciderat. Quem mœrorem mirum in modum adauxit funeſtus ex Brutijs nuncius, qui Polyxenam nurum, ac item eius filiolam ex Franciſco neptem, veneficijs amitæ acerbiſsima morte ſublatas attulerant. Suborta & tum Sergiani arte, doloque exitialis fama totis diſſeminata caſtris inſolitum pauorem, & magnam conſternationem inuexerat. Ferebatur enim Ludouicus intermiſſo ad Maſsiliam nauali apparatu aduentum ſuum atque eius conflati belli maritimam expeditionem ad prima veris ſigna diſtuliſſe: ita vt milites iam planè deſperatis auxilijs, & aduentante Alfonſo, quanam belli arte incœpto obſiſtere, ſeque incolumi exercitu in pacata loca recipere poſſent, inſigni concepta formidine cogitarent. Sed his tantis priuati luctus, & publici mœroris incommodis conflictatus ea magnitudine animi ac patientia compreſsit dolorem, vt neque in tabernaculum ſe abderet, neque vllo vel tacito gemitu, vel exili ſuſpirio æquabile illud frontis decus immutaret. Eo enim oculorum vigore, eoque eloquentiæ ſpiritu militum animos erigere, ſuſtentareque exiſtimationem erat ſolitus, vt tum maximè, quum à fortuna victus eſſet, eum proculdubio viciſſe crederes.

De vrbanitate eius Cap. L X X X I I I I.

Non caruit vrbanitate in dictis: plerunque ſalſus, & aptè, ſciteque remordens, ſi quis prouocando laceſſeret. Vt tum accidit, quum à Sergiano magno Seneſcalcho ad exprobrandam generis nouitatem ligonis fabula obiecta retur. In hoc, inquit Sfortia, vti video, ſtirpis origine pares ſumus, quum Adamus mortalium primus terram & ipſe foderit. Sed ego certè quòd iure diſ fiteri non potes, illo meo ligone multo nobilior euaſi, quàm tu tuo pene, & pẽ na. Quo ſcommate lepidè admodũ hominẽ transfixit: quum in eo tanta cũ inuidia dignitatem ſtupro quæſitam, & patrem eius ad Prætoris tribunal, ignobilem ſcribam, adulteratoque teſtamento, falſi damnatum ſcitiſsimè notaſſet.

De facetè dicto Cap. L X X X V.

Quum transfuga Nolanus eques ingenio inſami, vt ſibi gratiã cum Sfortia compararet, Tartaliam omnibus maledictis in conuinio Sfortiæ famam laceraſſe detuliſſet: de eaque re vt fides ſibi haberetur iureiurando ſæpius affirmaret: Non opus eſt, inquit, ſodes, vt multum in perſuadendo mecum labores, quum Tartalia nunquam verbum de quoquam ſit elocutus, quin maledixerit: & tum multo quidem atrocius, atque liberius, quum locum ad id maximè opportunum nactus, vt dicis, totum maledicentiæ impetum effudiſſe credendum ſit. Peracutè delatorem auertens ſimul, & ſua vitia Tartaliæ obiectans, titubantiam ſcilicet oris, vnde cognomen acceperat, & temulentiam, quum eſſet omnium, & quidẽ natura potius quàm ætate, bibaciſsimus.

De falſiſsimo dicterio Cap. L X X X V I.

Quum inſidijs armisque Pauli Vrſini exterritus exceſsiſſet vrbe Roma, &

in Algido castra posuisset, ad eum à Pontifice Cardinalis Sancti Angeli Legatus venit, vt fidem interponeret, confirmaretque hominem, in Vrbemque reduceret. Inter multos autem sermones Cardinalis quum dixisset, an Sfortia Vrsum timebis, quum sis sub Columna tutissimus? Extemplò respondit: An non tibi Pater, omnino insanus videbor, si dum frustra à surdo marmore opem imploro, bellua ingens, dente ac vnguibus ferox, ac humano sæpè gressu incedens, mihi minimè sit formidanda? Non illepidè remota, & parum expedita Columniorum auxilia designans, & Pauli Vrsini ingenium, præsentesque vires aptissimè depingens.

De statura corporis eius Cap. L X X X V I I.

Statura fuit corporis erecta excelsaque supra mediocrem, macro habitu potius, quàm succoso, prævalidis artubus à firmissimo quodam neruorum nexu: sed cruribus ad suram maximè torosis, & parum teretibus: Manu autem ampla, & prælonga, digitorumque compage adeo firma, vt distractam in diuersum vtraque manu solearn ferream facilé disrumperet, & prælongam equestrem hastam à calce sublatam attolleret. Inerat autem lato pectori, patulisque humeris militare decus: adeoque restricto, & decenter castigato fuit ventre, vt angustissimè cingeretur: quandoquidem in medio ad zonam duobus primis ab vtraque manu expansis, lunatisque digitis facilè comprehendi, atque præcingi posset. Erat facie subagresti, parumque hilari, vti à plumbeo quodam pallore subfusca, quũ & oculi colore cæsij minaci specie intra cauos orbes multum recederent, et supercilia maximè pilosa prominere viderentur. Sed nasus à medio elatus, nec aduncus tamen: labra decentia, & candidissimi dentes, illud os probum effingebant. Tonso autẽ capillo, & derasa barba semper incesit: quòd ita concluso cassidè vtentibus expediret. Coccineo capitis tegumẽto semper insignis, quod duobus gradibus in prælatam, striatamq; pyramidem exurgebat. Tanta autem specie ad exprimendũ militare decus in hoc homine dissimilium rerũ partes ratione atq; ordine respondebant, vt à rudibus, rusticanisque, qui eum nunquam vidissent, pari inter multos cultu, & sæpe sine comitatu vti omnium princeps ac imperator nosceretur.

De agilitate membrorum eius Cap. L X X X V I I I.

Ea erat agilitatè, vt nullo adiutante, ac impellente quum sinistrum pedem hemicyclo ferreo, quem stapedem vocant, induisset, vel omnibus contectus armis, & galeatus in ephippij sellam eleganter insiliret, progredereturque sæpe ad multa passuum millia cataphractus duratis scilicet membris ad omnes vel iniqui laboris exercitationes, frigusque præsertim. Neque enim in tota vita peregrinis pellibus est vsus, quibus aduersus algoris iniuriam vestes fulcirentur. Torquebatur autẽ facilè siti, quum in magnis æstatis feruoribus equitare pugnareque opporteret, adeò vt se armatum, siti potius quàm ferro confici diceret: atq; id mortis genus maximè vereretur. Qua de causa armigerum puerum instituerat, qui lagenas aquæ, vinique & alia ex saccaro sitis subsidia valido equo præferret, nec à se vnquam vel in extremis pugnæ periculis diuelleretur. Cæterùm adeo robusta ac indomita corporis temperatura semper

fuit,

fuit, vt facilè morborum initia excitatione discuteret, & si quæ febres incidissent, eas incredibili patientia ad ciendum sudorem lodice coopertus, & inedia præsertim, repudiatis pharmacis felicissimè superaret.

DE INFELICITATE MORTIS EIVS CAPVT. LXXXIX.

Anno demum ætatis quinquagesimo quinto, quum iam in eo virtutes omnes, quæ summum ducem decerent penè perfectam maturitatem cepisse viderentur, fortuna insolens & victoriarum & vitæ cursum pariter abrupit. Braccio enim fatali pertinacia Aquilam vrbem obsidente, & Alphonso demum Rege, qui opem afflictis rebus suis ab eo frustra postularat, in Hispaniã reuerso Sfortia maximorum in Italia principum imperator effectus, ex Apulia mouit, vt Martini Pontificis, reginæque & Philippi Vicecomitis auspicijs Aquilam obsidione liberaret, atq; inde demum spe gerendarũ ingentium rerum in Hetruriam proficisceretur. Erant in eius exercitu septem millia equitum, & valida peditum manus. Itaque Anxano vrbe, & Buccianico, Millionicoque deiectis Braccij præsidijs, Orthonam peruenit. Ibi duodecim diebus ad quietem militi concessis, cum insigni religione Natale Dei Christi celebrasset, ad Aternum amnem est profectus: Is hodie à Piscario oppido nomen habet. Peruenerat in Maruccinos Braccius dimidia parte exercitus ad obsidendam Aquilam relicta, vt Sfortiam transitu prohiberet. Defixis enim in ripa frequentibus, & præacutis arborum ramis, hisque deligato magnis funibus nauigio, impositaque sagittariorum manu certioris vadi locum tuebatur. Præsidio quoque duarum cohortium, & quadringentorum equitum lapidei pontis propugnacula ad oppidum Piscariam firmata erant. In ea transitus difficultate, Sfortia in dextram ad ostij fauces, quibus in mare vadosum amnis effunditur, signa deflecti iubet. Ibi vado pertentato, Michaletus, Sanctoparens, & Franciscus Sfortiæ filius armati, galeatique cum sexcentis equitibus amnem tranarunt, subsequente mox Sfortia. Franciscus cum Braccianis, qui è Piscaria ad prohibendos ripa hostes aduolarant, prosperè conflixit, ita vt multis cæsis, captisque reliquos intra oppidi portam compelleret. Eo spectaculo nihil Sfortiæ animo, atque oculis iucundius fuit. Ex admiratione etenim virtutis in filio incredibilem ceperat voluptatem, quòd summam spem ex matura indole antea conceptam, feliciter adimplere videretur. Interea perflante Coro, allidentisque maris aduersis fluctibus, intumescere flumen cœpit: adeò vt cunctantium dubitantiúmque equitum turmæ in aduersa ripa viserentur, neq; vlla significatione adduci poterant, vt prealtum amnem intrarent. Tum verò Sfortia, vrgente fato, in amnem rursus equum adegit, vt exemplo timentes inuitaret. Ibi dum armigero puero periclitanti, protensa dextra, opem ferret, cœnoso subsidente vado eius equus quanquam insignis, posterioribus cruribus defecit: atque ita grauantibus armis est submersus. Bis sustulisse fertur armatam dextram neque tamen quisquam opem tulit, quum hora fatalis aduenisset.

De Braccij iudicio, & laude erga defunctum, & cæde ipsius Cap LXXXX.

Ferunt Braccium, qui è Theate ad primum transeuntis hostis nuncium matura profectione, præmissisque impedimentis iter susceperat, vt magnis itineribus antecedens, Aquilam contenderet, alio atque alio renunciante Sfortiæ interitum, nulla omnino conceptæ lætitiæ signa prætulisse, sed contracta fronte, defixisque oculis, fortissimi viri casum humaniter indoluisse: adeo vt defunctum, postquam inuidia decesserat, tum primùm exquisitis, verissimisque laudibus prosequeretur. Neque enim vel tanto præsentis belli periculo liberatus, alacriorem vultum militibus ostendit, vtpote qui fatalis arcani conscius ab Astrologis didicerat, Sfortiam violeta correptum morte, antecessurum quidem, sed paulò post & ipsum, pari veluti sorte eandem exitus fortunam subiturum. Erat Braccius Sfortia natu maior octo mensibus tantùm, & nouem diebus, ita, vt tum Mathematicorum disciplinæ ex vtriusque insignis viri casu magna fides adstrueretur. Vix enim quintum superuixit mensem, quum ad Aquilam per tredecim menses frustra oppugnatam, obsessamque memorabili tandem prælio, Sfortiani militis gladio superatus, ac interfectus, & syderum, & multorum vatum fidem impleuisset.

De prodigijs quæ mortem eius significarunt Cap. LXXXXI.

Pridie quàm ab Orthona discederet, cum sacris de more confectis ab omnibus ordinibus salutaretur, in corona præfectorum omnium somnium enarrauit, quòd ei sub auroram altè quiescenti contigerat. Somniasse enim se profunda aquarum mole oppressum in extremo vitæ periculo versari, prospexisseque virum gigantea specie Diuo Christophoro persimilem, à quo vel magna, ac iterata voce frustra opem imploraſſet. Quo infausto omine, adeo exterriti sunt Franciscus filius, Michaletus, Sanctoparens, Acactabriga, Manusque Bariles, qui postea eius rei fidem, & latè famam fecerunt, vt deprecantes institutum iter, enixeque orantes, tridui quietem impetrare nequiuerint: quum ille propositi sui tenax, spem omnem præuertendi hostis, parandæque victoriæ in vna celeritate positam docuisset. Signiferorum quoque Princeps, qui quadratum vexillum supremi militaris imperij deferebat, egressus Orthonæ porta concidente equo adeò vehementer vexillum solo afgxit, vt fœdatis cœno insignibus hasta frangeretur. Sed nec id eum in fata strenuè vadentem retardauit. Quandoquidem ad vitæ exitum semper improuidi mortales, tum maximè ostenta contemnant, quum fata vrgent, diramque illam, ac omni prouidentia maiorem Necessitatem incautis pariter, ac reluctantibus imponunt.

FINIS.

EX

EX HOC INDICE PROFI-
tetur author per quos profecerit.

Ex Blondi Decadibus. Pogio, qui Florentini populi res gestas Hetrusco sermone conscripsit. Historijs Pij Secundi Pontificis, Pontano, Iacobo Braccellio, qui Alfonsi Regis Bellum Latinè conscripsit. Leodrisio Cribello, qui Sfortiæ & Francisci filij historiam Latinè scripsit: Donato Bossio, M. Antonio Sabellicó, Pandulpho Collenncio, qui Neapolitanorum Regum historiam Hetruscè scripsit. Leonardo Aretino, qui varias Latinè historias scripsit. Campano Episcopo Aprutino, qui de rebus gestis Braccij Latinè scripsit. Augustino Iustiniano Nebiensi Episcopo, qui Genuensium historias scripsit. Baptista Campo fregoso, qui exempla Latinè scripsit. Annotationibus Benedicti Nursini Medici, Georgio Merula, qui Vicecomitum historiam, & Sfortianorum initia conscripsit. Renato Seraüallino Pisano, qui patriam historiam Hetruscè scripsit. Ioanne Simoneta, qui Francisci Sforti æ historiam Latinè scripsit. Bernardo Corio, qui ingentem historiarum codicem vernaculè scripsit. Palmerio, qui Annales scripsit. Eremitano Bergomate, qui Chronicorum supplementum edidit. Candido Viglebanense, qui ad Philippi Vicecomitis vitam commentarios addidit. Antonij Panhormitæ Rapsodijs. Diurnalibus Mimati Tabellionis, Collectaneis Bectucij Tritij, Annalibus multarum ciuitatum, Archiuis Romanis, Martini præsertim temporibus, Fide veteranorum militum Sfortianæ domus, Fama tradita per manus, apud Neapolitanos præsertim ciues, Platina de vitis Pontificum.

PAVLVS IOVIVS NOVOCOMENSIS, EPICOPVS NVCERINVS, HIPPOLYTO *Atestino Cardinali amplissimo.* S. P. D.

ALFONSI Patris tui vitam multis variæ Fortunę exemplis vtilitatem cum voluptate legentibus adlaturā nuper absolui. Huic operi tum maximè incumbebam, quum tu in tanto comitiorum ęstu, agitatis & fessis publicis rebus traquillitatē afferres, creato Iulio Pontifice, quem nemo nisi optimus, & de Reipublicæ salute solicitus exoptabat, & quē nec inimici, aut sum mę authoritatis, & gratię candidati, renunciatum esse magnopere que rerentur. Satis feciſti itaque officio admirabili patientia, quum labanti Vrbis & Senatus dignitati opportunè insigni tuo suffragio atque industria succurriſti, vt Henrico regi omnia ęqua postulanti (cui plurimū te debere profiteris) & Cęsari Christianæ pacis studioso gratissimū, ideóque à virtute tua expectatum munus exolueris. Ego verò mi Mœcenas. ita rerum fidei semper innixus, tuis meisq; votis satisfeciſſe videor, vt id totum à te iampridem efflagitatum quod perscripsi, nō aliunde quàm ab historiæ veritate laudem quęrat, cuius nos spectatos testes fuisse profitemur, tanquam Alfonso (vti planè scis) familiaritate maximè cōiuncti. Eloquentiæ autem accuratius elaboratæ splendida ornamenta Alfonsi virtute dignissima aliqui fortasse requirent occupati legendis Romanę facundię floribus. Nos autē hęc mediocriter assecuti, satis supérque habebimus, si cuncta suo narrata ordine iustis amplissimi viri laudibus respondeant; & tibi vni officiosè & alacriter editus, atque dicatus hic ingenuus labor omnino placuerit. Vale. Ex musęo nostro ad Larium, Nonis Maijs. M. D. L.

PAVLI IOVII Iunioris.

Lux erat & cœlo ſpargebat clara ſereno
Nimbis fugatis lumina
Phœbus, & innocuo ſpirabant flamine venti
Nullo frementes æquore,
Quum ſic AVSONIA *exorſa eſt ſua fata recenſens,*
Mirentur illa vt poſteri.
Heroes vos ô indigenæ, mea pignora, quorum
Iuſſis libenter pareo,
Audite, & placide, precor, hæc admittite menti
Quæ læta vobis proferò.
Nondum ſpes Italas penitus delere benigna
Parant Deorum numina,
Quum noſtris largo donarint munere terris
Ferrarienſem Principem,
Quo nec Sol, curru qua circuit æthera, rebus
Præſtantiorem bellicis,
Nec mitis Fortuna cadens, aut aſpera regno
Prudentiorem viderit.
Non equidem, non me miſeram, victamque fatebar
Vno hoc mihi ſuperſtite,
Huius enim fecere manus, ne funditus omnis
Noſtra interiret gloria.
Imo ego ni in meme bellum, & maleſana furorem
Exercuiſſem ciuicum,
Vidiſſem iuſſis iterum parere Latinis
Orbis Britannos vltimos
Illius auſpicio, Scythiæque interrita monſtrum
Formidoloſum ſpernerem.
Quare perpetuo ALFONSVM *mea pignora cantu*
Ad aſtra mecum tollite.
Vultis ne? an quoque vos fraterni inceſſit honoris
Liuor ſilentes tam diu?
Hæc ait, & nato ſpoliis ſublime trophæum
Seruata mater erigens
Hiſtoriam parat, & titulos, & marmora, & æra
Diuumque templis dedicat.
Scilicet vt gelidis ardorem mentibus addens
Priſca Italorum robora
Excitet ad laudem veræ virtutis, vt inde
Iucunda tollant præmia.

VITA

VITA ALFONSI ATESTINI FERRARIAE DVCIS, A PAVLO Iouio conſcripta.

* * *

ATESTINORVM Ferrariæ principum familiam ab Ateſte antiquiſsimo Venetiæ oppido nomen accepiſſe conſtat: ideoq; inter nium quæ in Italia certum & diuturnum principatū tenuerom vetuſtiſsima exiſtimatur. Ex progenie ſiquidem Troiani interoris, qui Patauium atque Ateſte condiderit, fuiſſe proditur: quanquam alij ex Germania, & nonnulli etiam è Gallia oriundam malint. Nobis certè liquet cùm vetuſtate, tum Fortuna nunquam interruptæ

ſucceſsionis, cæteras omnes in Italia ſuperare. Nam paſsim illuſtrium familiarum decus aut interijſſe, aut amiſſo principatu defeciſſe videmus. Montisferrati enim familia imperatorij ſanguinis à ſtirpe interijt, quæ omnium nobiliſsima cenſebatur. Turriani bello pulſi, & Vicecomites demum Philippo mortuo Mediolani principatum amiſerunt. Scaligeros & Carrarienſes obliuio deleuit. Aragoniorum regnum Neapoli ad pronepotes non peruenit. Sfortiani paucis annis ad vnum fato functi externis Regnum reliquerunt. Gonzagæ Mantuani Paſsarino interfecto vix ducentos Imperij ſui annos enumerant. Sanſeuerini qui in Brutijs & Picentibus latè dominantur, ſpe prolis propè deſtituti, nequaquam altius quàm à Guiſcardo Tancredo nobilitatem ſuam repetunt. Malateſtarum ſoboles amiſſo principatu à virtute amplitudineque maiorum degenerauit. Maleſpinæ antiquitùs clari, diuiſa & valde extenuata ſtirpe, infirmis opibus antiquum decus ægerrimè tuentur. Liberarum verò ciuitatum familiæ, in primisque Romani ſanguinis, nequaquam à principatu atque opibus, ſed à maiorum ſuorum virtute nobilitatis famam quærunt. Itaque vni omnium Ateſtini qui Eſtenſes imperitè vocantur (vt liquidò conſtat) perpetua atque incorrupta ſtirpis ſerie, quod ſummæ felicitatis fuit incolumen principatum, verùm mutato dignitatis titulo, ad hanc vſque ætatem protulerunt: quum Marchiones aliquandiu, & demum Cæſaris atque Pontificis authoritate Ferrariæ Duces appellati ſint. Cæterùm hic Alfonſus, cuius in Muſæo noſtro depicta ſpectatur effigies, quintuſdecimus Ferrarienſium Principum, Ducum verò tertius fuit. Sed quum in præalto ſtemmate multi honeſta laude illuſtres regnarint, mihi longe clariſsimi fuiſſe exiſtimantur duo ACTII, ſuperior quidem inclytæ Mathildis coniugio nobilitatus, quæ Henrico ſecundo Cæſare auunculo clara, & ſtudio pietatis, & eximia liberalitate erga Romanos Pontifices æternam nominis famam promeruit: alter verò Ferrarienſium Principum primus rebus bellicis apprimè celebratus, qui Actiolinum à Romano execrabilem tyrannum, hoſtemque Pontificij nominis perpetuum, cæſo eius exercitu fugientem manu cepit. Et ſecundum eos (quanquam diuerſa laude) multorum annorum interuallo BORSIVS, qui ab illuſtri ingenio præſtantiſsimisque moribus publicè præconio Pacificatoris nomẽ tulit, & Patriæ decus appellatus eſt: quo titulo monetam auream Ferrariæ ſignatam videmus. Fuit is vir humanitate naturæ ſine fuco & fallacijs, grauitate conſilij, ſplendore hoſpitalis diſciplinę, & Regia liberalitate cunctis ſuæ ætatis Principibus anteferendus, Lenitate verò atque eleganti vitæ iucunditate, vſque adeo dulcis & popularis fuit, vt ſubnixus præcellenti ſtudio, atque amore ciuium, ipſe nothus Hercule legitimo fratre dominatu excluſo ablegatoq; Neapolim, Imperium vſurparet: ſed equiſsimo animi decreto vixerit perpetuò cælebs, ne prolem legitimo iure Imperij æmulam cum ſumma Herculis iniuria ſuſciperet. Itaq; Herculem iam ætate adultum, dignamq; acerrimo Duce indolem præferentem, benignè atque rectiſsimè ad ſe acciuit in non dubiam ſpem totius principatus, quũ vrbe Mutina donaretur. Nec multò poſt obeunte Borſio Ferrariæ princeps eſt appellatus. Fuit Hercules huius ALFONSI pater, domi & foris multa vi atq; prudentia militari valde inclytus: incumbentium enim Venetorum

grauiſsima

grauiſsima arma egregiè ſuſtinuit: Gallicoque bello quo Italia ſummum amittendæ libertatis diſcrimen adducta eſt, Ludouicum Sfortiam generum ſuum procurata pace cum Rege Carolo, liberauit. Fato ſuo concedens Hercules quinque liberos ex Helionora vxore Ferdinandi Regis filia reliquit, quum parta pace Principatum magnis amicitijs ac affinitatibus muniuiſſet. Inita ſiquidem propinquitate cum Sfortiana domo, Galeacij filiam, eius qui à coniuratis in templo occiſus fuit, Alfonſo natu maximo in vxorem collocarat. Franciſcum verò Gonzagam Mantuanum principem in generum aſciuerat: & quum Sfortiana nurus poſt nuptias deceſsiſſet, Lucretiam Borgiam expetita propinquitate Alexandri ſummi pontificis, Alfonſo in matrimonium dederat, magno quidem opulentæ dotis emolumento ad confirmandas res ſuas, quæ beneficiario iure Pontificiam Maieſtatem reſpiciebant. Vnde & ei quoque ad familiæ ornamentum purpurei galeri honos acceſsit, Hippolyto filio eadem Pontificis liberalitate collatus. Alfonſus Regnante patre Hercule, poſt adultæ pubertatis annos, quum armis potius quàm literis oblectaretur, ſpectandi ſtudio in vlteriorem Galliam eſt profectus, veneratusque Regem ab eo commendatione patris iampridem in clientelam Galliæ Regum recepti, torquem aureum honoris cauſa promeruit, eius ſcilicet nobiliſsimi ordinis procerum, qui pro inſigni Michaelis angeli cacodemonem calcantis, aureum argumentum collo geſtant. Hi inter ſe ſolenni cæremonia fidem confirmant, ac in omni Fortuna mutuo inuiolabiliſque ſtudio ſeſe aduerſus iniuriam tuentur, Rexque ipſe eius ſacrati collegij ſe principem profitetur. Petijt quoque pari ſtudio Belgarum vrbes frequentiſsimis emporijs & nundinis, textiliumque aulæorum nobili opificio celebratas, atq; inde in Britanniam traiecit, vt perſpectis earum gentium moribus atque opibus, noua dignitate quam à Rege Gallo tulerat, & multa externarum rerum notitia auctus, in patriam rediret. Defuncto demum patre inter populi acclamationes imperij nomen atque inſignia ſuſcepit: initioque ſtatim principatus oborta in populum ſæua fame malignitate exuſtæ ſegetis, ſingularis erga patriam pietatis ſpecimen præbuit, aduectitio frumento per tribus atque familias liberaliter diuiſo, & egentibus infimæ plebis officio atque admirabili charitate non ſemel inuiſis & ſubleuatis. Nam recrudeſcente indies malo, quòd toti ferè Italiæ eo anno commune fuit, egrorum corpora tabe lurida miſerè deformata, enectaque paſsim cadebant. Et quum publicæ hoſpitales domus egros non caperent, peſtilentia quæ vaſtaret vrbem in proximo ſpectabatur. Quibus malis atque periculis inſigni cura benignitate & munificentia, ab Alfonſo obuiam eſt itum tanta ciuium gratia, vt Borſio huiuſmodi beneficijs populariter commendato, equaretur: eoque ſtudioſius, quòd dudum paterna vectigalia minuiſſet, armarijsque paternæ Gazæ patefactis ornamentorum omnis generis pretioſam ſupellectilem amicis benignè diuiſiſſet. Cæterùm quum in pace liberis operam daret, & per eas maximè voluptates, quæ eruditi ingenij ſolertiã reſpicerent, etatem traduceret, ab aliquibus remiſsioris potius vitæ, quàm nobilioris exercitationis cupidus putabatur: quippe qui nõ ſemper ad retractiorem menſam nobiles conuiuas, ſed præſtantes variarum artium artifices iucunda comitate perurbanos, quum animũ remittere vellet,

admitteret,ſæpeque ad conterendum ocium in officinam ſe abderet,iucundiſsimo labori adeo intentus,& tornatiles tibias,& aluei luſorij latrunculos, miræque elegantiæ pixides, & figulini interdum operis vaſcula manu argutiſsima fabricaret: quod ſtudium poſtea magno vſui decorique futurum ad fabrilem conflandi æris induſtriam indefeſſus extendit, ſucceſſu operum vſqueadeo felici,vt ſummæ authoritatis opifices ſuperaret,& præcellenti temperatura inuſitatæ magnitudinis tormenta eius ingenio funderentur. Nuſquam enim conuictu veſtituve aut ſermone erat affectatus, familiarique vitæ libertate ita gaudebat,vt maieſtatem in Principe accuratè compoſito in animum duceret,& ſolido atque adaperto ingenij robore procul à mendacio ſimulationumque artificijs æqui bonique principis perſonam in omni actione tuendam arbitraretur. Quibus moribus,quòd in magnis rebus obeundis,quæ principatus curam requirerent minus efficax putaretur, aduerſum ſe Ferdinandi germani fratris malignitatem excitauit, adeo vt ille ſceleſta ambitione præceps,& turbidæ ſuperbiæ vir concepta perfidia principatum ei nil tale merito vel ſuſpicanti prorſus inuideret, conſpiraretque in eius necem cum Iulio fratre ex concubina genito. Hic ſuperba procacique petulantia Hippolyti Cardinalis animum grauiter offenderat,acerbioremque equo eius offenſionis pœnam ab irato fratre penè orbatus luminibus retulerat. Ab hac atroci iniuria incitatus aſſentando & cohortando Ferdinandum impellebat,vt veneno aut ferro in principem graſſaretur. cuius ſceleris patrandi Albertinus Buſchetus cum Gerardo Roberto genero conſcius & concitator fuerat, quòd homo ambitioſus atque nefarius à Ferdinando(ſi ille imperio potiretur)cum ærarij, tum ſummæ rerum præfecturam ſibi obuenturam ſperabat. Sed tantæ inſaniæ facinus retardabat diuerſus conſpirantium ſenſus, quum Iulius vnum maximè peteret Cardinalem, Ferdinandus autem nullo in eum incenſus odio tanquam ſacrati viri cædem obominatus, Alfonſum ſuo commodo tollendum putaret, nec ambos ſimul aſſequi confodereque facilè liceret,vti raro conuenientes,& ciuium ſemper atque ſatellitum corona ſtipatos, nec vſquam ſimul epulantes, quando hic tempeſtiuis cum hylari ſuo comitatu, ille verò moroſus protractis ſacerdotali faſtu in multã noctem conuiuijs vterentur. Eo itaque moræ ſpatio,mira ſolertia Cardinalis cuncta diligenter explorantis, nihil tale timentem Alfonſum, & per iocum ſe vinciri patientem à Iano Cantore coniuratorum ſocio,è media nece eripuit, patefactaque coniuratione de Albertino & eius genero ſupplicium in foro deſumptum eſt. Iulius qui Mantuam perfugerat extemplò traditus eſt. Dedidit & Ianum Cantorem Iulius Pontifex atrocitate ſceleris permotus, vt poſt varios cruciatus ſuæ immanitatis pœnas daret. Ferdinandus autem & Iulius non extremi ſupplicij,ſed perpetui carceris pœnam indulgentia & lenitate Alfonſi pertulerunt. Ab eo periculo Alfonſus vehementer experrectus animum & cogitationes ad grauiora conſilia conuertit. Nam paulò poſt, quum Genuenſes populari tumultu exorto,pulſaque nobilitate, & electis magiſtratibus à Gallis defeciſſent, & mox creato duce Paulo Nonio infimæ claſsis opifice, intempeſtiuè libertatis vexillum ſuſtuliſſent, Ludouicus Rex in Italiam venit, bellumque magna vi Genuenſibus illaturus Alfonſum euocauit, vt bello intereſſet. Non defuit amiciſsimo

ciſsimo regi iuſta petenti Alfonſus, armaque induens ad nauandam operam in eius caſtra profectus eſt, quanquam ea profectione Iulij Pontificis animum non obſcurè læſurus eſſe videretur. Nam Iulius natione Ligur, genti ſuæ in libertatem ſe vendicanti, naturæ inſtinctu fauere cogebatur, egeratque per idoneos homines ſuppeditata pecunia, vt Piſanorum militum manus diuturno aſſueta bello, cum aliquot maioribus tormentis Genuam mari peruueniret. Sed Ludouicus in Pulciferam vallem perducto exercitu, Ligurum agmina quæ montium vertices erecta munitione defenſura putabantur, per Heluetios & Vaſcones non magno labore præcipites deiecit. Quo rei malè geſtæ euentu perculſa ciuitas, per legatos honeſtiſsimi ordinis ſupplici-ter veniam & pacem à victore impetrauit, quum Alfonſus vel iratum Regem commendatione clementiæ magnopere mitigaſſet, ſic vt Rex naturæ implacabilis & ſuperbus in duo tantùm capita animaduerteret. Paulus ſiquidem Nonius ex fuga retractus inauſpicati honoris, & Demetrius Iuſtinianus per aſsiduas conciones plebis concitator, nimiæ atque præcipitis eloquentiæ, abſciſsis ceruicibus pœnas dederunt. Conſpiratione demum totius Europæ Regum in Venetos acre bellum exarſit, quum quiſque occupata iampridem ab illis, tanquam ſua repeteret concitante Iulio Pontifice, qui Fauentiam, & Ariminum, Ceruiamque item & Rauennam indignè atque inſolenter Pontificiæ ditioni ereptas non ferebat. Repetebat autem Alfonſus eidem adſcriptus fœderi peninſulam Rodiginam, quam Venetus eo bello, quod cum Hercule patre geſtum eſt, occuparat. Iulius itaque Pontifex in Venetos arma moturus, Alfonſum cum ſua virtute, tum opportunitate regionis gerendo bello maximè idoneum ratus, Pontificij exercitus Vexilliferum creat, eique honoris inſignia Ferrariam mittit. Accerſuntur ab Heluetijs lectiſsimæ cohortes, quæ ſecundo deuectæ Pado Feltrio Vrbinati iungerentur. Is in Apennino, valleque Anemonis Fauentini agri fines inuaſerat, & Breſeghellæ oppido Veneto nomine fauentes expulerat. Spinumque item oppidum tormentis expugnarat. Eodem quoque tempore Carolus Amboſius Mediolano à Rege præfectus, cum valida Gallorum manu trans Abduam Triuicum, Naldo Vitellioque Veneti præſidij Ducibus captis occupauit. Nec multo poſt Ludouicus Rex à Gallia Mediolanum venit ornatiſsimo equitatu, Heluetiaque legione & Vaſconum cohortibus inſtructus, traiectoque amne Abdua ad Caſſanum gemino ponte Ripaltam expugnauit, quum Liuianus prohibendi tranſitus occaſionem amiſiſſet, occupato ſcilicet præda ſuo milite, qui fortiter Triuicum receperat, Himbaldo & Frontalia inclytis Gallorum Ducibus captis. Proceſſere inde Galli & Veneti ad Pandinum vicum, dimicatumque eſt pridie Idus Maias anno nono poſt milleſimum & quingenteſimum prælio Venetis maximè cruento, quũ Petilianus Venetus Imperator aduerſus feruidam vim Gallorum pugnæ caſum ſedulò deuitaret, & collega Liuianus Dux eo die præproperus caſtra mouens, impedito obliquoque itinere copias ſuas ingruenti Regi temere obiecíſſet. Peditatus enim Italicus, vt nullis inueteratus ſtipendijs ſubitarioque delectu conſcriptus, nec Heluetiæ phalangis, nec Gallici equitatus impetũ diu tulit. Quo fuſo cęſoq; perturbati in fugã ſe dediderũt: atq; ita Ludouicus capto Liuiano memorabili victoria potitus eſt. Ceſſere ei cõtinuò præſidijs deſtituti

Cremonenſes, Bergomates, Brixiani. Nec multò poſt Cæſar Venetis inuſitata clade obrutis, facileque animos deſpondentibus Veronam, Vicentiam & Patauium in fidem recepit. Ad eam autem cruenti prælij famam excitus Alfonſus, ſuæ occaſioni non defuit, quin infeſta manu in peninſulam Rodigi nam tranſgrederetur: eaque oppida quæ paternæ erant ditionis egregia incolarum voluntate reciperet, & in his Ateſte maiorum ſuorum natale ſolum, Montagnanam, & Montemſilicem. Pontificij quoque Duces quos Alfonſus commeatu maioribusque tormentis, & multo ſulphureo puluere ſtudioſè & liberaliter adiuuarat, Ariminum, Fauentiam & Ceruiam, moxque Rauennam recepere, fato quodam Venetorum conſilijs, atque opibus in præceps datis. Nam & Apuliæ vrbes pignori Venetis datæ ab Aragonijs Regibus in ditionem Ferdinandi Hiſpaniæ Regis conceſſerunt. Erubuit demum Fortuna, quum iniquæ effrenatęque ſuæ libidinis pœniteret, quòd perilluſtre atq; vnicum Italici nominis decus externis gentibus prodidiſſet, atq; ita blando ore ſeſe conuertit, vt quæ vnius horæ momento Venetis erepta fuerant, aliquanto poſt bona fide reddítura videretur, initio à Patauinis orto, qui exiguo Cæſaris præſidio muniti, inſigni aſtu Andreæ Gritti occupata vrbe, cæſisque Germanis ad antiquam fidem redierunt. Paucos verò poſt dies Maximilianus Cęſar tanto permotus incommodo cum Germanorum legionibus ad oppugnandum Patauium deſcendit. Affuere ei continuò auxilia Gallorum Palicia duce, atque etiam Hiſpanorum cohortes, Petro Geuarra præfecto, pariſque officio Alfonſus Hippolytum fratrem Cardinalem cum ſuis copijs, ac ingentium tormentorum apparatu ad caſtra Cæſaris miſit. Multis nanque de cauſis turbulento eo tempore Alfonſus Ferraria ſibi exeundum non putabat: & Hippolytus ſuopte ingenio, vel in ipſa purpura armorum ſtudijs in Pannonia ab ineunte ętate inſuefactus probare operam ſuam præſenti Cæſari cupiebat. Cœpta eſt oppugnatio longè omnium acerrima, ſed Petiliani indefeſsi conſtantiſsimique Imperatoris virtute, & Gritti, Morique legatorum diligentia eum habuit euentum, vt Cæſar vel ad magnum ſpatium proſtratis mœnibus irrito conatu abſcederet, protinuſque in Germaniam reuerteretur, quum vrbs egregiè defenſa, pulſisque ſemel cum multa ſtrage Hiſpanis qui audacius ſubierant, non niſi maximè cruento & dubio auſu inuadenda videretur. Eo autem bello Cæſar officia Alfonſi generosè remuneratus eſt: nam illi per bullatos codicillos ea oppida, quæ erepta maioribus fuerant, ipſeque nuper receperat, Auguſtali authoritate poſsidenda conceſsit. Redeunte in Germaniam Cæſare, Veneti vſqueadeo viribus atque animis confirmati ſunt, vt copijs Patauio eductis, & Vicentia nullo negotio recepta, in Veronenſem agrum ſe effunderent, rẽcepturi haud dubiè eam vrbẽ, niſi firmiſsimo Gallorum & Germanorum præſidio in fide Cæſaris continetur. eodemque tempore ornatiſsima claſſe aduerſo Pado producta, Alfonſo terra, & flumine graue bellum inferrent: vt opportunum iniuriæ & antiqua oppida repetentem vlciſcerentur. Imperabat claſsi, in qua erant ſupra viginti roſtratæ triremes, & minorum nauigiorum magna multitudo, Angelus Triuiſanus. Is quum ad Puliſellam aſcendiſſet, propugnaculum in hoſtili ripa vtrinque erexit, & tranſuerſa claſſe amnem veluti perpetuo ponte iunxit, vt omnes copias in ſuburbanum agrum emitteret, magno Ferrarienſium

metu

metu periculoque. Nam aliquot Illyriorum cohortes sub signis è classe descenderant, infestaque populatione amœnissimarum villarum tecta incendentes ferro & flammis Barbarorum more grassabantur. At Alfonsus qui antea de apparatu classis, consilioque hostium per exploratores certior factus, à Pontifice & à Gallis Cæsarianisque maturam opem aduersus communes hostes implorarat, Ferraria copias eduxit: nam auctus erat Vasconum cohortibus aduentu Melini Alegriæ filij, & Ramazottus in Bononiensi agro è montanis factiosis bellicosisque clientibus validam manum adduxerat, quibus accedebant vrbanę cohortes, vetusque omnis equitatus, cui nobilitas propè omnis equis et armis instructa sese miscuerat. Itaque positis in conspectu hostium castris, descensiones atque irruptiones Illyriorum strenuè sunt repressæ, eaque munitio oppugnari cœpta. Exinde editum est acre certamen, quum Veneti ab altiore propugnaculi aggere, crebris sagittis & glandibus, maioribusque tormentis rem gererent. Sed ea dimicatio repente suscepta, eum habuit exitum, vt multis illatis acceptisque vulneribus & Ramazotto sagitta vulnerato, Vasconibusque repulsis, Illyrij erumpere auderent, & egrè intra munitiones propellerentur. Eo die Hercules Cantelmus nobilissimi sanguinis adolescens effræni equo in medios abreptus hostes, insigni Dalmatarum sæuitia cecidit, quum iam deditum contra morem militiæ barbara crudelitate trucidassent. Ludouico item Mirandulæ, qui cum insigni ala equitum in conspectum classis se dederat, pila falcone emissa galeatum caput abripuit, sic vt truncus armati corporis aliquandiu persultante equo iactaretur. Nec multò post Hippolytus Cardinalis qui omnis laboris atque periculi comes Alfonso fratri operam nauabat, inusitatum facinus ad parandam de hoste victoriam felici ingenio excogitauit: perpetuum itaque Padi aggerem locis idoneis adlibramentum profluentis aquæ ea ratione terebrauit, vt fenestellas perforato toto aggere passim aperiret, per quas maiora tormenta sedulò collocata in aduersam classem ineuitabili cum clade hostium disploderentur. Arrisit dolo fortuna, punctoque temporis nihil tale timente Veneto tanta vis ingentium pilarum contorta est, vt maiora minoraque nauigia cum innuberabili nautarum & militum multitudine mergerentur, Padus cruentas vndas traheret, Venetique miserrimo casu circumuenti oppressique in fugam verterentur: & Triuisanus præfectus classis ægrè sese explicaret, vixque integra prætoria secundo amne elaberetur. Tum verò Cardinalis inchoatæ victoriæ præclarus author, milites est cohortatus, vt munitionem à trepidis defensoribus planè desertam conscenderent, & quassatæ classis spolijs potirentur. Hi nullam sibi moram attulerunt, quin certatim in propugnaculum euolarent, transgressique inclassem, magnam Illyriorum multitudinem trucidarent, vt incendiorum detrimenta, & Cantelmi indignam cædem vlciscerentur. Captæ sunt triremes quindecim, biremium verò, minorumque nauigiorum magnus numerus: & ingens multitudo omnis generis tormentorum cum toto nauali apparatu in potestatem Atestinorum deuenit. Relata sunt vexilla supra quadraginta, quæ cum rostris triremium & antennis, in templo maximo suspensa sunt: vt eius victoriæ decus atque triumphum posteris testarentur. Triremes autem captiuæ aduerso Pado per alterum diuisi amnis cornu Ferrariam perductæ sunt, & in naualibus collocatæ. Sed eas demum aliquot post annos

confecta pace Alfonſus Senatui Veneto expetenti generoſa liberalitate reſtituit. Ea re feliciter patrata, & Padano bello planè confecto, Alfonſus incredibilem cœpit voluptatem, nec ex parte communem ciuitatis lętitiam magis minuit, quàm Melini viri fortiſsimi improuiſa cædes. Is enim per acri concitatóque ingenio, quum fortè ex leni præda exorta eſſet rixa, atque inde accenſis animis cruenta ſeditio inter Vaſcones, & Ramazotti cohortes, in ſocios ferociùs ſublato vexillo deferretur, à montanis agreſtibus qui vim illatam obſtinatè repellebant, obtruncatus eſt. Eum Alfonſus honore eximij funeris dignum exiſtimauit, cum propter eius bello ſpectatam eximiam fortitudinem, tum propter Alegriæ patris nobilitatem, cum illuſtri rerum geſtarum fama coniunctam, quando nemo inter Gallos duces ab longo vſu militię, belli peritior & clarior haberetur. Ea clades in Pado accepta, Venetorum animos tanto dudum nauali apparatu elatos, vt inexpectata magnopere perculit. Nam ab Iſtri colittore, Liburniaque triremium claſſem reuocare, terreſtresque copias infeſtis Gallorum Germanorumque & Ferrarienſium armis opponere cogebantur. Alternabat autem res Venetas modò proſperis modò aduerſis ſucceſsibus Fortuna nondum planè proclinata in Venetos. Nam ad inſulam Scaligeram agri Veronenſis vicum, Veneti per Epirotas, Græcosque equites, Lucio Maluetio Duce, nocturna expeditione Franciſcum Gonzagam Mantuanũ Principem viuum ceperant, oppreſſa cum eo Gallorum ala Boniuetto præfecto. Sacramorus quoque Vicecomes & Carolus Baleonus, ad ſancti Martini vicum cum multis Cæſarianis equitibus, eadem vi & diligentia leuis armaturæ equitum capti, & Venetijs in carcerem coniecti fuerant: ſic vt crebris per eam hyemem incommodis hoſti illatis, naualis cladis detrimentum bona ex parte ſarcire viderentur. Sed ingens Venetos angebat cura perſoluendi ſtipendij, quòd Gallus Rex iam ex voto ſuo legeque fœderis, Crema, Bergomo, Brixia, Cremonaque potitus, pro Cæſare aduerſus ipſos, nihil de acerbiſsimo odio, belloque remittebat: ſollicitabatque itidem oblata pecunia Pannoniæ Regem, vt Liburniæ, Dalmatięque arma inferret, ſcilicet vt vrbes quæ olim Hungarici imperij fuiſſent, diſtracto vndique diuerſis bellis Veneto, opportunè adimerentur. Verùm Senatus ſupra hos auidè ac atrociter incumbentes hoſtes, longe grauiſsimè ęrarij inopia terrebatur. Exhauſto enim publicè Marciano theſauro, ad priuatas opes graue onus cogendæ pecuniæ recidebat. Nam his viginti ferè menſibus ex quo arma cepiſſent, ſupra ducentas miriades præfecti ęrario recitatis ſumptuum rationibus expenderant. Itaque Leonardus Lauredanus Princeps exactę prudentiæ vir, ſalubri conſilio opportunè ſuſcepto ad Senatum retulit, an placandus eſſet Pontifex, petendaque obiter ab eo pax foret, vt ab eodem authore præcipuo calamitatum, & venia & ſalus & amicitiæ fœdus impetraretur. quod non aliter coniuratorum Principum globus diſijci, apteque infringi poſſet, poſtquam Pontifex ſacroſanctæ perſonæ in publico negotio nunquam oblitus, poſt receptas vrbes veluti exatiata odij ac iracundiæ ſuæ libidine, iam planè vti peritus rerum prouideret, quonam Gallica & Germanica arma tenderent. Quid enim aliud externos reges petere, quàm vt ſeruituræ Italiæ imperium impotentibus animis conceptum arripiant? eo nempe rerum exitu, vt Pontifex quum Venetis nocere voluerit, conuulſa inauſpicato & diro motu Italici nominis exiſtimatione, terram patriam,

triam, terrarum orbis quondam dominam, externis barbarisque gentibus incolendam, cum inexpiabili odio, & publica omnium execratione tradidisse censeatur. Hæc sententia miro assensu à Senatu comprobata, Per Hieronymũ Donatum summæ eruditionis atque prudentiæ patritium, Pontifex tam pio quàm genoroso animo supplicibus veniam dedit, in gratiamq; recepit, eo tenore fœderis, vt sex legati splendidissimi ordinis Romæ in vestibulo templi maximi supplices expiarentur, iuribus amissarum vrbium renunciarent, marisq; imperij titulo in posterum abstinerent. Veneti enim quum maximè classibus valerent, prædonibusque littora repurgarent, se maris dominos superbo atque inuidioso nomine appellarant: ea quidem consuetudine, vt nauigia quæ toto mari occurrerent, Venetis triremibus honoris causa, cum denunciatione hostilis incursus vela submittere cogerentur. Longius fortasse à proposito ordine vitæ Alfonsi, dum initæ pacis inter Iulium & Venetos causæ referũtur, abductus videri possem, nisi ea pax inexpectata, ideoq; coniuratis Principibus molesta & grauis ingentis mali, & diuturnæ violentiæ procellam in Alfonsum excitasset, qua pars Italiæ vrbibus ac ædificijs florentior quassata penitus & obruta penè corruerit. Eo enim facto Iulius aduersus Cameracẽsis fœderis leges esse videbatur. Sed cõquerente expostulanteq; Ludouico Gallorũ rege, vt iure societatis bello Veneto vsque ad exitum communibus studijs ac viribus incumberetur, prædicabat abundè satis factum fœderatis, quando Ludouicus suas vrbes non solum modò recepisset: sed tum etiam Veronam alieni imperij Gallico præsidio tueretur. Hispaniæ autem Rex, Apulis, Salentinisque portubus esset potitus, sicut ipse Togatam Galliam Pontificiæ ditionis restituisset. Cæsari quoq; ab initio belli parta esse omnia quæ concupisset, nec referre ad fœderis fidem seruandam, si Patauium sine suorum sanguine in potestatem redactum, & demum incuria præsidij amissum renouato bello repetendum videatur. Aeterna enim esse non debere fœderum vincula, quando ijs qui communi victoria vti nescierint, aut ignauiæ, aut malæ sortis erratum, omneque acceptum detrimentum, proprio sumptu, proprioque periculo & labore sarciendum videatur. Propterea sui esse muneris sacrosanctiq; officij cunctos ad amplectendam pacem cohortari, & Venetos qui pacem supplici ter petissent, & occupatas reddidissent vrbes, tanquam ritè expiatos & receptos in fidem, incolumes præstare. Cæterùm Gallos immodicè nimisque licenter facere, qui tot illatis cladibus, & tot vrbibus receptis, nondum contenti essent, & deformata rapinis ac incendijs tota Venetia, etiam ipsam Venetorũ vrbem, vnicum propè totius terrarum orbis miraculum, Italiæque præsertim ornamentum, quam natura circumfuso mari ab omni barbarica rabie defendat, incendere atque deleri immani feritate percuperent. Verùm Galli nihilo secius contempta scilicet atque irrisa maiestate Pontificis, multo acrius, quàm antea aduersus Venetos bellum gerebant. Nam Carolus Ambosius Mediolano præfectus, et dux exercitus, ad oppidum Allieniacum, quod est cum ponte Athesi impositum, profectus: vt maiorem vim adhiberet, Alfonsum iure fœderis euocauit, postulans vt eò maiora tormenta ab vrbe Ferraria conueheret. Nec Alfonsus quin vti debebat Ambosio pareret, suisq; instructus copijs proficisceretur, vllam sibi moram attulit. Eius itaque aduentu productis tormentis, tanta vi oppidum est quassatum, vt Carolus Marinus, & Paulus Contare-

nus, qui erant in præsidio ex terrore animos despondẽtes deserta exteriore mu ri corona, in arcem confugerent, quod duobus præsertim inusitatæ magnitudinis & violentiæ tormentis, neque murus crassitudine denum pedum, neq; vlla omnino munitio ex gleba & cespite extructa, magnisq; & transuersis con fibulata trabibus diu resisterent, cum transuerberata dissectaq; paucis ictibus sternerentur. Horum tormentorum alterum ipse Alfonsus egregius machinator & artifex sua manu fabrefactum, propter ineuitabilem impetum, magnũ & terrificum Cacodæmonem inscriptis metallo literis appellarat, quum alterum à terribili strepitu & reboatu Terremotum vocasset. Itaque dedentibus sese patritijs Venetis, quos diximus, oppidũ cum arce captum est, & cum multorum cæde direptum. Simili quoq; Fortuna Galli, sed cruentiore vtrinq; successu Montisilicis oppidũ expugnarunt, interfecto cũ prefecto militum presidio. Aliaq; demum propinqua oppida quæ ditionis Atestinorum fuerant, in potestatẽ redacta sunt, sic vt Alfonsus, quæ antique suæ ditionis essent, ab initio recepta, moxq; abeunte Cæsare ad vetus Venetorum imperium redijssent, Gallorũ beneficio reciperet. Hac Alfonsi profectione, atque his Veneto illatis detrimentis Iulius Pontifex magnopere commotus est, quòd eum tanquam suum beneficiarium, & Vexilliferatus honore obstrictum à Gallis discedere, nec vsquam Venetis arma inferre volebat, cùm eius controuersiæ quæ Rodiginæ peninsulæ possessionem respiceret, se arbitrum fore profiteretur, speraretque Venetos magno Alfonsi commodo ab equitate honestæ conditionis non esse discessuros. Verùm Alfonsus tametsi planè intelligebat, Iulium Pontificem virum ad iracundiam pronum, & tum consilia ingentis audaciæ & periculosi euentus aduersus Gallos coquentem, minimè irritandum esse, tamen suæ fidei atque existimationis & iustæ securitatis esse iudicabat, non discedere à publico fœdere atq; amicitia Gallorum, in quorum clientelam iampridem, & ipse, & Hercules pater essent recepti. Graue quoque, & cum insigni iniuria valde incommodum alienumque prorsus à consilijs ab initio belli rectè susceptis existimabat, ex noua libidine Pontificis interpellari victoriam, eamq; intercipi, quum ipse iam esset in limine, & in secundo quidem cursu recuperandæ peninsulæ, propter quam impotenter à Venetis occupatã communi omnium Principum fœderi esset adscriptus: idq; eò indignantius ferendum videbatur, quòd reliqui omnes fœderati ipso vno excluso, amissa olim, & tum exlege icti fœderis repetita, cumulatè recepissent. Offendi quoq; insigni præiudicio damnoq; Cæsarem videbat, de quo esset benemeritus, & ingratè sugillari eius maiestatem, à qua maiores Atestini Mutinæ vrbis munus beneficiarij iuris nomine retulissent. Tum enim Galli Cesarianis cõiuncti copijs pro Cesare bellum gerebant, quanquam Iulius vehementissimis noui consilij artibus Cæsarem ab amicitia Gallorum diuellere conaretur. Illum siquidem dicebat nihil plus cõtinuato in Venetos bello quærere, quàm vt Gallos veteres suos hostes emulosq; Imperij tanquam iniquissima ratione è Gallia in Germaniam translati, & propterea Germanici nominis inimicos, Venetæ ditionis, ac eodem mox cursu Neapolitani Regni, & totius deniq; Italiæ dominos efficeret. Iam enim eos Verona potiri, quam ita defendant, vt sibi oppignoratã iactent, donec de stipendijs caueat Cæsar, qui pecuniæ egens, tædio diuturni belli, cuius exitum commodo suo sperare non posset, eam vrbem alieni vtique Imperij

factam,

factam, & prorsus venalem occupatoribus esset addicturus. Hæc descendebant in pectus Cæsaris nunquam opportunè in negocio satagentis, sed nihil commoueri videbatur, quominus in uetere sententia fœdereque persisteret, nec abalienato à Gallis animo pacis conditiones auribus admitteret, quas ei Pontifex pro Venetis non omnino iniquas offerebat: postquam Cæsare amisso iampridem desperatoque Patauio, deserta Vicentia itemque Verona iam dubiæ potestatis alieno præsidio defensæ, quicquid inde ei obueniret disceptatore Pontifice in lucro foret, quum inde tot sumptibus quibus esset enerua tus, finem impositurus esse crederetur. At Ludouicus vt Cæsarem natura suspicionsum, incertisque rumoribus sæpe credentem, ac multo sibi ære alieno obstrictum in amicitia contineret, omni studio operam dabat, ne vsquam Cæsarianis deesset, auctisque semper auxilijs quàm acerbissimè Veneto noceretur. Hac Gallorum perseuerantia Alfonsus abundè confirmatus, & sua nauali victoria multisque secundis in peninsulâ successibus adductus, magis ac magis accendebatur, vt constantiæ suæ erga Gallos opinionẽ fideli & diligenti obsequio tueretur. Quid enim stultius videri poterat, quàm discedere ab eorum amicitia, qui armis, authoritate, atq; opibus hostes anteirent? Quid ineptius quàm res suas incolumes, & integras cum attritis & toties profligatis Veneto rum rebus commiscere? à quibus demum expectandæ forent honestæ pacis conditiones, Pontifice vade atq; arbitro, qui suopte feruido ingenio mobilis, & senio morboque confectus, ea quæ ex præsenti vsu facilè promitteret, præstare non posset, quando arma se moturum aduersus potentiores & inuictos inconsultè minaretur, & eos quidẽ qui diuini iuris arma & Pontificias imprecationes subnixi veris armorum præsidijs essent contempturi. His de causis Alfonsus Cameracensis fœderis lege, & antiqua necessitudine quæ sibi cum Galliæ regibus intercederet, & ereptæ quondam, nec adhuc vti speraſſet receptæ peninsulæ iniuria, apud Pontificem se excusat, profiteturq; Pontificij nominis maiestatem in honore habiturum semper, & quod fas esse duceret, ab authoritate Ludouici regis eo bello minimè discessurum. Ergo Iulius ira percitus excutiamus, inquit, ei inueteratæ factionis morbum, vt vel inuitus tanquam insanus iustis remedijs sanetur. Primum omnium Alfonsum palàm hostem iudicat, grauissimeque atque acerbissimè in Senatu de eo prolocutus, sacra etiam arma expedit, quibus eum diris deuouet, & sacris interdicit, quòd Venetos sibi Pontificioque imperio solenni fœdere consociatos armis persequeretur: quòd Plebem, & Centum oppida Bononiensi antistiti, in cuius ditione antiquitùs fuissent, non restitueret: quòd contra leges inter Pontifices & Atestinos principes ex concessione beneficiarij iuris ritè latas & constitutas, salis legendi facultatem vsurparet ad Comaclum, quod est oppidum inter Paduas salinis opportunum, magno quidem Pontificij vectigalis detrimento: quòd denique Ferrariensem populum liberali Pontificum munere Atestinis in fidem traditum, excogitatis nouis portorijs, & iniquè auctis vectigalibus, equo acerbius oneraret. Quibus rebus Pontificia maiestas equitatis, & pietatis studio acerbè oppressos subleuare solita magnopere lederetur. Hæc erant in prætextu, sed præcipuum odium in Gallos emicabat, quorum consilia nudari cuperet, vt nouo bello non iniqui iuris & iustæ causæ nomen in eos ab impotentibus armis formidabiles quereretur. Nemini enim dubium erat, si Galli Al-

fonsum Pontificis subditum tueri vellent, quin à Pontifice in eos continuò arma verterentur, sicuti mox euenit. Igitur Alfonsus obiecta tanquam inania refellere, lenireque Pontificem frustra conatus, constanti consilio arma parat, militum auget numerum, opportuna loca nouis præsidijs confirmat, Gallorum præfectos quid cauendum, parandumque sit confestim edocet, eorum fidem implorat, & ab his præsidij nomine cohortes aliquot, & delectam equitum alam accersit. Obstructas siquidem obtestationibus precibusque suis Iulij aures inuenerat, quum animus eius ferox & paratus ad arma nulla Regij legati amicorumq; senatorum intercessione placaretur. Ecquid enim iniquum & nefarium esset Venetos infestis armis prosequi, à quibus sibi debita promissaque ex fœdere, tanquam patri Herculi impotenter adempta tota peninsulæ regio occuparetur, et de his acerbissimis hostibus vindictam peteret, à quibus & tum & aliàs barbarico more cuncta euastãtibus etiam propinqua Ferrariæ mœnibus ædificia ferro & incendijs absumpta fuissent? Aequissimo autem iure oppida Centum & Plebem quis dubitet non retineri? quæ sibi dotali iure Alexander Pontifex attribuisset, pro quibus antistiti Bononiensi peramplæ possessiones peculiari coemptæ pecunia ad campos Nacros vsitato more permutationis essent adiudicatæ. De Comaclensibus autem salinis quibus non planè esset interdictum, diserte & cumulatè ita satisfaciebat, vt se staturum iudicio collegij Quæstorum Pontificij ærarij polliceretur. Nec multò post Iulius coactis vndique copijs Franciscum Roüereum fratris filium (huic in Feltriam familiam adoptato Vrbinatium Principatus obuenerat) bellum Alfonso inferre iubet, ipseque Roma profectus Bononiam contendit, vt presens bellum administraret. Ante omnia Venetos ex Patauini agri finibus Transpadanam regionem infesta populatione percurrere, Atestinorumque rebus maximè nocere imperat. A mari quoque in idem consilium duobus Padi ostijs Volane atque Primario, Ioannes Morus Patritius cum aliquot armatis nauigijs, tribusque triremibus ad Argentam vsque subit, margines Ferrariensis agri passim descensione facta inuadit atque peruastat. Sed Venetis classiarijs Alfonsus dispositio passim præsidio ita occurrebat, vt maturè pulsi cæsiq;, maleficijs finem imponere, & ad Clodiam fossam cum detrimento reuerti cogerentur. Per eos quoque dies pari rerum successu Leonardus Alecius Salentinus, Rhodiæ militiæ eques, multis fortibus actis militiæ clarus, obidq; à Veneto Senatu equestri leui armaturæ præpositus, quum in villam cui Belloaeri nomen est, diuertisset, explorante cuncta Alfonso, & Gallos in eam occasionem patrandæ rei perdocente, subita Gallorum equitum excursione improuiso oppressus, atque interfectus est, dum constanter in villæ aditu supremo virtutis conatu frustra edito acerrimè repugnaret. Relatum Venetias eius cadauer insigni funere, & temporaria equestri statua Senatus honestauit, quum ei eneam pro lignea quietiore Republica decreuisset. Parte verò alia Iulius, proditione quorundã ciuium, cuius author Gerardus Rango ferebatur, Mutinam & mox Regium Alfonso ademit, durissimæque hyemis contempta glacie nihilque inusitatis nauium frigoribus deterritus, ad oppidum Mirandulam oppugnandum contendit, vt eiectum inde Gallorum ope, atque iniuria Franciscum Picum, cum sua, tum patrui Ioannis nobilium studiorum gloria insignem reduceret. Erat insita vis ardens indomito ingenio Pontificis ad gerendum

rendum bellum, vt ea expeditione Gallorum animi nudarentur. Apparebat enim Gallos Mirandulanis aduersus se opem laturos: nam Triuultij filia, quę vxor fuerat Ludouici Pici, paulo antè, vt diximus, ad Polisellam tormento interfecti, oppido potiebatur. Præerat autem præsidio Alexander Triuultius viduæ propinquus, & Galeoti infantis aui materni nomine tutor. Erat in proximo ad sextum lapidem Concordiæ oppidum Mirandulanæ ditionis. Id Iulius euocatis citra Padum Venetorũ auxiliaribus copijs, qui Vitellij Tiphernates Ioannes, atque Cepinius eximiæ spei iuuenes præerant, tormentis expugnari iubet, ab eoque rei prospero successu Mirandulæ muro tormenta admouet, magno quidem salutis suæ periculo, quum ferreus globus maiore tormento turre emissus, in eius tabernaculum terrefactis familiaribus incidisset. Id immane factum tanquam indignè sacrorum Principi ad horribilem necem illata vis foret, vel si incertum emissa pila crederetur, sua sponte concitatam bilem Iulio ita commouit, vt in vindictam exardens, prolato omni tormentorum apparatu, murus non corona modò & defensoribus nudaretur, sed hiatus latos ad irrumpendum militi ostenderet: eò quidem maiore facultate, quòd tum altissima fossa, propter incredibilem aeris rigorem, concreta glacie tanquam solido ponte inuadentes admissura videretur. Id improuisum incommodum Alexandro deditionis necessitatem expressit, atq; ita euocato ad colloquium Marco Antonio Columna, in certam spem clementiæ oppidum saluis ciuibus dedit. Capta Mirandula Iulius animos aduersus Alfonsum sustulit, partemque copiarum in eius agros effudit: nam ab eo solicitari Gallos audiebat, vt sibi duabus vrbibus exuto maturam opem ferrent. Nec multò post Carolus Amboisius, iustis Alfonsi obtestationibus permotus, coacto exercitu aduersus Pontificem Galli Regis clientium opes conuellentem Aemylia via descendere constituit. Interea Iulium Bononiam reuersum, affectumque senio, & rediuiuis veteribus morbis obnoxium, ex castrensi labore, rigoreque cœli febris inuasit, eò planè sæuior, quòd vir omnis iniuriæ & moræ impatiens incensus ad gerendum bellum, Gallorum copias aduentare cognouerat, Bononiensiumque studijs non multum confideret, quæ plæbis imperitæ mobilitate, peruersaque libidine in Bentiuolos conuersa dicebatur. Feltrius cum Pontificio exercitu Mutinæ constiterat, apud quem præclari duces erant Marcus Antonius Columna, & Paulus Baleonus. Sed Galli Gabellum amnem, qui hodie Segia dicitur, superantes recto itinere vsque ad Mutinæ portam signa protulerunt, pulsa graui impetu cataphractorum, atque protrita leuis armaturæ hostium ala, quæ speculatum obuiam egressa fuerat. Galli ad lætum profligati hostis euentũ substitere, quod si fusorum tergis insistitissent, proculdubio totus Feltrij exercitus, vti ad eum terrorem tumultúmque inconditè porta eductus, nec planè instructus, profligari, atque vrbs recipi potuisset. Cæterùm Amboisius, eodem impetu terrorem ex propinquo Pontifici admouendum ratus, superato Tanaro qui Scultena olim fuit, ad pontem Labini amnis antiqua Triumuirali conspiratione clari, sese effudit, sic vt per Rheni pontem ad Bononiæ portas peruasurus crederetur, concitantibus præsertim Bentiuolis exulibus, qui reduci in patriam hisdem quibus exacti essent armis postulabant, & duce Hermete ad portam excurrentes vallis tragulam infixerant, alligato ei libello, quo populum ad veterem

libertatem vocabant. Sic enim factiosa plebs sub Tyrannis immodicæ licentiæ assueta, cruentam, & bonis ciuibus execrabilem seruitutem appellabat. At Iulius quanquam corpore æger inuicto tamen animo in id discrimen summæ prudentiæ consilium expedit: aduocat ad lectulum Principum omnium legatos: de insolentia, superbiaq; Gallorum prolixè conqueritur, salutemq; suam & dignitatem Pontificij nominis obtestatione vehementissima eis commendat, orans vt Ambosio nisi ab iniuria armisque absistat, & retrò vertat agmen, bellum Regum suorum nomine denuncient, testenturque eos violati Pontificis iniurias acerrimo indicto bello vindicaturos. Aequissimo enim iure à Pontifice oppugnari Alfonsum, qui beneficiario nomine Romanis Pontificibus obnoxius atq; subiectus, eorum imperia contemnat, oppida vsurpet, nec à salinis magno Pontificij ærarij detrimento abstineat. Proinde Ambosius etiam atque etiam caueret, ne dum Pontificem temere oppugnatum venerit vt ab Alfonso bellum auertat, illud vndique in Gallos concitet. Eo enim esse animo Europæ Principes, vt sacrosanctum Pontificem ab impiorum iniurijs defendant: impios siquidem esse qui nefaria arma in sacrorum Principem ferãt. In ea denunciatione belli aduersus Ambosium maximè vehemens & infestus erat Christophorus Eboracensis Cardinalis Britannus, Henrici Regis legatus. Huic disertissimi viri aderant Albertus Pius Cæsaris, & Hieronymus Vichius Ferdinandi Hispaniæ Regis legati: hic Regij decoris & commodi sui spe excitus, ille verò propter priuatas simultates Alfonso plurimùm infensus. Mutinam enim paulò antè astuto salubriq; consilio Iulius, ne eam parum æquo iure, aut impudenter occupasse videretur, quòd Cæsarianæ liberalitatis titulum, quem iureconsulti feudum vocant, certa atque inueterata consuetudine præferret, Germano homini, cui Vitefrustro nomẽ fuit, nomine Cæsaris tuendam et possidendã attribuerat, vt declinata inuidia Cæsar ipse pecuniæ egens, & Augustalis sui iuris diues, noui atque inexpectati lucri spe inductus, in belli causam, cum insigni Gallorum ac Alfonsi dolore, & incommodo traheretur. Ferdinandum quoq; Regem in sua commoda callidè semper erectum, Iulius à Gallo magna ex parte diuellerat, quum ab eo præsidij auxilijq; nomine Fabritium Columnam magistrum equitum, cum trecentorum cataphractorum ala impetrasset. Eo nanque officij merito Rex magnopere cupiebat Neapolitano in Regno iure legitimæ possessionis authoritate Pontificia confirmari, quod se facturum Pontifex auxiliorum & noui fœderis spe polliceri erat solitus. Dum Galli appropinquarent, et Pontifex graui anxius cura de Bononiensium fide non obscurè dubitaret, opportunè missa à Venetis ornatissima leuis armaturæ equitum ala omnium animos confirmauit. Erant ij Illyrici generis, cultu, armis, religioneque Semiturcæ, scutati equites, quos Padi transitu neq; Galli neque Alfonsus prohibere potuerat, quum aduentus sui famam celeritate præuertissent. Itaque prodeuntibus legatis magnaque vociferatione Ambosio noui belli metum incutientibus, Galli proceres cum duce in concilium coeunt, retroducendumque censent, ne inexpiabili facinore rem maximè dubiam & periculosam temere ingressi, contra se vniuersos Europæ Reges concitarent, quibus satis iusta belli causa videretur, si sacrorum Principem protegendum specie religionis suscepissent. Mirumque tum videri potuit, quod ferox hostis, qui armis sustineri non poterat, paucis vrbis reiectus,

commutata

commutata repentè voluntate à proposito itinere consilioque recesserit. Exin de Amboſius apud Galliæ Regem nequaquam bellicoſi ducis famam tulit, ab æmulisque veliementer laceratus eſt, quòd luxui amatorijsque vanitatibus, & theatralibus ludis Mediolani occupatus, neq; Mirandulanis implorantibus opem tuliſſet, neque Alfonſo, vti debebat, Mutinam recuperaſſet. Quo ignominiæ dolore affectus, non multò poſt apud Corregium oppidum è vita deceſsit. At Iulius præſenti diſcedentium Gallorum metu liberatus, infenſusque Alfonſo magis ac magis, à quo in perniciem ſuam ſolicitatos atque inuitatos Gallos plane intelligebat, magnam copiarum partem in Ferrarienſium fines immiſit. Præerant copijs Guido Vainus, & Meleager Foroliuienſis, atque Verdegius Hiſpanus, qui ex ſua gente cohortes Bononiæ conſcripſerat. Toti verò belli ſummæ & conſilijs præpoſitus erat Antonius Orpheus Calenulæ Antiſtes, ab Alidoſio Cardinale Bononiæ Legato miſſus. Hic tum maximè Pontificis gratia pollebat. Itaque duces hoſtiles agros latè populati, ad Foſſam Zeniolam ſparſis (quòd nulla certa manus hoſtium occurreret) prædabundiſque agminibus perueniunt. Eam foſſam lato profundoque alueo, equiti pariter ac pediti inſuperabilem multi amnes efficiunt, qui ex Apennini vallibus delapſi, et campeſtribus locis ſtagnantes, corriuatique demum incolarum induſtria aut in Padum, aut in proximas Paduſas euoluũtur. Pontificij vno lata foſſæ munimento contenti, quòd aliunde nihil hoſtile timerent, non longè à Foſſa inter ruſticanas caſas poſitis caſtris conſedere, ex Orphei prolegati diſciplina hilariter epulantes. Hic enim vir imperitus belli, ſacerdotali ocio, ac intempeſtiuis voluptatibus deditus, ita duces ad conuiuia, remittendumque laborem inuitabat, vt illi non ægrè obſequerentur, tanquam eæ quæ tum inciderant Carneualium dierum feriæ, non tantùm ſecura in pace, ſed dubio & ſuſpecto etiam belli tempore celebrandæ forent. Mirus enim erat apud omnes ab inani iactantia hoſtium contemptus, ſic vt obliti diſciplinę militaris, nec vllo munimento caſtra vallarent, nec de more obirent vigilias, nec demum quæ de impigro hoſte ſuſpicari poſſent, euentura crederent. Hac tanta incuria vanitateque epulantium hoſtium explorata Alfonſus, qui intento animo vt hoſtem inuaderet, vlciſceretur iniurias, prædamque repeteret, loci & temporis occaſiones captabat, repentè cogit educitq; milites, quibus Vaſconum cohortes duas & aliquot turmas Gallorum equitum adiungit. Federicus Gonzagam Bozolum ſecretò quid fieri velit edocet, eique imperat vt nauigia & lintres quæ in Santerno amne erant (is antiquitus Vatrenus fuit) in foſſam Zeniolam procul ab hoſtium caſtris traducat: quibus noctu magnoque ſilentio cõuectis, & contabulatis pons efficitur, cunctis impigrè & certatim in iungendo ſtruendoque eo operam ſingulari cum lætitia Alfonſi nauantibus. Sed fabros in metiendo ponte foſſæ latitudo eorum eſtimatione maior ita deceperat, vt pontem vno nauigio breuiorem, mantumque Alfonſus reperiret, aduerſam nanque foſſę ripam explicata & extenta funibus nauigiorum ſeries minimè pertingebat, magno cum dolore Alfonſi architecto ſuccenſentis. Paratus enim ad traducendas copias, inuadendosque hoſtes, paruæ rei momento interpellari atq; eripi ſibi victoriam querebatur. Verùm vti erat valido expeditoq; ingenio, procedens in extremũ pontis caput, ſuperiecta craſsiore tabula hoſtilẽ ripã ita pertingi poſſe animaduertit, vt ſingulis nõ omnino difficilis,

quanquam periculosus transitus præberetur. Nec mora exemptam è constrato ponte tabulam vix sexquipedè latiorem coaptat, cunctisque in eo periculo de eius salute solicitis atque pauentibus, protectus armis omnium primus equum in hostilẽ ripam adigit. Eum Bozolus subsequitur, inde Massinius Furnius cum turma prætorianorum equitum, & alij contempto periculo successere ea felicitate, vt decíderit nemo, & amplificato demum duobus adiectis asseribus ponticulo ad quatuor millia armatorum equitum & peditum in hostilem ripam transierint. Nec prius quàm clara iam luce Pontificij duces ad capienda arma ingruentium hostium strepitu excitati sunt, quum eorum signa conspicerẽtur, & præmissi Furniani equites semisopitos vigiles perturbassent. Irrumpente itaque quadrato equitum agmine Alfonsus castra trepidatione, fuga, & cædibus complet. Guido, & Meleager ad primum clamorem frænatis & cõscensis equis satis impigrè antecursoribus hostium occurrunt. Sed crescentibus Alfonsi subsidijs, effusisque habenis irrumpentibus pulsi, per mediã pauentium, & arma capientium suorum turbam in turpem fugam conijciuntur. Ipse Orpheus vix discusso somno in pernicem equum à suis illatum periculum effugit. Reliqui omnes consternati metu, vt plerunque inopinato deprehensis accidit, spem salutis præcipiti in fuga posuerunt. Restitere aliquandiu intrepidè Hispani, qui castrorum frontem obtinentes sese conglobarant. Sed postquam in eos densata peditum acies pedem intulit, & in sinistrum eorum latus Alfonsus cum cataphractis inuectus est, territi improuiso grauique noui hostis superuentu, non adhuc planè ordinati confertique, ad primum equestrem impetum dissipantur, & latè trucidantur, cadente ante alios Verdegio duce, qui hortabundus vbi plurimum periculi erat, constantissimè dimicabat. Eo strato amissisque vexillis reliqui omnes terga verterunt, fugientium equitum vestigia cursu consequi frustra conati. Nam persequente equitatu cum expeditis peditibus, magna ex parte interfecti sunt, quum pauci caperentur. Siquidem eo die circiter tria millia hominum interfecta referuntur, sæuientibus maximè in stratos, & à milite vulneratos agrestibus, qui recentes iniurias direpti agri vindicare properabant. Castra autem apparatu militari & multo commeatu impedimentisque præsertim prolegati, & sarcinis ducum opulenta, Alfonsus victor militi ad prædam concessit, retentis sibi æneis falconibus tribus, & vexillis insignioribus, vt maiore sua Ferrariensiumque lætitia in vrbem reuersurus profligati hostis spolia præferret, & ea quæ à peruastãte hoste detrimenta accepisset, se cumulatè atque feliciter vltum fuisse testaretur. Per hunc modum cum sua virtute, tum Gallorum præsidijs egregiè se tuente Alfonso, rex Gallus & Pontifex exacerbatis inter se odijs, satis supérque animos denudarant. Nam superiore Autumno Iulius Gallos Alfonsum pertinacissimè defendentes vno tempore à tribus partibus ad distrahendas eorum vires oppugnarat, quum per Venetos maioribus iam auctos viribus, externorum copias totius Venetiæ agros acerbissimè populantes ad Leonicum vicum inuadi iussisset, & parata classe apud Ostiam, cui præerat Grillus Contarenus circumductis à supero mari per Messanæ fretum Venetis triremibus, Ligures ad spem antiquæ libertatis solicitarat, vt inuisam Gallorum gentem, & à recenti victoria superbè dominantem, Genua pellere conarentur. Octauianum namque Fregosium exulem cum virtutis suæ, tum

antiquæ

antiquæ nobilitatis nomine ciuibus charum, ideoque expetendum, cuius pater in ciuitate principatū tenuerat, recipi posse a factiosis ciuibus, si se offerret, sperabat. Ad hunc enim reducendum M. Antonius Columna cum terrestribus copijs à Lunensium ora per asperas cautes, vt classis cursum adequaret, fuerat præmissus. Per eos quoque dies ex condicto Heluetij pecunia excíti concitatique in Gallos, Comensem & Mediolanēsem agrum hostiliter inuaserant. Sed in his Iulij conatibus consilijsque magno animo susceptis Fortuna à Gallis mirificè stetit. Nam primùm omnium Gallorum Germanorumq;, & Ferdinā di regis copiæ, quæ in varias diductę manus Venetorum agrum rapinis ac incendijs impunè deformarant, in vnum expediti agminis corpus ad speciem iusti exercitus coierant, frustraq; circumfusam & lacessentem hostium leuem armaturam propellentes, densato ordine Veronam incolumes se receperant, ductu Andreę à Capua Thermulani principis: qui ab eo forti felicíq; receptu, raro alijs concessam peritiæ militaris gloriam tulerat, quū Grittus legatus, Luciusq; Maluetius viri alioqui pugnaces, tuto potius quàm decoro consilio, accensis peditum animis, & rem prælio decernere cupientibus obstitissent, ita vt Venetus quos in itinere adoriri debuerat, pudore amissæ occasionis abeuntes persecutus non prius vestigijs abstiterit, quā compulsis intra vrbē Veronam hostibus, temere tormenta admouerit; inani spe existimans Veronenses pro se aduersus externæ gentis præsidium arma capturos. Sed ea res ab Rentio Cerite temerè tentata eum habuit exitum, vt amissis Citulo Perusino, & Lactantio Bergomate longè fortissimis cohortium præfectis, Veneti signa retrouertere coacti sint. Pari quoq; successu Heluetios, qui prędas agentes, nec abstinētes ab incendijs descenderant, Gasto Foisseius Ludouici regis sorore genitus, vix tum pubescens, cum quatuor millibus equitum obuiam profectus Comensi via in patriam represit. Ad similem quoq; inanis hostilium consilij euentum Preianes Gallicæ classis præfectus, triremibus atque onerarijs Genuensi portu eductis, Grillo opportunè occurrit: eaq; exorta est ad eius conspectum in classe Veneta conturbatio, vt nec tentato quidem certamine, eminus tantum tormentis rem gerentibus, Venetæ triremes velis & remis retro cursum tenuerint, & M. Aantonius qui equites ad Recum vsquè septimo ab vrbe lapide adduxerat, desperato classis præsidio, magnum à montanis Liguribus in prædam versis detrimentum acceperit. His Pontificij belli conatibus per socios vndique prosperè admodum repulsis atque elusis, Alfonsus tametsi ancipiti suburbanique belli metu & sollicitudine leuatus erat, nihil tamen se ocio ab intenta belli cura remittit, cunctas voluptates repudiat, ac ingenti studio muniendæ vrbis consilium suscipit, murum profert, latissimè fossas adauget, terrenaque ex gleba, & cespite lata atque excelsa propugnacula instar arcium ædificat, in quibus statui & dirigi ingentis magnitudinis tormenta possent, quorum vi eminus ab inuasione mœnium hostes deterreri facileque depelli posse viderentur. Sic enim existimabat, sublato magna ex parte periculo, & milites mercenarios in officio militarium munerum minore cum stipendio, & ciues fideli obsequio per se deditos in vetere studio posse contineri. Quippe qui nihil quo amor in se & obseruantia apud ciues parari posset, multa humanitate & liberali comitate prætermittebat: ratus se satis tutum aduersus infesta arma proculdubio futurum si his præclaris & populo

gratiſsimis operibus inuidiam ſperatæ pacis & diuturni belli publico incommodo exorta mitigaret & extingueret. Cæterùm Ludouicus hoſtilium conſiliorum fœdo exitu, & Fortuna ſua elatus, qua ſemper hoſtium ſuorum ſpiritus contudiſſet, indicendi Concilij conſilium quod diu concoxerat, inauſpicato ſuſcipit. Ex publica enim Iulij morum cenſura, tanquam probroſi hominis authoritatem infirmare atque conuellere nitebatur. Id enim telum quum à Regibus ſuarum opum ac armorum vi ſubnixis, in Pontifices euibratur, maximè dirum atque mortiferum euadit, recentiſsimis Conſtantienſis, & Baſilienſis conciliorum exemplis, quibus aliquot Pontifices notati ignominia, & dignitate pulſi, à ſummo rerum faſtigio corruiſſent. Paulo enim antè aliquot Senatores Ludouici authoritatẽ ſequuti à Pontifice diſceſſerant, impetrárantque à Florentinis vt conſilium Piſis tanquam opportuniſsima indiceretur, vbi actiones ſuas citato ad id Iulio ſumma animorum acerbitate iam inchoarant. Sed quum ſacerdotes qui coierant, vim vſqueadeo inclementer incitati Pontificis metuentes, Gallicum præſidium depoſcerent, ob idque Lotrechius cum ala equitum aduenisſet, Florentinos præcipitis obſequij ſui extemplò pœnituit, nè Piſani præſentium Gallorum fauore excíti, ſicuti aliàs Caroli octaui aduentu ad repetendam libertatem arma corriperent, atque ita Lotrechius non ſine vitæ periculo, & Cardinales populari tumultu vrbe ſic expulſi ſunt, vt Mediolanum conuolarent, eaque in vrbe ampliſsimâ inſtitutas concilij actiones celebrare pergerent. Sed Alfonſus vel multis precibus à Gallis ac obteſtationib. fatigatus adduci nõ potuit, vt in cõcilium ad conturbationem diuinarum ac humanarum rerum excitatum, fratrem Hippolytum Cardinalem impelleret. Suę enim & Chriſtianę equitatis eſſe ſtatuebat, propulſare quidem iniurias, ſed nullas inferre Pontifici, inuidioſæ præſertim cauſæ periculis circumuento. Neque difficile fuit, fratrem, ne cauſæ immiſceretur deſortari, virum quippe ſuæ dignitatis & conſtantiæ memorem, & in omni actione iudicio longè grauiſsimum. Ille ſiquidem extra belli ac armorum contentionem, vbi religionis anceps diſcrimen emineret, Pontifici minimè nocendum veteriſque ſacramento obligatam fidem ſyncerè præſtandam arbitrabatur, ne galeri dignitatem beneficio Romani Pontificis partam ad familiæ decus intempeſtiuo vix dum inchoatę ſynodi præiudicio euerteret. Sub id verò tempus quo indicendi concilij cauſa inter diſſidentes ex aduerſo iureconſul tos iactabatur, quòd ab alio quàm à Pontifice indici nefas foret, Ludouicus aperto peracri odio in Pontificem Triuultium cum imperio copiarum Amboſio defuncto ſuffecit, iuſsitque vt Mirandulam recuperare, vlciſci iniurias, & Bononiam occupare, Bentiuolisque reddere maturaret. Sub eam autem Triuultij aduentantis famam pontifex impar viribus, nec obſcurè quorundã Bononienſium perfidiam timens, relicta eius vrbis cura Alidoſio legato, Rauennam ſeceſsit, vt inde per Flamminiam Romam reuerteretur. In Mutinenſi tum agro Feltrius confirmatus Venetorum auxilijs contra aduentantes Gallos, ad Gabellum amnem caſtra poſuerat. Sed Triuultius vetus imperator aduerſus adoleſcentem ducem, tanta armorum vi incubuit, vt quum locorum opportunitates prẽriperet, & quotidie graui motu caſtra caſtris cõferret, ſemperque acie inſtructa inſtando prælio certaturus videretur, Pontificij viribus & diſciplina inferiores, vrgentis hoſtis impetum vitare, & retrocedere cogerentur,

rentur. Neque prius eos premendi, et persequendi à Triuultio finis factus est, quàm se Bononiæ mœnibus castris cum tumultu positis applicarint. Nec mora Triuultius tumultuariè castra metantes inuasit, vniuersasq; eorum copias, & Venetorum auxilia sine suorum vulnere, quod miræ felicitatis fuit, captis, & direptis profligauit, profugiente Feltrio, querenteque se proditum malignitate atque perfidia Alidosij legati, quòd nihil earum rerum quæ gerendo bello opus forent, postulanti suppeditasset, Bentiuolorumque clientium fideli portarum custodias attribuisset. Arioſti nanque & Ranucij ciues cohortibus præpositi exaudito castrorum strepitu, perspectaque Feltrij & Baleoni fuga, nullam sibi moram attulerunt, quin extemplò portas panderent, Bentiuolosque fratres tanquam veteres dominos studiosè reciperent. Legatus varijs sceleribus cunctis exosus, & imbellis, occupante metu profugit, supellectilemque & pecuniam prædæ Gallis reliquit. Nec Iulius Vitellius custodiæ arcis præpositus, nullo antè prouiso commeatu diu restitit, quin Bononiensibus arcem dederet, populo à fundamentis excindendam, quòd liberæ ciuitatis ceruicibus imposita videretur. Feltrius emenso Aemyliæ vię spatio, quum suos iter fugæ simile habentes ala Gallorum duce Duratio persequeretur, Hieronimumque Pactium fortiter resistentem ad Claternam occidisset, Rauennã delatus est, vbi sequenti die ex eodem fugæ cursu Alidosium Cardinalem sine purpuræ insignibus sibi occurrentem sua manu confodit, amissi vtique exercitus dolore, & recentibus iniurijs exacerbatus. Id facinus maximè atrox & apud Pontificem patruum inexpiabili videri potuit, nisi homo impurus, varijs auaritiæ & crudelitatis flagitijs coopertus, indignusq; Senatorio ordine, non seras improbitatis suæ vltore magno numine pœnas dedisse crederetur. Ea nunciata cædes, Iulium per se animo ægrum ex infelicitate bellicarum rerum magnopere perturbauit: extemploque Rauenna profectus, toto aulæ comitatu conturbato Romam iter intendit. At Triuultius incomparabili potitus victoria, apprimè graui, prudentique consilio, ne regi maiorem vehementioremq;, quàm deceret pium, & ex professo summè Christianum, inuidiam pararet, victoriæ suæ modum imposuit, vetuitque edicto Gallos abeuntem hostem vlterius persequi, quòd recepta Bononia, eaq; Bentiuolis reddita, satisfeciſſe officio rebatur: eademque militaris consilij moderatione Põtifici nunciari iussit, vt quò vellet composito agmine extra metum iter facere pergeret: se enim operam daturum vt nusquam à Gallo milite iniuriam acciperet. Sed non eadem animorum æquitate Bentiuoli victoria vtebantur, quum statuam æneam Iulio liberatori in fastigio templi maximi positam, concitata plebe detraxissent, conspurcatamque fœdissimum in modum perfregissent, atque in tormenta conflassent. His rebus à Triuultio feliciter gestis, Alfonsus mirum in modũ lętatus est, quòd Bononiam Pontificij belli sedem, viris atque diuitijs opulentam, non modò detractam hosti, sed Bentiuolis necessarijs suis restitutam conspiceret, magnoque commodo securitatis suæ in reliquum tempus quærendæ potius pacis, quàm instaurandi belli facultas Iulio præbita videretur. Cæterùm Iulius quem secus ac multò maxima pars hominum putabat, neque fusi exercitus, neque amissæ Bononiæ, neque à Feltrio admissi sceleris incommoda perturbarant, eadem infracti ardentisque animi magnitudine qua bellũ susceperat, generoso conatu in vtranque sortis

aleam finire constituit. Primum omnium Cardinales qui concilium indixerant, tanquam impietatis & perfidiæ reos Senatu mouet, hostesque Pontificij nominis decernit. Ex aduerso autem legitimo iure sacrosanctam synodum ad ea consulenda & peragenda quæ Reipublicæ Christianæ decus respicerent, in Laterano sequenti anno futuram pronunciat, et Pisani Concilij inauspicatum nomen abolet, Galliæque Regem tanquam diri schismatis authorem sacris interdicit: ac eum vetere suo Christianissimi cognomento indignum declarat. Secundum hæc acta, cuncti propè Christiani nominis reges gentesque aduersus Gallos, ereptæ Bononiæ ac impotentis audaciæ inuidia deflagrantes, propositis edictis, & varijs legationibus concitantur: Immodicè quidem ante alios Henricus Britannus qui suopte natura infensus Gallis, nouam bellicę laudis gloriam quærebat, quæ ei parata videbatur, si pro tuenda Romani Pontificis dignitate, Galliæ bellum inferret. Ferdinandus quoque Hispaniæ rex, tametsi à Cameracensi fœdere nequaquam apertè discesserat, quòd non obscurè prouecta longius atque audacius Gallorum arma formidabat, Romano Pontifici multis de causis deesse non poterat, ob idque præsertim quod à Romanis Pontificibus præclaro religionis merito Catholicus fuisset appellatus. Hicitaque Petrum Nauarrum, ad Tripolim atq; Bugeam rebus feliciter gestis clarum, Africanas legiones in Siciliam, atque inde in Italiam transportare iubet. Ille verò magnis adornatis classibus Aquitaniam inuadit, & in Belgicam orã primo quoque tempore se traiecturum profitetur. Cæsar verò qui ab initio conceptæ inchoatęque synodi anceps & dubius perstiterat, tametsi ei pseudocardinales summi Pontificatus honorẽ promitterent, multis de causis ita Gallorum societate diductus est, vt regia præsidia quæ Veronæ hybernabant ab se dimitteret, obortoque spe recuperandæ Burgundiæ Heluetijs atque Pontifici iungeretur. His cognitis rebus Ludouicus suarũ opũ planè conscius, vir acer et indomiti spiritus Ioannem Nauarræ, & Iacobum Scotiæ reges veteres amicos et clientes Galliæ regũ, hunc aduersus Britannos, illum à Cantabria Hispanis opponit. Singulari autem diligentia Galliæ equitatum qui erat amplissimus supplet, & pedites à Germanis instar duarum legionum mercede conductas in Italiam accersit, quòd Heluetijs tanquam à Gallo impudenter ac indignè spreti, post fortem fidelemque operam multis bellis nauatam, ab amicitia Gallorum discessissent. Regibus hoc modo in apparatum maximi belli erectis, Alfonsus ab vllo militari opere nequaquã cessandum ratus, aduersus omnem vim hostium quæ opportuna erant præsidia comparauit. Nam insignis cataphractorum ala ex delectis equò merere stipendia solitis, effecta est: & noua leuis armaturæ equitum turmæ veteribus & prætorianis sunt adiectæ. Promptissimus quoque, & sibi notus miles, liberali stipendio conductus est, quo supplemento vrbanas copias abundè confirmabat. Cogendæ verò pecuniæ studium ea moderatione agitabat, vt priuatos potius minueret sumptus augeretque rerum venalium vectigal, quam eam viritim ciuibus imperaret, ideoque non auri summam, oppignoratis maiorum suorum insignibus gemmis, Lucretiæque item vxoris vnionibus, mutuam à fœneratoribus acciperet. Parcendum enim erario existimabat, sic abiectis abaci ornamentis, vt in vsum mensarum figulinis lancibus vteretur, quæ eo honestiora erant, quòd Principis manu atque artificio fabrefacta spectabantur. In hoc enim frugi vitæ famã,

potius

potius quàm inanem, reconditi, inexhaustíque thesauri iactantiam quę rebat. Præclarè siquidẽ iudicio omnium credebatur, ei vel diuturno in bello pecuniam ex vetere gaza minimè defuturam: qua publica existimatione in omni bellico sumptu fidem vnquam differrentis aut improbi debitoris tuebatur. Ad hæc summa contentione paganorum agrestium, & ciuium, qui imperatas edicto operas conferebant, instituti antea aggeres proferebantur, cauabantuŕque profundissimæ fossæ, & in officinis collato per tribus ad certum pretium metallo, omnis generis tormenta Principe ipso perdocente, agentę́que fundebantur. Mirabili quoq; eius ingenio, versatilis ex aquę impetu machina instituta erat, ad conficiendam exiguo tempore ingentem tormentarij pulueris copiam: ab ea nanque demissi elatique alternatim ferrei plures pistilli in eneas pilas decidentes, carbones & sulphura cum sale nitro contudebat, tanto compendio, vt plurium operarum laborem vnius tantùm regentis pueri cura superaret. Noua insuper horrea instituit, ad recondendas omnis generis fruges in vsum tolerandæ famis, si paulò grauius & diuturnius bellum incideret. Magnam quoque vim salsamentorum, tum carnium tum maximè piscium in officinas contulit, quæ nautico more inediam subleuaret. Eam partim ex Paduis, partim ex Illyrici, Dalmatiǽque insulis, in quibus multa piscium captura esse consueuit, pretio parari conuehiq; curauerat. Per id autem tempus Alfonsus neq; à Venetis aliunde occupatis multum est lacessitus, neque ipse eorum fines vexauit, vtpote qui ad maius bellum egregiè sustinendum cuncta sibi maturè paranda atque instruenda prouidebat. Quum in hac ingruentis belli cura atque apparatu versaretur, Nauarrum didicit cum Hispanorũ legionibus ex Apulia per Picenum viamq; Flaminiam in Togatam Galliam peruenisse, Raymundum quoque Cardonium, & Fabritium Columnam subsequi cum equitatu longè omnium qui vnquam Neapolitano regno educti sint, maximo atque ornatissimo. Ad has copias accedere Pontificis cohortes, & vtriusque armaturæ equitum turmas, quæ magno sumptu in agro Romano, atque Vmbria conscriptæ fuerant. Eodem etiam tempore Heluetios duplicatis stipendijs Pontifex per Matthæum Sedunensem Cardinalem sollicitatos, in agrum Mediolanensem descendere, Gallisque ad Mediolanum acerrimũ bellum inferre iusserat. Interim Alfonsus, vt Hispanis transeuntibus ea quæ posset ex transuerso Æmiliæ viæ itinere detrimenta inferret, Bastiæ non longè ab Argẽta præsidium imposuit, custodiamque eius loci Vestidello pagano Insubri, viro fortissimo tribuit, qui nocturnis diurnisque eruptionibus commeatus interciperet, nec quicquam tutum euagantibus declinantibusque à viaho stibus relinqui pateretur. Ea munitio in castelli speciem muro atque aggere circundata, decurrentę́que ad murum Padi fluminis parte quæ Zenoliam fossam effecit, vsqueadeo opportunè apteque constituta erat, vt nisi iusti exercitus vi & labore expugnari posse videretur. Itaq; Nauarrus aliquot suorum militum incommodis excitatus ad tuendam nominis sui famam terrendosq; hostes ad Bastiam defertur, admotisque tormentis murum atque aggeres vehementissimè quatit suo etiam peculiari artificio, quo nomen cuncta expugnantis superioribus bellis fuerat consequutus, cuniculos agit, & subdito ac incenso sulphureo puluere totius munitionis frontem ab imo in sũmam coronam terribili cum fragore excindit, paratq; ab ea parte aditum & ascensum militi.

Nec mora Hiſpani irrumpunt. His magna vi Ateſtini aliquandiu propugnando obſiſtunt, & in aditu hoſtium pugnaciſsimos trucidant, ſed creſcente audacia multarum ſimul cohortium vno impetu irruentium vim neque animi egregiè fortes, neq; dextræ ſuſtinere valent. Contruditur intra aream caſtelli Veſtidellus, fortiterque reſiſtendo, multis ab ſe hoſtium vulneratis, & ſuis vndique cadentibus, quòd vulneribus feſſus arma vix ſuſtineret, accepta fide deditionem facit. Sed vel tutante Nauarro defendi non potuit, quin in conſpectu cũ reliqua eius cohorte trucidaretur. Eò enim atrocius contra militiæ morem deſæuierant, quòd Franciſcus Montaneſius præfectorum longè fortiſsimus in ingreſſu concidiſſet. Huius Montaneſij nobile facinus non ab re erit enarrare, vt eius exemplo milites ad ſpem laudis accendantur. Is ſuperiore anno quum apud Senas in coronis proloquendo Hiſpanorum virtutẽ ſupra omnes gentes cum iactantia verborum extolleret, nec quenquam mortalium Hiſpano habilius & ferocius gladio vti identidem prædicaret: non tulit iniquè atque ſuperbè dictum iuuenis Romanus ex tribu Parrhionia cui Iuliano nomen erat: dixitq; ſe ſingulari certamine & paribus armis, ſi Hiſpanus congredi vellet, oſtenſurum neminem externæ gentis Italo milite meliorem. Hunc generosè & moderatè reſpondentem Itali Hiſpaniique qui aderant, approbarunt: nec ipſe conditionẽ detrectauit, quàm Montaneſius ferebat, vt ſibi quiſque ſocium, & conſortem pugnæ deligeret, & intorta pro ſcuto ſiniſtris manibus lacinia, Hiſpanicis gladijs pro gentis quiſque ſuæ gloria decertaret. Gometium à Corduba notum ſibi & ſpectatæ virtutis gladiatorem Montaneſius aſſumpſit: Nec Iuliano defuit Tiracoxa Tiphernas comiter inuitatus. Conſtituta autem die ad edicti ſpectaculi famam, tota penè Etruria in vrbem Senas confluxit, prætorianaque area exterior (hæc inſignis theatri ſpeciem præbet) à decurionibus pro arena conceſſa eſt. Tantis verò animis, tantisque vtrinque adhortationibus, quum publicum decus in priuatis dextris temerè poſitum videretur, res geſta eſt, vt Hiſpani veterum gladiatorum more depugnantes primi fatiſcerent, & decem & ſeptem patentibus plagis ſuſceptis, quum ex aduerſo nouem tantùm Itali retuliſſent, ſe planè victos, contumelioſeq; loquutos faterentur. Id certamen non celebratum modò eſt omnis ſexus feſtiua acclamatione, ſed eruditè etiam decantatum à poetis, quorũ Etruria feraciſsima ſemper fuit. Non defuit tamẽ Mõtaneſio ſua laus, vel ob id præcipuè quòd diſciplinæ memor, nihilq; feruida ira ſubactus, non ſuæ modò, ſed Gometij ſodalis etiam ſaluti, expeditè & fortiter proſpexiſſet: qua laude celebratus cohortis præfecturam promeruit: ſummorũ profectò ordinum decus inde relaturus, quũ tranſuerſis vulneribus deformatam faciem egregio virtutis teſtimonio præferret: niſi in ingnobili conatu ei Fortuna defuiſſet. Nauarrus per hunc modũ expugnata Baſtia, eundem mirabilium operum ſuorum terrorem hoſtibus aſferens, Bononiam contendit, & caſtris ſub colle poſitis tormenta promouit, quum ad Baſtiam præfectos eximiæ virtutis Saxum Italum, & Forundam Hiſpanum, qui præſidio locum tuerentur, reliquiſſet. Hi diſcedente Nauarro, murum latè diſruptum, nutantemq; aggerem opere militari refecerant, confirmarantque ſe omnibus his rebus atque præſidijs, quæ ſuppeditari è caſtris, vicinarumque vrbium copijs aduerſus vim Alfonſi comparari poſſent. Eum namque amiſſam munitionis arcem, eadem vi qua amiſſa fuerat, repe-

titurum

titurum existimabant. Neque is opinionem hostium diu fefellit: pauciſsimorum enim dierum ſpatio coactis copijs eductisque maioribus tormentis, ad Baſtiam priuſquam ſentiretur profectus eſt. Tanta autem vi maiorum tormentorum murus percuti, quaſſarique aggeres cœpti ſunt, quum intercedẽte latiſsima decurrentis Padi foſſa pedalis diametri pilæ ab vlla parte non ceſſarent, vt Hiſpani coronam deſerere cogerentur, & ſeſe ad hiatum patefacti iterum muri cateruatim cõglobarent, ac irrupturo hoſti armata corpora oppone rent: quòd vineas extruendi reſarciendique hiatus facultatem, temporis exiguitas, & incidentium pilarum metus eriperet. Prodierat in conſpectum hoſtis Alfonſus ſuos hortabundus, eique ad latus erat promptus ad omne militię munus Cetellionus Gallorum nobilis præfectus, quum forte decuſſa vi tormenti arcis pinna, perrupti lapidis fragmen acri percuſſu in caput Alfonſi decidit: quo ictu penè exanimis ſolo proſtratus eſt. Tantum verò abfuit vt milites conſpecto cadentis principis periculo animi impetum remitterent, vt ira & dolore vehementius incitati, longè acerrimos propugnatorum irruendo propellerent, in Baſtiamque cæde latiſsima hoſtium edita perrumperent. Nec fuit quiſquam qui vel ſupplici & proſcienti ad terram arma hoſti parceret, quum quiſque principi ſuo quem ſublatum pro mortuo viderant, & cæſo paulo antè contra fidem Veſtidello, hoſtili ſanguine parentandum exiſtimaret. Forundam & Saxum fruſtra vitam deprecantes eadem vltoris iratique militis rabies abſumpſit. Sed magno caſu accidiſſe videtur, vt Alfonſus, qui victoriæ ſuæ ſpectaculo ad Cetellioni pedeſtratus frui nequiuerit, eius immodicæ & promiſcuæ cædi, inuidiam quæ Gallo vindictæ auido ferè tota incubuit, extra notam effugerit. Cæterùm Alfonſus Argentam delatus, cum ei galea detraheretur, quæ caput vehementer colliderat, tale diſcrimen vitæ adijt, vt vix poſt tres dies ad ſe ipſum memoria incolumi rediret. Interea quum Hiſpani ingenti conatu cuniculis atque tormentis Bononienſibus excidium molirentur, Hiuoque Alegria Gallici præſidij præfectus ægrè murum defenderet, Gaſto Foiſſeius opportunam laborantibus opem tulit. Is dudum Heluetios ad Mediolanum vſque hoſtiliter irrumpentes aliquot minutis prælijs per equites fatigarat, nec minore felicitate quàm ſuperiore anno domum redire coegerat. Eo itaque graui metu liberatis Inſubribus nullam ſibi moram attulit, quin media hyeme Bononiam rectà contenderet, raptato ſecum exercitu per lutulenta itinera, tanta feſtinatione, tantáque imperij ſeueritate, vt pedites tormentorum qua magiſtri per inextricabiles à prælto cœno vias obſtantiaque flumina equeſtrium agminum curſum equare cogerentur. Qua vſus celeritate, & miro ſtudio militum, penè prius à Rheni ponte vrbem eſt inuectus, quàm à ſuis & ab hoſtibus ſentiretur. Eius autem aduentus vix poſtero die ſorte quadam ab intercepto Epirota equite hoſti cognitus effecit, vt is confeſtim reductis tormentis rectà per Æmyliæ viæ ſtratum iter ad Claternæ vicum ſe reciperet. Apparebat enim Gallum pugnæ auidum nihil de ſua celeritate remiſſurum, quin inſtructis ordinibus ad Claternam deferretur. Erat Gaſto minaci ingenio expeditisque viribus ferox, ideoque paratus ad audendum inſigne facinus: ſed Alegria dux vetus feruidi adoleſcentis conſilium alio auertit, vtpote qui ſummæ inſaniæ iudicaret, hoſtem bello acrem, & veteranis legionibus cõfirmatum, & munitis & vallatis in caſtris adoriri. Gaſto itaque

mutato cõsilio, quòd Brixiani per eos dies oppressa Gallorum ala ad antiquã Veneti senatus fidem redijssent, superato Pado per Mantuanum agrum Brixiam iter intendit, haud dubiè vlturus eorum leuitatem atque perfidiam, quũ inusitata celeritate profectionis suæ famam anteiret. Nec properanti Fortuna defuit, quum Paulum Baleonum ex itinere ad Athesim improuisa vtrinque pugna edita profligarit. Hic enim cum iusta manu copiarum à Venetis ad expugnandam Brixiæ arcem mittebatur, nihil tum minus timens quàm vt Gasto sibi obijceretur, quem Heluetiorum irruptione occupatum, nouoque bello apud Insubres distractum esse crediderat. Eo modo victor Gasto Brixiam peruenit, receptusque per arcem, & continuò erumpens, magna pręsidij Veneti & ciuium cæde facta, vrbem miserabilem in modum diripuit, captoque Andrea Gritto legato, Aloysium Aduocatum defectionis authorem securi percussit. Inde septem tantùm diebus ad requiem colligendamque prædam militi concessis, pari celeritate qua venerat ad Hispanos est reuersus. Summa eius consilij erat, vt cum his non iniquo loco congrederetur, vtpote qui de victoria optimè sperandum putaret si astutum hostem apertos in compos procul ab insidijs elicere posset. Id verò facilè accidere posse confidebat, si tormenta Rauennæ mœnibus admouerèt. Hoc maximè probabat Alfonsus, qui valido copiarum suarum agmine, magnoque insignium tormentorum apparatu instructus ad Gallica castra se contulerat. Existimabant enim Marcum Antonium Columnam Rauennæ præsidio impositum, non diu summam vim tormentorum, quin se dederet, egrè speratis auxilijs esse toleraturum. Quòd si Raymundus atque Fabritius opem imploranti, vti promiserant, deesse nollent, & progredi auderent, non defuturam facultatem, quã diu antea optassent, & tum auidè deposcerent, conserendæ manus patentis in campo, vbi grauis armaturæ equitatus, & volitantia citatis curribus tormenta, qua parte virium ipsi plurimum valerent, magno vsui ad victoriam futura censerentur. Nec mora admotis muralibus tormentis, duplici in loco, hinc à Gastone, & illinc ab Alfonso quassatus est murus, tanta vi derasis coronæ pinnis deiectisque propugnatoribus, vt Vascones murum subire auderent, vnaque se cataphracti iuniores dimissis equis irrupturos profiterentur. Hanc enim vt pedestres operam prestarent, Gasto propositis prẽmijs, delectuque firmiorum per alas habito facilè impetrarat. Sed ea alacritas temeritati proxima eum habuit successum, vt densata certatim subeuntium agmina tormentis ab hoste in obliquum latus directis, cumulatis in fossa cadaueribus sternerentur. Nam ab Antonianis ex prominente propugnaculo aptè collibrata ingens colubrina sæpius emissa est. In eo audaci conatu Spinæus præfectus tormentorum interijt, & Cetellionus è Colinea illustri familia, multisque bellis dux inclytus mortifera ictus glande prælio excessit. Hunc morientem Alfonsus multis sibi nauatæ operę officijs coniunctum luxit, quem Gasto quoque importuno tempore sibi ereptum magnis laudibus graui totius exercitus cum dolore prosequutus est. Hoc tanto tormentorum fragore continentique reboatu exaudito, hostium duces suę dignitatis esse statuentes, vbi antea prolixè promiserant laboranti Antonio opẽ ferre, extemplò progredi aduersus hostem decernunt, propiusq; Rauennã castra mouent. Nec Gasto exoptatæ atq; exploratæ occasioni deest, administrantecq; Alfonso tormenta raptim reducta,

reducta,& caſtra extra vrbis conſpectum,ne cum ancipiti hoſte res foret,promota ſunt.Iam enim Pontificij Hiſpaniq; duces appropinquare,& ab antecurſoribus Gallis eorum vexilla conſpici nunciabantur: quũ Gaſto fatali ſuo immoderatæ fortitudinis ardore concitatus in hoſtes ſigna conuerti iuſsit.Certatum eſt ad periclitandas vires leuibus prælijs continenter per integrum diem, quibus ſe multa quæ ſibi vſui forent, colluſtrando oculis ſolertiſsimè notauit, ſic vt flumen vado transire,& ſigna conferre non dubitaret. Itaque ſacro die quo Chriſtus ab inferis reſurrexit,pugna omnium longè cruentiſsima,victoribusq; pariter & victis funeſta inter memorabiles eius ſeculi commiſſa eſt.Alfonſus cum Normanniæ Siniſchalco primæ aciei præfuit. Hæc cum extenderetur ſiniſtrum cornu efficiebat.Mediam autẽ Gaſto ſic tenuit,vt Alegria moderante conſiſtenteq; ad ſigna,ipſe expeditus ad imperanda quæ opus forent circumferretur,& ſuos lingua & armis,bellandiq; artibus diuerſos hortabundus inſtrueret.In poſtrema autem fuere varij duces.Hoc ordine Caſto,Hiſpanis nihil prohibentibus quin Galli pedites vado, Germani verò carris flumen ſine perturbatione tranſirent,exercitũ traduxit.Id flumen antiquis Vitim dictum,Raueñates Aquaduſſam hodie vocant, quod recepto Roncho amne in Padum euoluitur.Prælium itaq; tormentis vtrinq; cum terribili tonitru ſtatim emiſsis iniri cœptum eſt,ea quidem alterna ſorte,vt Gallicæ pilæ hoſtium equitatum horrenda ac ineuitabili clade illata proſternerent, Gallorum autẽ peditatus ab hoſtilium tormentorũ iteratis ſæpe ictibus graue fœdumque viſu detrimentũ acciperet,quum ingentes globi ferrei confertas legiones atq; integras alas equitum miſerabiliter proſulcarent,diſiectisq; per aera galeatis capitibus,ac cæteris equorum & hominum ferro contectis artubus,certam perniciem integris ordinibus afferrent. Tum enim Alfonſus re multũ ante prouiſa,atque opportunè adminiſtrata, lato verſus mare flexu capto,peculiaria ſua tormenta edoctis aurigis & libratoribus, in terga lateraq; hoſtium direxerat, tantoq; ſtudio & properantia pilas contorqueri iubebat,vt non in hoſtes modò,ſed etiam in ſocios hoſtibus permixtos nonnunquã iacerentur. Obidque quum à quibuſdam admoneretur,vt tormenta ſuſpenderet,& loco mutare vellet,ne quum enixius ac ardentius hoſtẽ feriendũ duceret,ſocijs etiam vel inuitus promiſcuam cladem afferret.his tanquam intempeſtiuè interpellantibus, ſeuero ardentiq; ore reſpondebat,bono non ineptoq; duci expedire,vt dubio paucorum periculo certa de hoſte victoria peteretur,proinde defortuitis ſuorum caſibus tantopere ſolliciti eſſe deſinerent,vnamq; tantùm victoriã reſpicerent,quæ læui momento,ſi ceſſarent,corrumpi atq; interpellari facilè poſſet. Ferunt nõnulli,Alfonſum,vt ei odium apud externos conflarent, hęc quoque verba ſubieciſſe:dirigite igitur mei libratores liberè atque celeriter quando in vtrumque ex profeſſo Italici nominis hoſtem nullo errore pilas adigetis. Quę verba in externos generoſa atq; Italica libertate prolata, non ſemel ei inuidiã excitarunt,quum Molardus,& Mongironus Vaſconum peditum ſummi duces iam permixti hoſtibus,& aliquot ex equitatu ſigniferi iam manus cum hoſte conſerentes ab eius tormentis aut ſtrati eſſe,aut graue incommodum accepiſſe dicerentur. Sed hæc falsò ei affixa ab inimicis fuiſſe crediderim, quandoquidem mihi de hac re ſeriò percunctanti, totum id ſæuè dictum ingenua fronte pernegaſſe viſus ſit. Cæterùm Alfonſus poſt emiſſa diu tormenta, cum cataphractorum familiarium globo in perturbatam hoſtium aciem

inuectus, in Fabritium Columnam incidit, qui ſtratis & diſſipatis alarijs ſuis circumuentus & vulneratus vndique gladijs & ſecuribus pertundebatur: quo conſpecto (erat enim vti magiſter equitum auro & purpura conſpicuus) accedens, Romane, inquit, ne te cędi permitte, agnitaq; prælij Fortuna te mihi dede. Ad quod Fabritius: quinam es tu qui me agnoſcere videris, & vt me dedam adhortaris? Tum ille, Alfonſus Ateſtinus te compellat, nihilque timere iubet. Audita voce Fabritius, vel inuitus, inquit, generoſo libenter me dedo, modò Gallis antiquis hoſtibus meis non dedar. In id ſublata manu Alfonſus fidem dedit, ereptumque è media cæde Ferrariam perducendum curauit. Hęc deditionis verba ab vtroq; eorum non ab re didicimus: nam poſtea ſis magna de Fabritio exorta eſt, Gallis eum authore Palicia depoſcentibus, tanquã ille propter eius dignitatem Regij iuris & arbitrij captiuus foret. Sed Alfonſus in præſtanda fide egregiè conſtans, eas parum æquæ petitionis obteſtationes contempſit & penitus eluſit. Interim Nauarrus qui ſuos pedites, prona humi corpora ſternere iuſſos, vt præteruolantes pilas euitarent, ſerò conſurgere iuſſerat, & totius ferè equitatus fœdum interitum ſpectarat, inito acri certamine captus eſt. Quo caſu prima eius legio, hinc à Germanis, & illinc ab equitatu conciſa protritaque fermè tota interijt. Secunda tamen infracto animo egregiè conſeruatis ordinibus quanquam amiſsis ferè omnibus præfectis & centurionibus, repugnando conſtantiſsimè ſe recepit. Iam horribilis equorũ atque hominum ſtrages ex omni parte erat edita, captusque fuerat ante alios Ioannes Medices Cardinalis legatus, & Piſcarius vniuerſæ leui armaturę equitum præpoſitus, deletis magna ex parte alarijs ſuis, inter cadauera ſemianimis repertus ſe dediderat, quum eandem Fortunã tuliſſet amiſſo oculo Padulius è gente Cardonia mediæ aciei præpoſitus. Vexilla quoque Pontificis regisque Hiſpani ſtrata erant, & Raymundus Imperator cum Antonio Leua, & Reſtannio Cantelmo deſperatis rebus cladem effugerat, & Caruaial poſtremę aciei dux, retro conuerſis ſignis intectus Ceſennam ferebatur, quum Gaſto planè victor immodica delẽdi hoſtis cupiditate impulſus in recipientes ſe per aggerem Hiſpanos pedites impetum fecit, ibique aliquot ſua manu cædens, acim temperanter perſequens, ab noua manu hoſtium quæ fugiens legioni ſe coniungere properabat, circumuentus atque interfectus eſt. Miſerabili certè caſu, quum ſummę indolis & Fortunę Imperator à gregarijs paucis & fugientibus occideretur. Nemo enim, vel nomen profitenti, & ſe Hiſpaniæ Reginæ fratrem ad impetrandam vitam ſæpe dicenti parcendum putauit, aut è ſuis maturam opem tulit. Lotrechius tamen iuxta eum, qui poſtea præclarus extitit Imperator, poſt multa accepta vulnera ſeruari meruit pietate Aloiſij Hiſpani centurionis, cui Gordo, hoc eſt præpingui, cognomen fuit. Ad occiſi autem Gaſtonis famam excita eſt apud victores Gallos inuſitatæ vindictæ libido: nam in vulneratos & captiuos paſsim vitam ſupplicitèr petentes, atrociſsimè ſæuitum eſt, his fœdis cædibus præcipuè intentis, qui præfectos commilitones amicos amiſerant, & tanti Imperatoris atrociter interfecti manibus hoſtium corpora immolanda eſſe cenſebant. Deſiderati ſunt Germanorum præfecti fermè omnes, & ante alios maximè celebres Iacobus Emper, & Iuncher Fabius, itemque Lincius puſilli quidem corporis, ſed ingentis animi Dux, & Philippus Germanobelga qui dudum Brixiæ deſeuiẽdo ſupra

modum

modum efferus & immanis euaſerat. E Gallico verò peditatus præter ipſos Molardum & Mongironum, veteris militiæ inſignes ceciderant, Agramontius Aquitanus, & Bouetus Brito, Bardaſaniusq; Ferrerius Allobrox, cum ſigniferis omniũ propè cohortiũ. At Alfonſus vbi certius de Imperatoris morte cognouit, tormentis hoſtium in poteſtatem redactis, communicatoq; conſilio cum Cardinale Sanſeuerino, & reliquis ducibus, receptui cani iuſsit, eoque maturius, quòd Alegria, ad quem Imperium virtutis nomine ac ętatis honore pertinebat, magno caſu cecidiſſet, dum Viuerroo filio ab hoſtibus exaggere in amnem deturbato pereunti q;, ſeram opem ferre conaretur. Exinde Alfonſus victoriæ partæ conditiones inſpexit, captiuisque recognitis, & ſaucijs omnibus promiſcuè inſignem adhibuit curam, vt nihil deſiderarent. Cęſorum autem inſignium procerum cadauera toto campo legi deuehiq; Ferrariam præcepit, vt inde exenterata, & multo condita aromate in Galliam ad gentilia maiorum ſepulchra auecherentur. Sed hæc poſtea quàm Rauennates aduerſo ſuorum prælio perculſi, excedenteque præſidio ſe dedentes, contra ipſorum ſpem ab iratis Gallis cæſi direptique fuere. Tanta autem iracundia atque auaritia in miſeros eſt deſæuitum, vt Vaſcones, atque Germani, neque vlli ętati, neque vllis templorum donarijs parcerent, quanquam in eo tumultu Alfonſus ante alios vrbi miſerè pereunti, quãtum authoritate valebat, piam opem ferre properaret. Is quum recenſeri copias iuſsiſſet, ſupra dimidiam Gallorum militum partem cecidiſſe reperiebat, præter innumerabilem calonum & lixarum turbam. A captiuis autẽ ex numero inſignium procerũ nomina ſupra vigintir efe rebãtur, inter quos fuere Romani ſanguinis Ioannes Contes, & Ianus Capoccius, duoq; Bononienſes germani fratres è Pepula familia Cornelius atq; Romeus, & Raphael Pactius nobilis Florentinus. Ex Hiſpanico quoque exercitu occubuere Ioannes Cardonius Auelini Regulus, Hieronymus Glores, Didacus Quignonius, & Alberadus, itemque Petrus Cunius, et Caſanoua, opulentis Rhodiæ militiæ ſacerdotijs inſignes, & Corbellanus qui primum in exercitu ſummi imperij vexillum deferebat. Petrus etiam Pacæus Gibber, qui ſub magno Conſaluo præclara olim cum laude militarat. Ex Africanis verò legionibus quum longè promptiſsimi quiq; interfecti eſſent, inter eos Punicis bellis clari numerabantur Zamudius, & Samanecus, & ſecundum hos facilè primores Iaymes Diecius, Ioannes Nauarrus, et Didacus cognomẽto Paneaqua, cum eoque Clauesius, & Arcteta Cantabrorum pugnaciſsimi. Ab hac tanta victoria Alfonſus inſigni prudentia, ęquo ſibi tempore & aduerſarijs periniquo pacem ab irato Pontifice petendam iudicauit, ratus eam honeſtis conditionibus, & dari, et accipi poſſe, quòd molliorem proniorem que ad id Iulium ſe inuenturum ſperaret, vel ob id maximè quòd ſupra amiſsi exercitus detrimentum, multo metu grauiq; periculo circumuentus eſſe videretur. Nam ab eo ad Gallos defecerant Romani proceres, Pompeius Columna & Robertus Vrſinus, et cum his Petrus Marganius turbulentę iuuentutis princeps, vſque adeò immani ſceleſtoque conſilio, vt accepta à Gallis ſtipendij nomine multa pecunia ſacroſanctum Pontificẽ Vaticano, atque vrbe Roma exturbare, Regnumque Neapolitanum inuadere cogitarent. Itaque Alfonſus per Fabritium Columnam quem in libera cuſtodia Ferrariæ habebat, ſolerter egit, vt non iniqua conditione ſibi parceretur. Erat enim ad id munus implẽdum Columna

facilè idoneus, vti vetere amicitia, & affinitatis neceſsitudinem Iulio coniunctus. Sed eam rem per ſequeſtres pacis aliquot Senatores aliquandiu actitatã, nouæ victoriæ nuncius interrupit. Heluetij nanque rurſus per Matthæum Sedunenſem Cardinalem excitati, coniunctiq; Venetis copijs, per Tridentinas alpes in Italiam deſcenderant, depulſisque Atheſi, Ollio, Abduaque amnibus Gallorum copijs, Paliciam nuſquam congredi auſum vrbe Ticino cum non parua cæde expulerant, fugientemque demum vltra Padum Italia excedere coegerant. Quibus ſecundis rebus Pontifex abundè confirmatus atque exhylaratus, eo mitiore aure Alfonſi preces audijt, quòd authoritate Proſperi Columnę Pompeius reſtituta pecunia ad officium redijſſet, & Vrſius atque Marganius pudore, multisque amicorum obteſtationibus adductiq; muneribus ab incœpto deſtitiſſent. Alfonſus igitur præclarum probitatis atque prudentiæ ſuæ ſpecimen daturus, fidem dante pollicenteque Fabritio Romam venit. Eum verò ſupplicem, & grauiter pro ſua cauſa perorantem Pontifex ſic admiſit, vt non dubia lenitatis & clementiæ ſigna vultu & alloquijs præbere videretur. Sed eum raro oblatum exercendæ clementiæ ad eximiam laudem fructum vir alioqui generoſus decerpere neſcijt, deprauante eum Alberto Pio Carpenſe ſummæ authoritatis conſiliario, qui priuatæ litis ac iniuriæ memor, & publici commodi facilè oblitus, capitales inimicitias ab antiqua de Carpo oppido contentione indomitus cum Alfonſo exercebat, ſic vt in arcano Pontificis conſilio Alfonſum tanquam impiè rebellem pace & venia indignum diceret, eumq; vel neglecta Fabritij fide omnino comprehendendum ſuaderet. Sed id facinus ſupra decus ſacroſanctę perſonæ fœde conceptum diu tegi non potuit, quin per Ludouicum Aragonium Senatorem Alfonſi propinquum ad Columnios emanaret. Quo graui nuncio ex imminenti contumelia vehementer perturbati Fabritius & M. Antonius promptiſsimorũ clientium manum ſibi fidam compararunt, noctuque Alfonſum vrbe Roma, vi territis expugnatisque cuſtodibus Lateranæ portæ (hæc Aſinaria quondam fuit) incolumem ad Marinum ſuæ ditionis oppidum deduxerunt. Eum poſtea paſsim diuertentem per Latina oppida, & ex tuto latitantem Proſper Columna ſuſcepit. Is Raimundo copias reparanti collega erat datus, ductabatq; exercitum in Galliam Ciſalpinam aduerſus Venetos. ab hac profectionis occaſione peropportunè euenit, vt Proſper qui Fabritij patruelis fidem, & familiæ decus religioſè tuendum rebatur, Alfonſum modò gregarij equitis, modò lixæ, aut venatoris, cucullatiq; nonnunquam ſacerdotis habitu in tutum perduceret, fruſtra eum depoſcente quæritanteq; Iulio, qui ad eum agnoſcendum perquirendumque pleroſque miſerat exploratores, principe eorum Antonio Saxetano, cuius ille aſpectum & diligentię fidem ſemper eluſit, emenſoq; feliciter itinere paucis cognitus Ferrariã peruenit. Nec Iulius vel natura iracundus ab eius impotentis facti contumelia, quanquam vehementer angi & fremere videretur, quicquã in Columnios proceres equo ſeuerius decreuit, aut Alfonſum quẽ ſibi ad pedes in ſpem veniæ proiectũ viderat, nobili quodã pudore exorto, quòd generoſè parcere ſubiecto neſciuiſſet, armis vlterius vexauit. Vir ſiquidem decoris appetens, quo famã latè extenderet, abundè cum nomini ſuo, tum Pontificię dignitati ſatisfactum exiſtimabat, quòd Gallos reducto in paternum Regnũ Maximiliano Sfortia vltra alpes pepuliſſet, in eosq; domi Britãnica arma

concitaſſet,

concitaſſet, ac eiectis iterum Bentiuolis Bononiam recepiſſet: quo etiam rerũ curſu Hiſpani Ioannem Nauarræ Regem Gallicas ſecutum partes, totius Cantabriæ Imperio deieciſſent: ac obiter multò maximè lętaretur, quòd de Florentinis concilij Piſis indicti iniuriam egregiè vindicatam videbat, quum eius auſpicijs Hiſpani, qui duce Cardonio reparatis copijs in Ethruriam deſcenderant, Ioannem Medicem in patriam paternumque ciuitatis principatum Soderino eiecto reduxiſſent. Ipſe enim Medices Cardinalis cum in Gallia captiuus traheretur inſigni beneficio Rainaldi Zatij Ticinenſis Patritij ad Padi traiectum, vi repente facta in cuſtodes Gallos ereptus, Bononiam peruenerat, & ad cumulandam totius victoriæ felicitatem, Ligures exactis vrbe Genua Gallis ſeſe in veterem libertatem opportunè vendicarant. Quibus rebus geſtis Iulius libertate Italiæ titulum ita prætulit, vt eum paſsim inſcribi nullo adulantium pudore pateretur. Sed tamen libera vox Grimani probi Senatoris á Iulio audita eſt, titulum tanquam inanem irridentis, quando magna atque opulenta Italiæ pars, demonſtrato Neapolitano Regno, Hiſpanicum iugum perferret, ad quod Pontifex quaſſato Scipione quo innixus pauimentum infrendendo pertundebat, reſpondit breui futurum, vt Neapolitani non iratis ſuperis externum iugum excuterent. Heluetiorum enim præſtanti ſtudio, inuictoque eorum legionum robore fretus, Alfonſum Federici Regis filium, contra ius gentium Tarenti captum, & cuſtoditum in Hiſpania, depoſcere, reſtitueręq; in paternum Regnum, non iniqua Ferdinandi Regis conditione cogitabat. Hæc ingenti animo, verùm ægro corpore cogitantem diuturnus fluentis alui morbus intercepit, eiq; Cardinalis Medices inſigni conuertentis ſeſe Fortunæ ludo, iuniorum ſuffragijs, Leonis decimi nomine deſumpto, ſuffectus eſt. Ad eum creati Pontificis nuncius Alfonſus magnopere lætatus eſt, quòd pro acerrimo, eoque ſemper inquieto & indomito Pontifice, alium clementis animi mitisq; naturæ renunciatum videbat, à quo veterem gratiam & honorem quo fuerat ſpoliatus, adipiſci poſſe ſperaret: quando ille ortus familia non modò nobili, verùm cunctis etiam eximiæ virtutis numeris per totum ferè terrarum orbem celebrata, Leonis nomen vſque adeo illuſtri iudicio deſumpſiſſet, vt præclarè profiteri videretur, nihil ab ſe niſi maximè æquum piumq;, & generoſæ clementiæ laude digniſsimum ab omnibus ordinibus expectari debere, vtpote qui iniuriarum omnium & veterum offenſionum obliuiſci vellet & quod publicæ tranquillitatis intereſſet, pro turbulento rerum ſtatu, ſecus ac Alexander & Iulius ferreæ tempeſtatis Pontifices, læti tandem ocij, aureæque pacis ſeculum condere cogitaret. In hanc ſpem Alfonſus benignè vocatus ad præſtandum ſui muneris officium (erat enim antiqua dignitate vexillifer) in Vrbẽ venit. Nam ingenti apparatu nouus Põtifex ad xi. diem Aprilis ſe triplicis coronę thiarã in Laterano tẽplo ſumpturũ edixerat, vt is dies qui ex clade prælij Rauennatis ſibi valde ater extiterat, eo circumacti anni curriculo commutata Fortuna, in candidum atq; lętiſsimum verteretur. In ea autẽ pompa quæ á Vaticano in Exquilias perducebatur, Alfonſus de more paludatus Põtificij Imperij vexillũ geſtauit, applaudentibus ei Vrbanis tribubus, quum quiſq; ſummũ ducem ex recentiq; victoria clariſsimũ, os illud probum & verè militare prę ferentẽ internoſcere cuperet. Pontifex quòq; eodẽ ipſo albo equo vehi voluit, in quo Rauẽnę captus fuerat. Cęterùm ſecundum id editũ ſolennis

pompæ ſpectaculum, quò ornatius & auguſtius ſeniorum recordatione in Vrbe nemo viderat, Alfonſus non leuem pro gratia offenſionẽ retulit, quanquam ingentibus promiſsis, benignisque officijs oneratus ſummo in honore apud Pontificem, Senatoriumque ordinem haberetur. Iulium enim paulò antè quàm vita excederet, adhortante ſuadenteque Alberto Pio, aſtantes ad lectulum Cardinales magnis precibus obſecraſſe reperiebat, vt vrbem Mutinam deprompta ex ærario pecunia per ſucceſſorem à Cæſare coemendam curarent, quoniam Cæſarem tenui ſemper ærario inueterata benignitate promiſcuè largiri ſolitum, vel non multo auro de ea vrbe facilè tranſacturum putaret. Pertinebat enim ad amplitudinem Pontificij imperij, & dignitatem cum opulentia coniunctam, parari expeditum iter, & nuſquam inſinuatis alienæ ditionis finibus interciſum, ab Vrbe per Flaminiam atque Æmiliam ad Padum. Hoc autem quærebat Albertus cum Reipublicæ ſtudio, tum capitalis in Alfonſum odij cauſa: vir nanque ſuopte ingenio peracutus & grauis, miram in defeſſo vigore facundiam ad impellendos quò vellet animos afferebat, vt non immeritò inter paucos ſapientes virtutis & doctrinæ nomine cenſeri poſſet, ſi Ferrarienſis odij cauſam amoueres, quæ proculdubiò, & publicam Vrbi calamitatem, & priuatam ſibi perniciem non ſero rerum exitu peperit. His tum honeſtis prouectus artibus, vti anteà Iulio, ita Leoni expetitus adhæſerat. Nec mora, quòd ipſe Cæſaris in Vrbe legati munus impleret, facilè prolata pecunia diſtrahendæ vrbis aſſenſus à Cæſare eſt impetratus, abnuente quidem tergiuerſanteque Videfruſto, qui magni quæſtus præfecturam ea venditione ſibi eripi egreferebat. Sed eum dolo aptè compoſito Rangonij patritij extra arcis pontem ſimulatione grauioris alloquij euocatum pellectumque comprehenderunt. Atque ita Videfruſtus ſe proditum fruſtrà querens, & arcem & vrbem Pontificijs reliquit. Qua in re Alfonſus, quum eadem pecunia, quæ non erat multa, & Cęſarem & Videfruſtum aggredi ſtatuiſſet, maiores omnino ad recuperandam vrbem difficultates ſubortas prouidebat, nullam præſertim ſibi fidelis operæ ſpem præbentibus Rangonijs, qui primæ defectionis nequaquam obliti, metu pœnæ nihil pro ſe commutata voluntate tentaturi viderentur. Verùm Alfonſus vbi Ferrariam eſt reuerſus, erexit rurſus animum in ſpem recuperandæ ditionis. Didicerat enim Ferdinandum regem occultè cum Ludouico pacem mutuis commodis ſeruituram, ea conditione pepigiſſe, vt Hiſpanus de retinendo confirmandoque Cantabriæ regno ſolicitus, Gallis permitteret, vt Mediolanum armis repeterent, hisque Hiſpanorum copias, quæ tum erant ad Trebiam amnem, eo bello nuſquam obſtituras promitteret. Nemini ſiquidem dubium erat, quin Sfortia ſolis innixus, atque his valdè ambiguis Heluetiorum auxilijs, ad primum Gallorum impetum Mediolano pelleretur, quo demum pulſo Galli eodem tenore victoriæ Placentiam, Parmamque reciperent, qua vicinitate amiciſsimi Regis paratis veluti opibus ſubleuari poſſet, vt Rhegienſes & Mutinenſes ad vetus Ateſtini Imperij ſtudium reducerentur. Sed eam opinionem aduerſus Gallici belli exitus inopinatè fefellit. Nam Triuultius atque Tramulius ſummi Gallorum duces, qui cum magnis copijs alpes tranſierant, in vrbeque Nouaria Sfortiam obſederant, improuiſa Heluetiorum eruptione caſtris exuti profligatique ſunt. Hoc inexpectato nuncio Alfonſus eò grauius affectus eſt, quòd Leo

Pontifex

Pontifex pecunia in ſtipendium Sfortiæ præbita, Placentiam & Parmam lubentiſsimis ciuibus recepiſſet. Has enim vrbes Sfortia ab ſe moriente Iulio occupatas, repentino terrore Gallico & Venetis armis circumuentus, deſertúſque ab Hiſpanis, Pontifici certa tranſactione reddiderat, ſcilicet vt ab eo præſenti pecunia iuuaretur: qua celeriter impetrata ſe ſaluum & incolumem, móxque etiam victorem euaſiſſe confeſſus eſt. Nam Veneti ad Nouarienſis pugnæ famam relicta Cremona finibus ſtatim exceſſere: & Adurnij, qui pulſis Fregoſijs Genuæ dominatum vti Gallorum clientes inuaſerant, vrbe exacti ſunt: quòd omnibus terribile eſſet Heluetiæ virtutis nomen. Eo ſiquidem tempore ſe defenſores Pontificiæ libertatis, Sfortianæ domus patronos, & Gallorum hoſtes profiteri erant ſoliti. Nec deerat Rex Britannus qui Galliam vehementi bello quateret, quum in proximam Morinorum continentem cum ingentibus copijs traiecturus eſſet, ſic vt Alfonſus non temere de Ludouici regis periculo timere cogeretur, in cuius potentia amicitiaque conſeruandi & recuperandi Principatus ſummam ſpem repoſuiſſet. Verùm hos, & qui poſtea in Gallia ſucceſſere aduerſi belli euentus, Alfonſus ſingularis grauitate conſilij ita pertulit, vt nihil ſua veterè ſpe dejceretur. Natura enim longanimis & infractus patientia gaudebat, & quas tempus afferre poſſet moliendarum rerũ occaſiones, inueterata prudentia, multaque firmitate iudicij nuſquam à ſe diſcedens, & intentus expectabat. Nec multis inde menſibus Ludouicus amiſsis duabus Belgicis vrbibus, & Scotorum rege belli ſocio à Britannis interfecto, pulſisque ad Ghingatam totius ferè Galliæ equitibus, ab Henrico victore pacem ea conditione impetrauit, vt Maria Henrici ſoror in matrimoniũ ducere tur. Verùm eius initæ pacis & inſtituti ad Italicum bellũ apparatus lætitiã apud Alfonſum minimè diuturnam Ludouici mors ab his quæſita nuptijs magnopere perturbauit, quòd noui belli quo rurſus Italia peteretur, ſpem omnem morte regis intercidi, & certam propè victoriam interpellari exiſtimabat, ſuffecto præſertim in regnum Franciſco genero planè iuuene, nec dum pubeſcente, quem vel ſoceri diſciplinæ & virtutis æmulum, noui diadematis, & tantæ acceſsionis Fortunam circumſpectantem, & ætas prona ad voluptates mollioraque conſilia, & æqualium amicorum adulationes à cogitatione grauiſsimi belli facilè diuellerent. Verùm cuncta ſecus acrebatur maximè læta & ſecunda mox euenerunt. Nam Franciſcus mirifica voluntate hiſdem propè quibus ſocer ad parandum decus ſenſibus innixus, ardentiſsimè bellum ſuſcepit, tranſgreſſusque alpes Heluetios Maximiliani Sfortiæ cauſam acerrimè defendentes ingenti periculoſoque prælio iuxta Mediolanum debellauit, quo victoriæ prouentu Parmam obiter atque Placentiã vti maximè cupiebat Franciſcus concedente Leone veteri ſuo inſubrum Imperio adiecit. Pontifex enim Etruſcis rebus magnopere timebat, quum rex iuuenis, partæ victoriæ gloria elatus, confirmatusque Venetorum & Ligurum ſocietate, ſi Padum traijceret, non Etruriam modò, ſed Romam atque Neapolim inuaſurus crederetur, incitatus præſertim adhortationibus Liuiani, qui tum Venetis exercitus Imperator Regi aderat. Hoc quoque probabat & ſuadebat Alfonſus, vtpote qui eodem victoriæ curſu à Gallis cuncta perrupturis ſecundum Parmam atque Placentiam, Rhegium & Mutinam recipi inſigni ſuo commodo poſſe ſperaret. Non deſtitit tamen quin per regem ageret cum Leone in Bononienſi col-

loquio, vt aliqua omnino tolerabili conditione, certa præsertim oblata pecunia, suas vrbes redimere niteretur. Qua in re duriorem æquo Pontificem expertus conquiescere domi statuit, seduloque explorare ex euentu rerum occasiones, quibus inuitatus noua inire consilia suasque vrbes repetere ex tuto posset. Eo autem bello quod biennio post admodum vehemens in Vmbria exarsit, Francisco Maria Feltrio Vrbinum vnde Pontificijs armis eiectus fuerat repetente, Alfonsus Feltrium arcta propinquitate sibi coniunctum ea moderatione adiuuit, vt Pontificem nequaquam grauiter offenderet, quum Feltrius in Ferrariensi agro copias coegisset. Sequutum demum est illud tempus quo post mortẽ Ferdinandi regis, & aliquanto post Maximiliani Cæsaris, ingens libido Gallorum animis incesit inuadendi Neapolitani regni, quòd Venetos & Ligures copijs & classibus sibi affuturos scirent, neminemque speratam victoriam moraturum arbitarẽtur, si Pontificem in societatem pertraherent, à quo beneficiarij iuris nomen ac authoritatem, & pacati itineris per Romanos fines fidem acciperent. Duobus enim summæ virtutis & nominis defunctis auis regibus succesisse Carolum nepotem adolescentem, quem ægrè Hispaniæ atque Germaniæ vires expediturum credebant, quibus terra, marique Neapolitani regni possessionem tueretur. His initis consilijs Galli indignum amicitia Alfonsi facinus non sine læsæ fidei aut læuitatis infamia addere cogitarunt, misso ad Leonem ex ordine scribarum Ioanne, cui Sanctomarcello nomen fuit, qui ingentis præmij pollicitatione Pontificem ad ineundum fœdus impelleret. Promittebant enim se deserturos Alfonsum, neque vlla in re adiuturos, si Ferraria tanquam Pontificij iuris ciuitas Mediceis armis peteretur, sic vt chirographo hanc pactionem confirmare non dubitarent. Qua Gallorum stipulatione Alfonsus mediocre rerum suarum periculum adisse visus est. Nam ferebant Leonem postquam Vrbini, & magnæ partis Vmbriæ dominatu erat potitus, aucta crescenteq; proferendi Imperij cupiditate, Ferrariam quoque Laurentio fratris filio destinasse. Cæterum Leo qui irruptiones Gallicas cum Italiæ, tum domi suæ certam perniciem attulisse meminerat, in diuersum consilia vertit, & Sanctomarcellus in Galliam re infecta est reuersus. Hæc cum Alfonsus Romæ actitata, & chirographo confirmata rescisset, id totum singulari prudentia dissimulauit, deditq; operam per idoneos proceres, legatosque suos, vt veteris clientelæ suæ gratiam cum rege confirmaret: quod adeo benignè rex præstitit, vt generoso cum pudore eius rei suspiciones diluere, excusareque legati temeritatem prolixè niteretur. Fuere qui existimarent in eo negocio egregia simulatione vtrinque verba data: Leoni quidem vt ad percutiendum fœdus alliceretur: Gallis porrò, vt Pontifex propinquorum suorum animos spe distineret, quòd immoderata percuperent, quæ sine labe religionis, & graui sui nominis infamia concedi non possent. Sub id tempus Alfonsus Hippolytum fratrem Cardinalem amisit, graui Atestinæ domus incommodo, quòd sacerdotiorum honores, & opimi redditus Alfonsi liberis tanquam hæreditate destinati, improuisa eius morte deperirent: & vir efficaci ingenio validus & acer, peritusq; rerum bellicarum atque ciuilium, nondum recuperata ditione properante fato esset ereptus. Fuerat aliquandiu Romæ apud Leonem in aula frequens, vt Pontificem parum amicè de re Atestina sentientem præsens coleret, officijsque molliret, dum senatorio suo munere fungeretur.

fungeretur. Reuersus autem Ferrariam post aliquot menses in febrem incidit, initio lentam, successu verò atrocem atque mortiferam, vt tum credebatur accersitam immodico esu scillarum cancrini generis, & plenioribus subausteri vini in suprema cœna poculis, sic vt paucis diebus vitæ ætate integra, & corporis habitu firmissimus, tota facie & spiritu collaberetur. Pauci ciuium præter vnum Alfonsum veris lachrymis elatum luxerunt, cùm plerique eum odissent tanquam sæuum, impotentem, superbumque dominum, & sæpe fraterni imperij munia vsurpantem. Quibus moribus eo grauior ciuibus & familiaribus apparere erat solitus, quando in Principe Alfonso clementiæ, moderationis, ac humanitatis præclaræ laudes spectarentur, vsque adeo confirmata popularí opinione, vt nisi Cardinalis recondita ira ferox & implacabilis obstitisset, omnino fratribus captiuis vel immane facinus ausis, concessa libertate parsurus esse crederetur. Per legatos autem à Pontifice impetrare non potuit, vt vrbis Ferrariæ episcopatus filio suo concederetur, excipiente illum Ioanne Saluiato, qui Leonis sorore erat genitus, itemque Nicolao Scombergo viro Germano Antistite Capuæ renunciato, qui à secretioribus consilijs Iulio Medici Cardinali operam nauabat. Defuncti verò suppellectilem, totumque opulentæ domus apparatum Gazæ regiæ parem, Alfonsus pensili ponte constructo ex fraterna episcopalí domo in aduersum prætorium illico transferri iussit, ne tantæ opes ad inuidiam populi oculis notarentur. Nec de ea re Pontifex suo iure sacerdotum spolia in fiscum referre solitus, quicquam petendum existimauit, ne conceptum odium quod postea erupit in Atestinam domum, altius atque detectius enudaret. Altero autem anno post mortem Hippolyti Cardinalis exortum est bellum inter Franciscum Regem, & Carolum Cæsarem apud Belgicas Eburonum vrbes, quo nullum vehementius ac diuturnius hac ætate vidimus, renouatis scilicet veteribus odijs, & nouis peropportunè excitatis: propterea quòd nuper apud Germaniæ proceres de creando Cæsare Imperatore comitia habentes, Franciscus Rex peracrem se æmulum & competitorem ostenderat, vt imperatoriæ dignitatis honos à Carolo Magno olim illustratus, ereptusque demum à Germanis, æquitate quadam Gallicæ nobilitati redderetur. Verùm hæc duorum candidatorum contentio eum habuit exitum, vt suffragatores Gallico coempti auro, victiq; pudore patriæ datam fallendo fidem, Carolum tanquam Germanici sanguinis enixissimè subleuarent, & Rex Gallus sua opinione deceptus repulsam ferret. Ab his offensionibus vtrinque facilè ad arma descensum est, tanta auiditate, vt Germani Robertum Sedanium in Eburonibus Gallicas sequutum partes, bello persequerentur, & Galli vltra Pyreneos montes ad recuperandum Cantabriæ regnum in Hispaniam vsque intestino deflagrantem bello promouere auderẽt. Itaque detectis odijs, & cœpto bello, vterque Leonem Pontificem in societatem noui fœderis ascíscere contendebat. Sed Leo duabus præcipuè de causis Cæsari adhæsit, quarum præcipua fuit, quod malignitate Lotrechij Gallicis copijs instructum fuisse Feltrium, conflatumque sibi inde periculosum bellum in Vmbria rebatur. Altera verò quòd in spem veniret, bello eo recuperandæ Placentiæ, Parmæque: quas vrbes cum magna gloria à Iulio partas, ipse demum probrosa suorum socordia, & sua infami pactione turpiter amisisset. Huius autem concepti belli consilium vsque adeo astutè Leo suppresit, vt

in ſpeciem diuerſi animi, ad fallendos Gallos conduceret Heluetiorum quatuordecim cohortes, quæ Hiſpanis ex Apulia Piceni fines ingreſſuris opponi viderentur, ſic vt non grauatè modò, verumetiam benignè Lotrechius per totum Inſubrum agrum Heluetijs tanquam amicæ genti ſocijsque Pontificis iter præberet, in Padoque nauigia parari iuberet quibus Rauennam deuherentur. Horum aduentus Alfonſo non temere ſollicitudinem metumque attulit, vtpote qui graui iudicio externæ genti per ſuos fines deſcendenti parum fidendum eſſe exiſtimabat, quando nihil iam exploratum & certius haberet de voluntate Pontificis, cuius tum conſilia cæcis ſimulationum latebris tegebantur. Itaque præſidia idoneis in locis diſpoſuit, duplicatisque circa vrbem cuſtodijs quantam potuit militum manum ſedulo coegit, ne imprudenti imparatoque aliquod detrimentum inferretur, quanquam Pontificij qui Heluetiorum agmina deducebant, præclarè prędicarent, ipſos nemini nocituros, & ſine maleficio pacatè tranſituros. Cæterum Heluetij per Rauennatem agrum & Flaminia oppida nuſquam explicatis ſignis aliquandiu ducti, retro demum vnde venerant in patriam remiſſi ſunt, Alfonſo plurimùm admirante, quòd Leo nulla re tẽtata, perſolutis fruſtra ſtipendijs, cohortes magna ex parte dimiſiſſet. Sed eũ poſtea certius didicit, eis vti propterea noluiſſe, quòd eorum dux ſummæ authoritatis Goldilus è Tigurnio pago, Gallicæ factioni apprimè fauere diceretur. Hinc Galli atque Alfonſus præſertim de Leonis conſilijs in ſuſpicionem venerunt, quam mox auxere Mediolanenſes exules, qui Hieronymo Morono, & Aſtore Vicecomite ducibus iam detectis quorundam coniurationibus Rhegium confugientes, à Pontificijs præſidibus amicè recepti fuerant. Horum opprimendorum cupiditate incenſus Leſcutus Lotrechij frater Parmenſium fines temere tranſijt, & cum ingenti ala equitum ad Rhegij portas improuiſus aduolauit. Verùm cuſtodes conſpecto Gallorum aduentu portas celeriter occluſerunt. Ita Leſcutus quum de muro quid armatus peteret interrogaretur, cum pręſide Guicciardino vt ſibi colloqui liceret poſtulauit, atque ita ſolus & pedes in veſtibulum interioris portæ receptus eſt. Ibi quum ira feruidus ab irrita ſua ſpe, & ferociter minabundus, vt ſibi illico dederentur exules identidem peteret, idque impetrare non poſſet, eo animo emiſſus eſt, vt graue periculum vitæ aut libertatis adierit, & noñulli ex eius equitatu, qui circumeundo mœnia alicuius adapertæ portæ ingreſſum quæritabant, è muro tormentis icti ſternerentur: in quibus cum nobili ſignifero Alexander Triuultius dux egregius interfectus eſt. Hoc inuſitato ac inſolenti Leſcuti facto pax haud dubiè violata eſt, prębuitq; id exoptatam occaſionem Leoni, vt diſſimulata conſilia æquo iure detegeret, atque arma (vti occultè inſtituerat) protinus expediret. Tum quoque peropportunè Gucciardino, Guidoneque Rangono in inuidiam Alfonſi fama excitata eſt, ipſum Leſcutum tanquam ab Alfonſo admonitum incitatumque fuiſſe, vt vna repentina expeditione & ille exules odia & arma in Gallos vndiq; excitantes opprimeret, & ipſe Gallorum beneficio ſua vrbe potiretur. Sed ego poſtea ab ipſo Alfonſo accepi tantam ſibi calumniam à Rangonijs inimicis ſuis atq; rebellibus fuiſſe impoſitam. Neque enim ipſum adeo imprudentem & prępropitem extitiſſe dicebat, vt in re dubij euentus tanti diſcriminis prędiudicio integræ adhuc pacis fœdus ſuo impulſu turbari, belloque initium præberi voluerit. Nec multò poſt Pontifex arma

proferre

proferre & bellum inchoare maturauit, ob id celerius, quoniam Mediolani quoſdam patritios nouis ſtudentes rebus infidelitatisque reos, Leſcutus cum magna inuidia teterrimis ſupplicijs effecerat, & reliquæ ciuitates erumpente in Gallos odio defecturæ viderentur. Itaque Proſper Columna in locum defuncti Cardonij ſuffectus Bononiam peruenit, vbi cohortes Italicæ ſcribebantur. Hunc ſubſecutus eſt Piſcarius cum vetere Hiſpanorum legione & ſecundum eum Antonius Leua cum equeſtribus copijs. Creatus quoque eſt Pontificij exercitus Imperator Federicus Gonzaga Mantuanus Princeps: deſcenditque è Germania Franciſcus Caſtellatus cum quinque vexillis peditũ Germanorum: nouæ etiam Heluetiorum cohortes ex ea factione quæ à Gallis diſſentiret, Pontificis pecunia conductæ accitæque ſunt. At Alfonſus in eo graui armorum motu veteres alas equitum ſuppleuit, concripſit nouas cohortes, vt in vtrunque belli ſucceſſum paratus foret, ad tentandas, ſi Galli ſuperiores euaderent, Rhegienſium & Mutinenſium voluntates: aut ſi quid durius illis accideret, ſuos fines expeditis præſidijs tueretur. Interim Pontificij oppugnata & ſemicapta vrbe Parma citra Niceam amnem ſe receperũt, quòd Lotrechius Heluetijs & ipſe legionibus confirmatus, adiunctoque ſibi cum Venetis copijs Andrea Gritto, Pado traiecto ſe prælio dimicaturum oſtendiſſet. Verùm non multò poſt Pontificij duces increpante ſegnitiem Leone, vrgenteque Iulio Medice Cardinale qui Legatus in caſtra venerat, ſuperato Pado in Cremonenſem agrum tranſierunt: intra paucos dies, Ollio Abduaque amnibus ſuperatis, Lotrechium nuſquam prælio decertare auſum Mediolano pepulerunt. Quo tempore Alfonſus quibus potuit officijs Gallos adiuuit, & per equites circa Gabellum amnem excurrentes Pontificis tabellarium intercepit. Eæ literæ quanquam arbitrarijs conſcriptæ notis, Soro tamen Veneto ſcriba interpretante intellectæ, & ad Lotrechium in caſtra perlatæ ſunt. Cuius facti contumelia Leonis animum ita pupugit, vt Alfonſi finibus arma protinus inferri iuberet. Remanſerant ad tutelam duarum vrbium, quibus tanquam ſibi iniquè ereptis Alfonſus imminebat, Vitellius Tiphernas cum duabus vtriuſque armaturæ equitum alis, & Calzemitus Heluetius cum tribus ſuæ gentis peditum vexillis. Eæ copiæ ad Bondenum vſque vicum irruptionem hoſtiliter fecerunt. Alfonſus paulò ante de profectione itinereque hoſtium per exploratores certior factus, copias ſuas eduxerat, pontemq; ex lintribus in ea parte Padi ſtatuerat, quæ Ferrariam decurrit: nam altera pars amnis peninſulæ roſtro interciſa maiore aquarum mole defluit ad Francolinum, & Pulicellam Venetæ claſsis clade celebratam. Hanc autem Padi partem obſcuræ aquæ lacum vocant, quod alludit ad id quod de Bondinco Plinius refert. Eam enim vocem Gallica lingua profundum ſignificare dicit, quòd idem ferè eſt quod obſcurũ: ſic vt Plinij Bondincum, id hodie eſſe putem, quod vulgo Bondenum appellatur. Iuxta citerioris ripæ marginem turricula erat cum parua munitione quę caſulas circundabat, vbi portorium & vectigal à prętereuntibus exigebatur. Hunc locum Cabriana præfectus egregiè fortis cum præſidio cohortis obtinebat. Non longè autem ab eo conſtiterat Hector Romanus cum ampliore militum manu, reliquæ copiæ erant apud Alfonſum. Iam aliquantum itineris feſtinata deſcenſione emenſi erant Vitellius et Galzemitus, quum Furnius cum leuis armaturæ equitibus exploratum miſſus, citato curſu Cabrianæ nun

ciat non longè abeſſe hoſtes. Ille repentina re perturbatur, eo vehementius quòd antea munitioni diffiſus, fruſtra ab Hectore poſtulaſſet, vt ſibi auxilio cohortẽ mitteret. Seſe tamen non deſerit, deteſtatusque apud ſuos conceptæ fugæ conſilium hoſtem expectare conſtituit, identidem ab Hectore opem implorans, & quo in periculo verſetur edocens. Sed Hector ſuperbè malignéque pernegauit ei opus eſſe alio præſidio, quum eum de aduentu hoſtium rumorem omnino incertum eſſe inſolenter dictitaret. Ita deſtitutus ſpe auxilij Cabriana ſuperuentu hoſtium oppreſſus, vel ſtrenuè repugnans cum ſuis interficitur. Tum verò Furniani equites dilabuntur, totaque Hectoris manus ducis ſui ignauiam ſecuta, vix conſpecto hoſte terga vertit. Quod detrimento ſuorum cognito Alfonſus neceſſario conſilio ponte repentè ſolui, & in ſuam ripam integra nauium ſerie reduci iuſsit. Qua re opportunè atq; celeriter adminiſtrata, hoſtium impetus haud dubiè retardatus eluſusque eſt: quum eodem curſu quo turrim interfecto præſidio occuparant, ſi pontem nacti eſſent, tranſituri amnem, & ad Ferrariæ vſque mœnia nulla certa & valida manu obſiſtente peruaſuri crederentur. Hector ignominia notatus ſuſpectusque perfidiæ, quòd ignauiſsimè ſe gerens accepti incommodi cauſam præbuiſſet, ab Alfonſo irato dimiſſus eſt. Perductus enim fuerat in eum honeſtiſsimæ militiæ locum opinione virtutis, quòd vnus è tredecim bellatoribus fuiſſet, qui in Apulia pro dignitate Italici nominis cum totidem Gallis feliciter depugnaſſent. Sed tum vbi præſenti virtute opus fuit, aut hebes ingenio, aut alicunde pecunia corruptus, opinioni minimè reſponderat. Audiui ego poſtea Antonium Pucium Antiſtitem Piſtorienſem, qui his copijs legati nomine præerat, de Vitellio & Calzemito apertè conquerentem, quòd ſecus ac ipſe volebat poſt primam hoſtium cædem, legendis ſpolijs cunctantius ſubſtitiſſent, præbuiſſentq; ea mora ſpacium Alfonſo reducendi põtis, quo occupato Ferrarienſes in maximũ timorem adduci poſſe exiſtimabat. Cæterùm ab hac re geſta Pucius Placentiam cum his copijs eſt reuocatus, quòd Placentini in fidem pontificis vltro conceſsiſſent, & Parmenſes Placentinorum exemplo Robertum Sanſeuerinum qui Gallicas tuebatur partes eieciſſent, Pontificijque Imperij inſignia, quæ à Gallis deraſa fuerant, ingenti alacritate repoſuiſſent. Verùm eo modo profligatis Gallorum rebus Leo Pontifex in ipſo vix dum perceptæ victoriæ gaudio præpropera morte eſt ereptus: cuius opportuno exceſſu Alfonſus ita in præſens lætatus eſt, vt mox de ſucceſſore magnopere eſſet ſolicitus, pecuniam tamen argenteam percuti iuſsit cum imagine Leonis hianti ore agno imminentis, cuius titulus erat, Agnus ex ore Leonis ereptus. Hanc tamen monetæ formam, quòd eius argumentum inuidiæ expoſitum videretur, celeriter aboleuit. Leoni autem turbulentiſsimis comitijs Hadrianus Batauus, qui tum præerat Hiſpaniæ, ſuffectus eſt. Is enim eximiæ probitatis nomen præferebat. Ad hunc illico Alfonſus officij & procurationis rerum ſuarum cauſa, Ludouicum Catum præcellentem iuriſconſultum miſit, qui iniquiſſimo iure ſibi ereptas paterni Imperij vrbes quereretur, imperitumque Italicarum rerum de ſtatu belli & pacis, ciuitatumque liberarum & Principum conſilijs perdoceret. Is non multò poſt æqui iuris & ſummæ moderationis reſponſa retulit, eumq; à Tarracone Romam adnauigantem comitatus eſt. Qua ſpe componendæ rei adductus Alfonſus, qui Rhegium per eoſdem ferè ciues per quos antea amiſiſſet per interregnũ receperat, venienti ad vrbẽ Pontifici Herculem

culem è liberis natu maximũ obuiam misit, qui patris nomine se ad eius autho ritatem conferret, & volens, lubensque totius controuersię statum ad Pontifi cis arbitriũ se delaturum profiteretur. Nec multũ inde honestis conditionib. pax inter Pontificem & Alfonsum constituta est. Sub id verò tempus quo Ha drianus in Hispania publicis præfectus rebus ad nauigandum classem compa rabat, et à Triumuiris Senatorij ordinis in Vrbe Respublica gerebatur, Alfon sus sese cum Iulio Medice Cardinali, qui tum legatus Bononiæ pręerat, in mu tuum vsum detersis odijs conciliauit, missoq; ad eum Antonio Constabile o peram dedit, vt veteres offensiones nouo amicitiæ vinculo delerentur: atq; ex eius authoritate, quæ tum erat ex Etrusci Imperij opibus longè maxima, ad pa randam pacem aditus præberetur. Hisdem quoque diebus Franciscus Maria Feltrius, qui Leone mortuo, veteris imperij sui dominatum receperat, res suas cum Pontifice ad omnia lenissimo simul & æquissimo composuit. Cæterum Hadrianus vix toto vertente anno, quum aduersus Gallos pro Cæsare cum I taliæ Principibus fœdus inijsset, & mores sacerdotum aulæque licentiam cor recturus esse crederetur, lenta febre extinctus est, quum pecunię inops in æra rium prorsus inane, Vrbemq; pestilentia laborantem, et Tyrannos Pontificij imperij vrbes impotenter occupantes, Rhodumq; à Turcis obsessam & expu gnatam, iniqua nominis sui sorte planè miser incidisset. Inde autẽ Iulius Me dices, quum iuniorum prærogatiua multis rationibus corroborata contra se niores valuisset, Clementis septimi nomine desumpto, Pontifex est renuncia tus, cui Alfonsus per legatos eum summi honoris apicem ex animo gratulatus est, eo euentu vt statim eum & Gallis & sibi hostem futurum prouideret.

Paulo ante id tẽpus Lucretia Borgia Alfonsi vxor integra adhuc ętate defun cta est, quum ea iampridem persanctè castigato vetere luxu, abdicatisque deli tijs Christianę disciplinę seueritatem induisset. Ex ea Alfonsus masculam pro prolem felici fœcunditate susceperat: Herculem scilicet primo partu, quem ho die auito nomine paterni imperij successorem videmus: secũdo Hippolytum patrui nomẽ & dignitatem consequutũ, quem multis inclytę virtutis nomini bus in sacra purpura conspicuũ veneramur. Postremò tertium in honorẽ Gal liæ Regis Franciscum appellatũ, qui apud Carolum Cæsarẽ insignis gratiæ lo cum armorũ studio partum egregiè tuetur. Cæterùm Lucretia nequaquã mu liebri animo inanem simulatæ religionis laudẽ quęrens, verùm solidi nec inte rituri vnquam meriti fructũ expectans, ex priuatis suis opibus cœnobiũ cum ornatissimo templo constructũ sacratis virginibus ex ordine primę nobilita tis dedicauit. Sequutum demũ est id tẽpus, quo inauspicatis Clementis cõsilijs totius Italię opes cum perturbatione diuinarũ, humanarumq; rerum vehemẽ ter cõmotę conuulsęque sunt: initio à Cęsarianis ducibus orto, qui Franciscum Sfortiam fœderatorũ Principum consensu restitutum, perfidię reum fecerant, periculosoq; morbo conflictatum exutumq; omnibus ferè vrbibus in arce Me diolani obsederant. Neque enim Borbonius, Lanoius atque Piscarius, & An tonius Leua Cęsaris duces post Ticinensem pugnam, et deuictum captumque Regem Gallum ęquo animo patiebantur, Sfortiam opulentissimo Insubrum imperio potiri, quòd Cæsarianorum militum virtute partum Carolo Cæsari deberi videretur. Eam externorum insolentiumq; ducum atrocem audaciam in perniciem seruituræ mox Italiæ euasuram prouidebant, quum Pontifex ipse tum Venetus Senatus, & Franciscus Rex, qui dudum persoluto auro, &

duobus liberis obſidibus in Hiſpaniam miſsis, ſeſe redemerat. Itaque Pontifex quum diu fruſtra apud Cæſarem pro Sfortia deprecator fuiſſet, & Cæſar conſtanter ſuorum conſilijs inniteretur, arma expedire coactus eſt. Belli enim & cauſæ Sfortianæ diſceptator, tanquam ſacrorum princeps eſſe volebat, vt Italiam ſeruitutis metu liberaret. Verùm Fortuna contra ius, & æquum facilè pertinax, tum præclarè oſtendit, nihil in legibus fœderum firmi eſſe præſidij, vbi vis & arma valere cœperint, inaneque haberi religionis nomen apud eos, qui res humanas parum curæ eſſe Dijs immortalibus credunt. Ea ſiquidem ſuſcepta conſilia vſqueadeo iniquum & calamitoſum exitum tulere, vt copiæ à fœderatis coactæ, quum Cæſarianos obſidentes Sfortiam obſeſſuræ, oppugnaturæque Mediolanum aduolaſſent, irrito incœpto cum ignominia pellerentur, vlciſcendæque eius iniuriæ cauſa Vgo Moncada ſubnixus Columniæ familiæ opibus (hæc enim tota Principe Pompeio à Pontifice defecerat) è Neapoli Romam inuaderet, direptoque Vaticano, & Clemente in arcem compulſo fidei & pacis obſides exigeret. Tum verò videre licuit, nihil ſanctum, aut venerabile militibus eſſe, quum auguſtiſsimo toto terrarum orbe diui Petri templum, direptis altaribus atque donarijs violarent. Exinde recruduit bellum, ſed demum reſedit, quum Lanoius Prorex oblata pace Cæſaris nomine è Neapoli in Vrbem veniſſet. Verùm conſcriptis, vti apparuit, ad fallendum fœderibus, eadem Fortuna quæ Vrbi exitium ſtruebat, fidem fœderis ita intercepit, vt non multò poſt temporis ſpacio Borbonius aduentu Germanicarum legionum auctus, & fœdera à Lanoio percuſſa, tanquam inania eludens, recta ad opprimẽdum Pontificem Romam intenderet. Initio huius belli Alfonſus per legatum Iacobum Aluarotum ſingularis induſtriæ hominem de compoſitione rerum ſuarum apud Pontificem opportunè & diligenter egit. Exiſtimabat enim eum ſolito æquiorem & molliorem inuenturum, quòd ſumenti arma contra Cæſarem magno vſui ſe futurum eſſe intelligebat, ſi in commune totius Italiæ Principum fœdus honeſta Pontificis indulgentia traheretur. Verùm Clementem alioqui à multo rerum vſu cautum, & belli pericula ſedulò metientem, eadem maligni Fati iniqua ſors ex arce conſilij deiecit. Iam enim compoſita res erat, non indignis vtrinque conditionibus, cum eius negotij rem prope tranſactam duo infauſti conſultores importuna interpellatione conturbarunt. Hi erant Iacobus Saluiatus conſiliorum omnium particeps, & Marius Peruſcus fiſco præpoſitus. Hic conficiendæ rei certum ſibi præſentis pecuniæ pretium Alfonſo indignum impudenter expetebat: ille verò priuato ſuo commodo potius quàm publico ſtudere videbatur, quòd ſalinarum vectigalia ſibi publicano à Leone addicta ea tranſactionis ſtipulatione deteriora fieri prouidebat. Per hunc modum abrupta ſpe concordiæ Alfonſus ab hac contumelia indignabundus Cæſarianis tanquam Clementis hoſtibus ſibi adhærendum iudicauit. Nemo enim eo aptius ac expeditius, cùm diuerſæ tempeſtates nauiganti occurrerent, vela flectere, excipere auras armamentaque mutare didicerat. Fuere nonnulli ex familiaribus Pontificis, qui libero ore ſpreti Alfonſi repudiatæque eius amicitiæ factum, tanquam intempeſtiuum, & maximè incommodum prædamnarent. Quid enim enixius contendi expetique à Pontifice poterat, in ipſo præſertim limine tanti imminentis belli, quàm vt quos poſſet Cæſari ſocios detraheret,

vt ſibi

vt ſibi aſciſcerentur, quando vni tantùm ſummæ victoriæ neglectis offendiculis, à non inſulſo ſtudendum eſſe videretur. Eo autem liberius ac honeſtius Alfonſus vt cum Cæſarianis ſentiret adductus eſt, quòd deploratas penè res Gallicas, & ſe non obſcuro accepti beneficij nomine Carolo Cæſari obſtrictum fateretur. Superiore ſiquidem anno poſt abductum in Hiſpaniam Regem, Clemens cum Cæſare certa pactione fœdus renouarat, quo ipſe ingentem pecuniæ vim proferret ad perſoluenda Hiſpano militi ſtipendia, qui ab tanta victoria æquo inſolentior atque procacior factus, non menſium modò, ſed aliquot etiam annorum merita ſtipendia poſtulabat, ac niſi confeſtim pecunia numeraretur, Mediolanenſis imperij vrbium agros hoſtili acerbitate vaſtaturus minabatur. Verùm Clemens natura auri tenax, non prius pecuniam deprompſit quàm Lanoius, aqud quem rerum omnium ſumma erat authoritas, Cæſaris nomine diſertè promitteret, ſe Rhegio Hiſpanorum copias admoturum, atque eam vrbem Pontificiæ ditioni redditurum. Sed poſtea Clemens à Lanoio addita contumelia deceptus eſt: nam præterquam quòd promiſſo minimè ſtetit, quoniam id fœdus Cæſar tanquam alienum à ſuis rationibus ratum habere noluerat, non reſtituta etiam pecunia Hiſpanos in Placentinum agrum effudit, impudenti licentia hoſtilem propè cladem Placentinorum & Parmenſium vicis & prædijs afferentes, ſic vt Rhegium eo decreto Cæſaris nihil temerè ſtipulantis, non modò inopinatè ſeruatum Alfonſo, verumetiam perſpecta propenſione Cæſaris præclarè confirmatum fuerit. Deſcendentibus itaque per Mantuanum agrum Germanorum legionibus, vt coniunctæ Hiſpanis Romam contenderent, Alfonſus ea quæ opus erant, vſque adeò amicè benigneque officia præſtabat, vt ad eas omni penitus tormentorum apparatu carentes, duo minora curulia tormenta aduerſo Pado ſubmitteret. Hæc enim magno in lintre inter ſalis ſacculos & ſtoreas occultata fuerant, miróque mox vſui Germanis extitere. Nam quum iuxta Mincij oſtium quo influit in Padum, Germani per aggeres agminatim iter facerent, eosque Ioannes Medices frequentibus prælijs tranſuerſos pariter & auerſos per expeditas ſclopetariorum cohortes, & leuis armaturæ equitatum multis occiſis vulneratiſque continenter impeteret, ipſe vnus Medices acrius perurgens, pila in incertum ab his tormentis emiſſa genu ictus, interfectusque eſt, fatali Italiæ malo potius quàm Mediceæ familiæ detrimento: quando mox ab huius mirificæ infauſtæque virtutis ducis interitu publicæ ſpes & opes magna ex parte collapſæ ſint: Etruſcum verò decus & Imperium Coſmus filius ſingulari hodie cũ gloria atque authoritate tueatur. Erat enim tum conſtans apud omnes opinio neminem noſtrorum ducum Ioanne fortius, & certius Romani nominis dignitatem aduerſus externos hoſtes fuiſſe defenſurum. Nec multò poſt Georgius Franiſpergus Germanorũ Dux, ab inuſitata rabie feritatis aureum laqueũ quem ſinu deferebat, ſacrorum Principi, et totidẽ ſingulis Senatoribus purpureos ſericos, vt ſe carnifice necarẽtur, temulento ore cõminatus, in morbũ, quẽ Paralyſim vocant, ſic incidit, vt diuino iudicio totis captus artubus eius immanis voti dãnaretur. Hunc Alfonſus curandũ medicis Ferrariam deuehi iuſsit, contulitq; ei liberaliter cuncta hoſpitalis amicitiæ officia, qua benignitate tanquã intempeſtiua inuidioſaq;, in hominem præſertim impium, Clemens non mediocriter eſt offenſus, propterea quòd Franiſpergus iampridẽ odio Roma-

nę amplitudinis ad Lutheranã deficiens, has quoq; diri ſupplicij minas effudiſſet. Vbi verò ad prima adulti Veris initia Germani Hiſpanis ſibi adiunctis Duce Borbonio in Bononienſem agrum ſe demiſere, et poſitis apud Caſtellum diui Ioannis caſtris cõmeatus inopia pærmerentur, Alfonſus inſigni ſtudio omnibus eos rebus iuuare perſeuerauit. Barbarorũ enim more armentis captis & abſumptis, reconditiſq; frugibus turbulenta militũ licentia direptis, villarum incendia vſque ad vrbem protulerant. Neq; Feltrius cum Venetis copijs, aut Michael Salaſſus cum Gallicis, aut Guido Rangonus cum Pontificijs, vel tantarum cladium indignitate permoti, conſilia expedire, & arma conferre audebant, ſatis ad ſalutem ſummæque victoriæ prouentum bellum geri exiſtimantes, ſi circum emiſſo equitatu commeatus impedirent, quibus ſublatis & ereptis hoſtes fame compulſos neceſſariò iter retro conuerſuros putabant. Cæterùm Alfonſus his difficultatibus opportunè occurrit, quum magnam moliti tritici copiam, atq; item peramplam vim cum recentis panis, tum nautico more biſcocti, vt in multos duraret dies, quotidie ſuppeditaret. Preſenti quoque pecunia mutuò præbita Borbonium militari ſeditione afflictum, & iratis militibus in ſummę contignationis latebras mortis metu confugientem ſubleuauit, ſedataque ſeditione progreſſuro tormenta obtulit. Sed Borbonius, qui vna celeritate hoſtes decipere, Pontificemque imparatum, & fruſtra à Lanoio recentis fœderis fidem implorantem, opprimere poſſe ſperabat, ea tormenta ad Apennini radices reliquit, vt expeditius Aretinis iugis in Etruriã tranſiret. Eo feſtinato curſu Feltrium & reliquos hoſtiũ duces, qui dextrorſum vſitatis itineribus vt Florentiæ præſidio forent, tranſierant, ita anteceſſit, vt illi nuſquam quieſcentem, & interdiu noctuque per lutulenta itinera milites prædæ auidos raptantem aſſequi nequiuerint. Itaque improuiſò Vrbem malè munitam & iuſto carentem præſidio aggreſſus, dum ſcalam ſua manu muro apponeret, craſſiore glande per ſummum fœmur adacta, aliquanto prius quàm milites irrumperent, dubia adhuc victoria eſt interfectus: inſigni hercle Dei magni prouidentia, quando eum auſo tãto facinore potiri lętariq; noluerit, & totius eius impietatis atque perfidiæ præclarus vindex extiterit. Sed milites expirante Borbonio in Vrbem irrumpentes vſque adeo immaniter victoria vſi ſunt, vt direptis profanatisque templis, ac crudeli cæde ciuium edita, & imbellibus excruciatis, obſeſſo captoque Pontifice, veterum Gothorum ſæuitiam magno interuallo ſuperarint. In hoc tanto ſtrepitu cadentis Vrbis, & capti Pontificis calamitate, Alfonſus occaſioni ſuæ non defuit, quanquam ſpretę ligionis admiſſum ſcelus, & publicam cladem magnopere doleret, crebroque præpoſtera Clementis conſilia deteſtaretur, quòd imperitè atque infeliciter ſe contemptum abrupta concordiæ ſpe fuiſſe diceret. Itaque Alfonſus exploratis Mutinenſium voluntatibus, quæ erant erga Ateſtinum nomen propenſiſsimæ, coacta equitum & peditum manu Ferraria profectus Mutinam ſine tormentis iter intendit: nam antea tenue ibi eſſe præſidium, Ludouicumque Rangonum infirmi conſilij hominem, & capti Pontificis calamitate vehementer perterritum eſſe didicerat. Quibus de cauſis Rangonus vim aduentantis Alfonſi minimè ſuſtinendam ratus, deſperata defenſione ciues ſuos, vt ſibi conſulerent, admonuit, & nemine ad arma ſe commouente vrbe exceſſit, atque eo modo poſt ſextum decimum annum Alfonſus à

Mutinenſibus

Mutinenſibus receptus eſt, & lætis populi acclamationibus Princeps ſalutatus. Is autem ſumma grauitate conſilij, omnibus qui anteà defectionis authores fuiſſent integra fide pepercit, in gratiamque recepit: quod eo libentius factum videtur, quoniam ſeniores, qui deprauatis & pertinacibus animis infideliores habebantur, tot annorum ſpacio magna ex parte perijſſent. Edictum quoque propoſuit iuſtæ clementiæ, quo cunti exules, patritijque in primis Rangoni, re omnium incolumi, ſaluoque veteris amicitiæ iure ad penates vocabantur. Nihil enim ſibi ad laudem & ſecuritatem efficacius & ſplendidius exiſtimabat, quàm iniuriarum penitus obliuiſci, beneficioque & lenitate ſubiectorum animos redimere, vt vrbs multis affecta malis, quæ eſſet imperij vetuſtiſsima, lætæ pacis & ſecuritatis commodo inſtaurata refloreſceret. Hic amiſſæ Mutinæ nuncius Clementem magnopere perturbauit: ſed is demum vario cõcurſu calamitatum fractus longè grauiſsimum ſubijt dolorem, quum Florentinos ad veterem erectos libertatem defeciſſe cognouiſſet, atque obiter expuliſſe Mediceos adoleſcentes Hippolytum & Alexandrum, qui in ſpem inueterati dominatus educabantur. Ea defectio cauſam Alfonſo præbuit, vt rurſus Gallis veteribus amicis & ſocijs iungeretur: nam quum iam multos menſes Clementem deditum & planè captum Cæſariani peruaſtata Vrbe in arce molis Hadriani cuſtodirẽt, Franciſcus & Henricus Reges publicam iniuriam inuſitati eius, impijque facinoris vindicare, & ſacroſanctum Pontificem è manibus ſceleſtiſsimorum militum eripere maximè decorum atque honeſtiſsimum exiſtimarunt, quòd hic ſe Pontificiæ dignitatis illuſtri titulo ſub Iulio Pontifice parto defenſorem profiteretur, ille verò antiquum Chriſtianæ pietatis cognomentum præferret. Itaque Lotrechius qui vnus ferè veterum Ducum in Gallia ſupererat, cum validiſsimis copijs in Italiam eſt miſſus: cuius impetum Cæſariani præſidia quæ Boſchum oppidum, & Alexandriam, Ticinumque vrbes obtinebant, minimè tulerunt. Quibus expugnatis Gallus ita Mediolani imminebat, vt Antonio Leua multis rerum difficultatibus circumuento, metuenteque, ampliſsima vrbe quę Regni eſt caput omnino potiturus eſſe crederetur, niſi peruerſo & ſibi demum fatali conſilio actus, dum Sfortiæ recuperati principatus Fortunam inuideret, propriæ victoriæ ſuæ defuiſſet. Signa enim per Flaminiam Neapolim vertit, quo itinere cum Florentinis fœdus ea conditione percuſſum eſt, vt Gallus eorum libertatem ſe defenſurum polliceretur, quum ei legionem delectorum militum Horatio Baleono duce iure noui fœderis adiungerent. Alfonſus quoque qui multis de cauſis in rem ſuam turbulento eo tempore ſatagebat, Gallo deeſſe nõ potuit, ſummæ præſertim ſpei, & ſummæ æquitatis bellum gerenti, eique inſignem alam equitum Cantelmo præfecto attribuit. Cæterum Lotrechius Clemente iam poſt ſeptimum menſem ex certa pecuniæ pactione arce elapſo, eius belli exitum tulit, vt ipſe Cęſarianis in vrbem Neapolim ſtrenuè compulſis, & diu obſeſsis, ingruente per autumnum peſtilentia, cum vniuerſo propè exercitu cunctisque cum Gallis tum Italis ducibus ſtatiuis in caſtris perierit. Nec ei Clemens quanquam præclaro Romanæ vrbis liberatori, multis rerum difficultatibus laboranti oppreſſoque, vt opem ferret abduci potuit. Qua vna Pontificis authoritate, pecunia & copijs, Galli opportunè ſubleuari, & deleri communes hoſtes facilè potuerint. Prouidebat enim ſe penitus excluſum vetere

dominatu patriaque Florentia, neque eam posse Gallicis repeti armis, post-
quam Florentini cum Lotrechio societatem spei suæ alienam & penitus aduer
sam inire maturassent. Erat itaque vni huic voto incumbenti, vt restitui pos-
set, Cæsari parcendum, acceptæque iniuriæ penitus obliuiscendum, vt ab eo
maturam opem exigeret, à quo vel cum inexpiabili dolore vulnus accepisset.
Atque ita renouata amicitia percussoque nouo fœdere, Cæsarem ab Hispania
in Italiam accersiuit. His autem legibus fœdus inter ipsos ictum confirma-
tumque est, vt Cæsar à Pontifice, Cardinaliumque è senatu solenni atque vsi-
tata cæremonia Imperatorio diademate coronaretur: ipse verò Pontificem
suis copijs, & cõmuni sumptu Florentiam reduceret, ac Florentinis tanquam
maiestatis reis, quòd contra se auxilia Neapolim misissent, antiqua iura liber-
tatis eriperet, Alexandrumque Medicem, quem generum ex fœderis tabulis
sibi asciuerat, Augustali authoritate principem imponeret. Igitur Clemens
Roma profectus Bononiam venit, quò Cæsar classe Genuam appulsus cum il
lustri comitatu descendebat. Adfuit etiam Cæsari cum vetere exercitu Anto-
nius Leua, Augustæ dignitatis & securitatis causa ad eam celebritatem euoca-
tus. Transeuntem autem Cæsarem Alfonsus Regij, & Mutinæ hospitio, vti de
bebat, splendidissimè & studiosissimè suscepit. Erat in magna expectatione
hominum is congressus duorum maximorum Principum, qui modò inter se
hostes conflato bello acerbissima odia exercuissent: nam in publico omnium
que oculis, ædificato ante maximum templum ornatissimo subsellio, erat futu
rus. Sed resedere statim ire reuocatis ad religionem animis, detersequesunt si-
multates, quum ex animo conciliati nouam amicitiam mutuo commodo &
pari vtilitate metirentur, ita vt mutuus oculorũ obtutus, certo vtrinque tran-
quillæ mentis indicio, veterum malorum causas, & nouorum impendentium
suspitiones post secretiora colloquia facilè delerent. Actitatum subinde est, se-
uerè initis grauissimorum consiliorum rationibus, de componendo Italiæ sta
tu, parandaque publica pace. Nam tum Solymanus cum innumerabilibus
copijs è Pannonia in Noricos fines penetrarat, frustraque quòd sine tormen-
tis prouolasset, tentata Vienna, excitatisque passim incendijs, & abducto in
seruitutem magno Germanorum numero ea mente discesserat, vt se reuersu-
rum atque omnia ferro & igne absumpturum minaretur. Hæc cladium peri-
cula à tanto hoste nunquam temerè denunciata, publici consensus, & firmissi-
mæ pacis remedia flagitabant, quæ parari non poterant, nisi Cæsar Francisci
Sfortiam quorundam liuore tanquam calumnię prędaque expositum, maie-
statis reum factum, benignè ignoscendo, & Pontifici, & Venetis deprecatori-
bus condonaret, & Alfonsus repetita concordia à Clemente in gratiam recipe
retur. Nec mora, ambo euocati sub fide publica Bononiam venere, non mul-
toque post Sfortia Cæsare ad æquitatem & clementiæ laudem generosè com
posito paternum imperium octingentis millibus aureorum nummũm impe-
trauit. Alfonsus autem quum Pontifex sibi omnibus aduersæ Fortunæ malis
obruto Mutinam ademptam fuisse quereretur, Cæsarem totius controuersiæ
disceptatorem appellauit, atq; constituit. Nec conditionem renuit Clemens:
verùm sibi cauendum ratus, hoc seorsum à Cæsare postulabat, vt si productis
& inspectis vtrinque iurium documentis, Pontifici causa cadendum fore præ
noscceret, ex sua tunc indulgentia pudoreque sententiam non diceret, sed com-
promissi

promiſsi diem exire ſineret, ne iura Pontificij Imperij eo prolatæ ſententiæ prę iudicio eripi viderentur. In hunc modum vtroque adſtipulante, quum Cæſar totius finiendæ litis arbitrium accepiſſet, Mutinæ decedentibus Ateſtinis magiſtratibus cum Hiſpanorum præſidio Petrum Zabactam impoſuit, Alfonſo quidem magnopere anxio ſuſpenſoque, ſed nihil de Cęſaris equitate atque prudentia dubitante, quòd rebus ſuis Cæſaris rationes incluſas eſſe intelligebat, quando maiores ipſius Ateſtini Principes beneficiario iure Mutinam à Cæſaribus accepiſſent: neque Cæſar ſibi ſapiens, & ſui iuri apprimè tenax id Auguſtalis iuris nomen temerè aboliturus crederetur. Alfonſus demum coronatum natali ſuo Cæſarem, & in Germaniam contendentem quòd tanti ſpectaculi celebritati intereſſe nequiuiſſet, ad Mantuam eſt aſſecutus, vbi honoris & officij cauſa maiores liberos Herculem & Hippolytum in clientelam obtulit. Sub id verò tempus quo Cæſar per Tridentinas alpes & Rheni ripas ad natale ſolum in Belgas deſcendit, & Florentini compulſi in vrbem à Cæſarianis & Pontificijs iam multos menſes obſidebantur, Franciſcuſq; Rex confecta pace, ac liberis obſidibus receptis, Galliam tantis affectam detrimentis quiete atque ocio ad veterem opulentiam reuocabat, ſponſalia ſingulari hylaritate celebrata ſunt, quibus Ludouici Regis filia Herculi Alfonſi ex liberis natu maximo in matrimonium dabatur. Moriens enim Ludouicus ex Anna vxore, quæ Franciſci citerioris Britanniæ Reguli filia & vnica hæres fuit, duas tantùm filias reliquerat, Claudiam, & Renatam. Claudia Franciſco Regi nupſerat, Renata autem ſalubri conſilio extra Galliæ fines, in Italiaque præſertim longè ſplendidiſsimè collocanda cenſebatur, ne ſi alicui Galliæ procerum potentiſsimo iungeretur, quòd dimidiam materne hereditatis partem ſecum traheret, lis oriri poſſet, cum aliena liberis Frãciſci Regis ex Claudia ſuſceptis, tum Galliæ regno maximè damnoſa: timebant enim ne inde inteſtini belli ſemina prouenirent. Profecto ad Belgas Cæſare, Regnique ſui publicas & priuatas res conuentibus habitis componente, iam penè totum recepti arbitrij tempus effluxerat, quo Ferrarienſis controuerſiæ negocium explicari conficique debebat, propterea vtriuſque partis legati adhibitis iureconſultis cauſam diligenter inſtruxerant. Ea verò tum Cæſaris mens erat, vt ſibi Auguſtali Imperij perſonam ſuſtinenti, nihil temerè iudicando, decedendoque de iure ſuo, quo authoritas lædi poſſet, omnino detraheret, alieni autem iuris pondus ſedulò expendens, quæ præclarè docerẽtur legitimis poſſeſſoribus adiudicaret, vt mox euenit. Nam efflagitante Pontificis legato vt in cauſa pronunciaret, Cæſar oblitus promiſsi, quum ſibi non liqueret impunè dicere, & arbitrij terminum elabi ſinere facilè poſſet, conceptæ iuſtitiæ vim priuato pudori prætulit, & his legibus ſententiam tulit, vt Ferraria Pontificij Imperij authoritatem libertatemque perpetuò reſpiceret, & Alfonſus poſteriq; eius ſe Romani Pontificis beneficiarios fide atque obſequio profiterentur, certumque auri pondus tributi nomine penderent. Mutina verò tanquam Imperatorij iuris, atque obiter veteris conceſsionis beneficium iampridem eſſet conſecuta, Alfonſo Ateſtinæque domui redderetur. Ab eo autem graui auri pondus Clementi ſolueretur, ſi eius ſententiæ beneficio vti vellet. Hoc promulgato Cæſaris iuditio Alfonſus mirum in modum eſt lætatus, quanquam per Caſelium iuriſconſultum legatum ſuum, qui in aula diligenter ambiendo, obteſtandoque

singulos adibat consiliarios, quorum authoritati Cæsar inniteretur, permagnas pecuniæ largitiones factas didicisset. Id verò Clemens vsqueadeo graviter ac indignanter tulit, vt nihil sibi molestius accidere potuisse armarulentis sermonibus fateretur. Se enim deceptum à Cæsare dicebat, qui secretioribus promissis fidem prolixè datam acceptamque minimè præstitisset. Necmultò post eius iniuriæ inflictum animo vulnus apertissimè denudauit, quum aurum, quod centum millium aureorum nūmûm summam superabat, allatum Romam, & ex decreto Cæsaris ad pedes prolatum, seuerè admodum repudiasset, frustra offerente obtestanteque Aluaroto legato. Negabat enim Pontifex se eam Cæsarianæ sententiæ conditionem ratam habiturum, quæ Romani Pontificis nomen sugillare censebatur. Atque ita Aluarotus nihil adstipulante admittenteque Pontifice, expositum aurum collegit & retulit. Clemens autem ab altiore sella descendens, quæ in eo curiæ loco vbi mane Senatus habebatur erat posita, renidenti ore ad me conuersus, qui eius actionis vocatus testis aderam, An tu Ioui, inquit, in historijs me auarum & pecuniæ cupidū perscribes? quum hunc tantum aureæ monetæ cumulum lubens & volens repudiem, vt hinc ineptus & insanus fortasse existimer, quòd præsenti lucro & commodo Pontificiæ seueritatis existimationem anteponam? Alio quoque ingenti Cæsaris beneficio Alfonsus cumulatè est auctus: nam Carpum oppidum de quo diuturna lite cum Alberto Pio contenderat, ei cessit, legitimæq; possessionis iura peramplis Cæsaris codicillis est consecutus, quoniam Albertus Gallicis addictus partibus, propterea que maiestatis reus factus de iure totius feudi decidisset. Ex hac benignitate centum millia aureorum nummûm honorarij muneris nomine ab Alfonso persoluta sunt, vt in erariū Cæsaris peruenirēt. Nouium autem oppidulum, quod Carpensi ditioni erat attributum, de cuius possessione cum Alberti clientibus & copijs aliquandiu vario successu dimicatum fuerat, Alfonsus manu captum solo æquauit, ne sibi pro tenui castello sæpius sumenda arma forent, cuius redditus tutelæ sumptum nunquam adæquaret. Redijt demum in Italiam Cæsar, Bononiæque iterum Pontificem conuenit: atque inde adito Mediolano repetitaque Genua in Hispaniam est reuersus, alienatum planè ab se Pontificem non obscurè diuinans, quòd eum Mutinensis sententiæ contumeliam in præsens dissimulanti ore deuoratam perturbato stomacho cōcoquere non posse didicisset. Quæ Pontificis alienatio in Alfonsum ita recidebat, vt Clemens renouato odio, quod armis apertè non poterat, insidijs ei perniciem moliri non desineret: Nam sequentibus annis detectæ sunt coniurationes duæ, altera Hieronymi Pij, altera Bartholomei Constabilis, quarum conscij fuisse non obscura fama ferebātur Vbertus Gambara, & Bernardinus cognomento Barba, qui Bononiæ magistratum gerebant. neque enim verisimile videri poterat, honesti alioqui nominis Antistites, Gambaramque præsertim summo Brixiæ loco natum nefario flagitio sese commaculare voluisse, vt infamē operam gratuitò præstarent: quandoquidē ad honorem Senatoriæ dignitatis Clemente facilè promittente, vehementer aspirare crederentur. Cæterùm Hieronymus (is militari præsidio Rhegij præerat) non modò se eam vrbem Pontificijs traditurum, sed Alfonsum, ad quem nihil tale timentem sibi aditus omnibus horis patebat, sceleſta manu confossurum pollicebatur. Huius verò immanis animi decretum solo insaniæ morbo confirmatum,

confirmatum, quando nulla alia atrocis odij extaret causa, nouarum rerum spes, atque inde nouus opulentiæ prouentus aluerat, eò quidem malignius & improbius, quòd tum Marcus germanus frater legationis honore apud Regẽ in Gallia fungeretur. Huius compositę coniurationis quum nonnulli temere sermones à conscijs emanassent, horum vestigia non inanibus coniecturis subodoratus est Robertus Boschetus, à quo detestante atrocitatem sceleris indicium repentè delatum est; quanquam is paterni supplicij memoriam retineret: Albertino enim erat genitus, quem ex duorum fratrum sceleſta in Alfonsum conspiratione concidisse docuimus. Itaque Hieronymus apud Rhegium appositè & dissimulanter captus, perductusque Ferrariam in quæstione non diu perstitit, quin cuncta cogitati instructique sceleris suo ordine proferret, atque inde de conuicto confessoque capitale supplicium sumeretur. Constabilis verò diu pensitatum facinus & malè tectum Hieronymus Pepulus Bononiensis Patritius deprehendit, opportuneque detulit, magno Alfonsi beneficio, in inuidiam (vt credi par est) Vberti Gambaræ Bononiensis præsidis, qui eum excitatæ seditionis nomine tanquam ingenio turbidum relegarat in oppidũ Centum Ferrariæ propinquum. Ipse porrò Constabilis erat tenuissimę authoritatis, extremęque egestatis iurisconsultus, ętate vtique senex, et planè vecors, qui neque opes habebat, neque sui studiosos, vtid efficeret, quod improbo animo patrabat. Is domum humilem mœnibus coniunctam atque ita coherentem conduxerat, vt si murum perfoderet, per id foramen, quos vellet hostes noctu admissurus in vrbem facilè videretur. Compositæ fraudis atque perfidiæ is erat ordo, vt delecta militum manus magnis lintribus frumentariæ negociationis simulatione secũdo Pado demitteretur ad Thedaldi arcem, ponteměque occuparet, atque inde vrbem edito clamore inuaderet, hinc arrepta occasione, quòd Alfonsus tum aberat ad Aponenses aquas valetudinis causa profectus, & liberi eius voluptario in secessu ad Belloguardum villam, auita magnificentia percelebrem, ociosè rusticarentur. Itaque patefacta Constabilis malignitate, præfecto rerum capitalium negocium est datum, vt summæ perfidię senem comprehenderet, totiusque conceptæ proditionis seriè exquisitis tormentis eruta in eum lege ageret. Necmultò post capite punitus intempestiuus seuex indignus nobili familiæ nomine, abscisis ceruicibus in foro iacuit, Deo maximo gratias habentibus Atestinis, qui se propitio numine seruatos, & incolumes fatebantur. Sub id tempus Clemens Massiliam enauigauit, vt cum Rege præsens colloqueretur, & Catherinæ iunioris Laurentij filiæ nuptias celebraret. Eam enim Henrico Aureliano natu secundo Regis filio desponderat. Eo congressu communicatis consilijs, ac aduersæ vtrique Fortunæ casibus deploratis agitasse credebantur, quonam pacto immodicæ formidabili Cæsaris potentiæ obuiam iretur. Sed ea consilia repentè eadem quæ semper à Cæsare steterat Fortuna mirabiliter elusit. Nam Clemens reuectus in Vrbẽ non multò post in morbũ incidit, maximè diuturnum exituque lethalem, sic vt repetitis irritisque semper remedijs veneno tentatus crederetur. Atque ita ad sextum Calendas Octobris, qui robore corporis aduersus omnem morbi contumeliam indomitus putabatur, spiritu adhuc ferox è vita migrauit. Quo nuncio Alfonsum incredibili voluptate affectum ferũt, geminato etiam mox insigni gaudio, quòd Farnesium Pauli tertij nomine delumpto primis comi-

tialibus diebus ei ſuffectum adierat, hominem omnibus ſenſibus Borgiæ familiæ coniunctiſsimum, vtpote qui Alexandri Pontificis memoriam gratiſsimo animo percoleret, à quo initium dignitatis accepiſſet. Rebatur enim eum neque ſibi neq; liberis ex Lucretia Borgia ſuſceptis vnquam defuturum. Neque ipſum opinio fefellit: nam initio ſtatim Pontificatus minimè dubitauit quin latam à Cæſare ſententiam ratam haberet, totumq; id auri pondus, quod Clemens publicæ dignitatis cauſa abſtinentiſsimè atq; ſanctiſsimè reiecerat, propenſo flagrantique ſtudio reciperet, & Hyppolitum filium Archiepiſcopum Mediolanenſem, ei collato honore purpuræ in Senatum legeret. Verùm Alfonſus vix dum Paulo Pontificatum gratulatus, vſque adeo grauem incidit in morbum, vt non diu, vel acerbiſsimi hoſtis morte, vel inexpectata amiciſsimi hominis felicitate lætari potuerit. Trigeſimo enim et quinto die poſt Clementis mortem extinctus elatusque eſt, quum octauum & quinquageſimum ætatis vix impleſſet annum. Ferunt eum nimio melopeponum eſu per autumnalem intẽperiem labefactato ventriculo accerſiſſe febrẽ, cuius vim occultè graſſantis vel temperatura firmiſsimus ſuſtinere non potuit. Præceſſere mortem eius prodigia quædam à curioſis obſeruata. Conflagrauit in primis atrociſsimo incendio prętoria tot Principum domus, tanto ciuium & concurrentium ad reſtinguendos ignes pauore & ſtrepitu, vt tota ciuitas rapaciſsimis atq; impotentibus flammis ceſſura crederetur. Verùm in ſummo inopinatoque periculo Princeps egregiè ante omnes fortis & impauidus, medias ędes ſalubri cõſilio euerſis tectis proſcindi iuſsit, periculoſam operam ſtrenuè quidem, ſed non impunè nauantibus, qui Principis edicto ab emiſsis vndique prędonibus & multo campani æris ſonitu ad ferendam opem vocabantur. Patefacta itaq; eſt dolabris atque ſecuribus multo cum labore, & miſerabili quorundam interitu media ferè pars ædium, vſque ad interioris porticus aream, vbi erant ad theatralem vſum edendis comœdorum ludis perampla conclauia, vt furentes flammæ, proxima quæque quamociſsimè corripientes, inanibus aperti cœli ſpatijs occurrerent. Sed non vno in loco rediuiuum edaci impetu reſurgebat malum, eò quidem liberius & terribilius, & quòd hybernæ prolongæque noctis denſiſsimæ tenebręs, in tumultuoſa concurſatione pauorem augentes, cuncta prorſus humana ſubſidia retardarent. Hoc inuſitati crudeliſque ſpectaculi oſtẽtum nequaquam ad triſte omen Alfonſus vertit, quoniam is igneus ſplendor certæ lætitiæ euentum prænunciaret. Nec ea opinione deceptus eſt: nam Renata nurus non multò poſt exoptatum marem peperit, eó pleniore omniũ gaudio, quòd plerique Renatam Annæ matris fœtura ſimilem euaſuram crederent, quę iterata partu fœminei ſexus geminam prolem edidiſſet. Hoc tranquillò vitæ exitu Alfonſus tanquam votorum omnium compos, ideoque beatus ex hac luce in cœlum migraſſe credi poteſt, quando per omnem ętatem aſſiduo curarum ęſtu agitatus, totque inimicitijs & coniurationibus ac duriſsimis bellorum difficultatibus circumuentus ſemper ęrumnoſus, & nonnunquam in ſumma rerum deſperatione miſer apparuerit: quæ omnia conuertente ſe demum Fortuna magnis commodis expiata ſunt. Tres enim Pontifices, qui Ateſtino nomini infenſiſsimi hoſtes fuerant, immaturo Fato atque opportuno tempore extinctos vidit: amiſſas vrbes recepit, & quod ſemper exoptarat, Albertum Pium inimicorum longè grauiſsimum, cum à Cæſare damnatum,

tum, tum à Gallis in ſupremo pacis fœdere prætermiſſum, indeque vrgente animum dolore apud Pariſios exulantem mortuum eſſe audiuit, ſcilicet vt eius ditionis factus hæres cumulata lætitia frueretur. Proſpexit quoque Alfonſus, quod exactæ felicitatis exiſtimari poterat, nominis ſui ſobolē multiplici cum ex ſua tum filij Herculis prole ad poſteros longiſsimè propagari. Nam præter quinque liberos ex Borgia vxore ſuſceptos, etiam duos mares ex Laura concubina ſuſtulerat. Hanc enim abrupto cælibatu, qui ſibi ad dandam liberis operam ęquè prono et valido noxius erat & moleſtus, à non inuito patre plebeio opifice virginem acceperat, vel ob id præcipuè, quod neque decorum, neque tutum, neq; ſibi iudicabat honeſtas ciuium familias ſtupris ac adulterijs dedecorare. Verùm eam demum probis pudicisque moribus, & ſtatę formæ dignitate ad genium reſpondentem, et à felici fœcunditate commenda tam legitimę vxoris loco habuit, & geminos ex ea filios de nomine ſuo Alfonſos appellauit. Fuit Alfonſus aſpectu & natura ſubauſterus, ſed in familiari cōuictu valde iucundus & facilis: mendacium in primis, furumque & ſeditioſorum ſeuerus hoſtis, cùm in reliquis criminibus puniendis exorabilem ſe lenemque præberet. Vna tantùm in re nimis ſeuerus & quibuſdam immodicè terribilis videri poterat, quòd ſuburbanos agricolas proprias ipſius Principis venationis & aucupij voluptates intercipere auſos propoſito edicto ſe laqueo puniturum minaretur: eo tamen humanitatis temperamento, vt eius edicti ſeueritate in ſpeciē tantùm vteretur, cùm atrocis maleficij quoſdam damnatos, falſo appoſito titulo ad deterrendos ruſticanos homines in furca ſuſpendi iuberet, appenſis ſcilicet ad collum faſianis, vt in eo prædæ furto deprehenſi vulgò crederentur. Sed qui in omni ciuili militarique negotio mira prudentia grauitateq; iudicij plurimùm valebat, à quibuſdam non obſcura ſubagreſtis quæſtus ſugillatione notabatur, quòd ſalſamentorum & pomorum omnis generis atque olerum monopolia per inſtitores ſuos exercere diceretur. Nam opimæ piſcationis circa Paduſas vſitatæ, & fructus ex ampliſsimis ipſius hortis collecti expoſitique venales, non toti modò aulæ, verumetiam vrbanę multitudini expetitam moderati pretij copiam ſuppeditabant. Aggeres nanque vniuerſos intra pomerium per decliuia planaque, vti locus poſceret, frugiferis arboribus, et inflexis vinetis, digeſtisque areolis perpetua viriditate veſtiuerat, quæ omnia diligenti cultura & perenni irrigatione, ad id lata & nauigabili foſſa ex Pado perducta, ad miram vbertatem omnium terra naſcentium, & peramœnæ deambulationis voluptatē inſtituta, clari hoſpites mirarentur. Verùm imperiti homines temerè probra Principibus affigere ſoliti, neſciebant certiſsimos atque ſanctiſsimos redditus ex vnà maximè induſtria & parſimonia, quæ neminem lęderet, facilè prouenire, vtpote qui Principem prodigum & inconſultæ liberalitatis mallent, quàm tenacem iuſti & ęqui, patrięque amantiſsimum, & minimè largitorem. His autem in rebus Alfonſo ſummæ fidei, ſummæque ęquitatis & diligentiæ miniſter & moderator aderat Alfonſus Trottus, qui erarij fiſcique & totius familiaris negotij rationibus erat præpoſitus. Ab hoc Princeps admonebatur quantam pecuniæ vim tot bella, totque impetratæ pacis ſumptus, & tot admirandorum operum, quibus patriam feciſſet inexpugnabilem, diuturnæ impenſæ conſumpſiſſent, quantum denique abſumeret quotidianus liberorum luxus, qui ipſo ad tranquillum remiſsi animi ocium, & familiarem con-

uictus diſciplinam ſponte ſubducto, vniuerſum familiæ decus aulæq; frequen
tiam erudito atque perpetuo menſarum ſplendore tuerentur: ſic vt eum niſi à
malignis & improbis auarum appellari poſſe iudicem: quando creditorem e-
xiſtimari malle, quàm debitorem profiteretur: ideoque militi ſua ſemper ſti-
pendia incorrupta fide ad diem perſoluerit, & nunquam optimarum artium
profeſſoribus, qui in Gymnaſio iuuentutem docerent, conſtituta præmia re-
tardarit. Sic enim ſibi cùm ſecuritatis, tum dignitatis ſuæ rationem conſtare
exiſtimabat, quarum alteram fide militum parari, alteram autem preclara flo-
rentis gymnaſij exiſtimatione ſuſtentari, nunquam honeſtæ laudis oblitus, ar
bitrabatur. His de cauſis cùm eſſet natura ædificator aſsiduus, ab eo inſatiabili
ſtudio, quod ærarium exhaurire poſſet, ſe temperabat. Nam ciuili elegantia po
tius quàm principali magnificentia ædes condiderat in inſula Padi contra vr-
bem quam Beluederiam appellabat, vbi erant opaca viridaria, atque Indici pe
coris, nouarumque volucrum peregrini generis ſepta. In aduerſa quoque par-
te vrbis alteram conſtruxerat domum picturis & ſalientibus aquis peramœ-
nam, quam Montanam ideò vocabat, quòd excelſis & nemoroſis aggeribus
ſubeſſet. Neque enim his mediocribus ædificijs, quæ erant ad temporariam vo
luptatem difficillimis ardentis belli temporibus vrbano in ſeceſſu conſtituta,
proprium decus quærebat, ſed ingentibus bellicarum munitionum operibus,
& admirandis propugnaculis, mirificoque tormentorum apparatu, quibus
cùm ſibi tum ciuibus ſummæ ſecuritatis aduerſus hoſtes exiſtimationem pepe
riſſet. Quæ omnia eo maiore cum admiratione incredibili ſumptu cœpta per-
fectaque ſpectabantur, quòd nunquam ciuibus nominatim, aut publicè pecu-
niam imperaſſet, nec milites per occaſionem dilati ſtipendij in agros ſui impe
rij, vt agricolarum copijs alerentur, vnquam emiſiſſet. Curabat enim enixè, vt
ciuium & villicorum fortunæ inter belli detrimenta eſſent incolumes, quòd
his maximè præſidijs, publica ſalus & decus vrbis cum inſigni omnium erga
ſe ſtudio ſubſiſtere & reflorere cenſerentur. Cæterùm Alfonſus aduerſus parſi
monię & totius diſciplinę ſuæ obtrectatores ſine iactantia diſſerendo hoc gra
ui edito proloquio ſæpiſsimè prædicabat, Principis inane eſſe nomen, & id cõ
temptui atque iniuriæ ſemper expoſitum videri, niſi eius ærario prægrandem
ſignatæ pecuniæ vim ante pericula congeſtam contineri ſeruarique omnis ge
neris homines exiſtimarẽt. Id porrò non in vltima eius laude poſuerim, quòd
lectiſsimos homines præcellentium ſtudiorum atque artium gloria florentes
precipuo in honore ſemper habuerit. Herculis enim patris exemplo, tanquam
bellicarum rerum grauiſsimis agitationib. occupatus, literarum ſtudia deſer-
ruiſſe potius quàm contempſiſſe exiſtimari volebat: ſic vt nonnunquam eo in-
ſcitiæ nomine grauiter offenderetur, & ore ingenuo certa pœnitentiæ ſigna
daret: quòd pertinaci valetudine tentatus, & ob id variarum oblectationum
leuamen quærens, minus neceſſarijs, quanquam iucundis fabrilium rerum o-
pificijs ingenium occupaſſet. Inter eos autem quos reuereri, & ſeriò diligere e-
rat ſolitus, præclara tum nominis fama eminebant, præter ipſos Matthæum
Caſſellium & Ludouicum Catum iuris ſcientia claros, Nicolaus Leonicenus,
ſummæ eruditionis & innocentiæ ſenex philoſophus, & ſecundum eum Ma-
narduſ huius doctrinæ ſectator: ſed qui diuiti medico quàm algenti philoſo-
pho propior eſſe mallet; amœnioribus autem literis liberaliter inſtructus Pi-

ſtophilus

ſtophilus epiſtolarum magiſter, & Cælius Calcagninus multæ vigiliæ multę-
que lectionis honeſtam famam varijs ſcriptis adeptus: atq; item Andreas Ma-
ro extemporanea facultate, quum Latinos verſus effunderet, poeta incompa-
rabilis. Cęterùm hos omnes authoritate Etruſcorum carminum, & arctiſsima
Principis familiaritate Ludouicus Arioſtus anteibat: cuius in ſatyris vrbanã
grauitatem: in comœdijs nouum leporem & ſalem, in heroicis verò miram
granditatem non inſulſi homines admirantur. Hi ferè omnes hodie fato ſuo
functi, ab ingeniorũ monumentis (vt credi par eſt) diu in celebri fama hominũ
viuent, & cum his procul dubiò Alfonſus ipſe egregio ſuo merito luculentiſsi-
mè celebratus. Præclaro enim gentium omnium conſenſu, boni ſtudioſiq; mor
tales, qui in hac vita multis fortunæ luſibus expoſita inclytis auguſtæ virtu-
tis operibus maximè diuturnam laudem petunt, hunc vnum veluti ſummum
ex tota laborioſæ vitæ agitatione fructum ſpectant, vt nominis ſui
memoria ad poſteros nobili perenniq; literarum præſi
dio, poſtquam cætera omnia tempus edax celeri-
ter abſumpſit, quàm longiſsimè
proferatur.

PAVLVS IOVIVS EPISCOPVS NVCERINVS CONSALVO FERDINANDO Cordubæ Principi Sueſſano. S. D.

IOVICVS pater tuus, generoſo illuſtriq; ingenio vir, cùm ab Hiſpania à Carolo Cæſare legatus Romam miſſus apũd Hadrianum, Clementem q; Pontifices in eo grauiſsimi officij munere verſaretur, vſque adeò ſplendore vitæ munificentiaque liberalis animi, & denique (quòd ad promerendam gratiam plurimùm intererat) vrbana comitate præcelluit, vt vel à moroſis & maximè parcis Principibus, quæ in rem Cæſaris forent, inuſitata dona feliciter impetraret, eum verò omnium ordinum ex aula lectiſsimus quiſque vehementer adamaret, ipſaq; præcipuè Romana nobilitas ſtudioſè percoleret. Is me tum in præclara luce Vaticani condendæ noſtrorum temporum hiſtoriæ acriter intentum, ex optimis q; literarum ſtudijs, ſi huic ingenuo labori noſtro non dubia vita proponitur, non facilè interituram laudem & gloriam ſperantem, humaniſsimè rogauit & impulit, vt peculiare volumen de vita et rebus geſtis MAGNI CONSALVI *eius ſoceri, auique tui, Latinè conſcribendum ſuſciperem, quòd ſuppreſſa eius viri laus, à quibuſdam annales anguſtè ſcribentibus, & ab ineptis quoque poetis defraudata videretur. Itaque beneuolentiſsimo homini honeſta petenti, cohortante præſertim Eluira matre tua virilis animi fœmina, alacriter ſum obſecutus, ita vt continuis lucubrationibus*

id volumen ad vmbilicum ferè, nec præcipiti quidem, sed accurata quadam celeritate perue-
niret. Verùm crescente & iam propè consummato opere, exortum repentè bellum institutas
vigilias interrupit, & pater tuus iussu Cæsaris Vrbe excedere coactus est, qui dum apud Co-
lumnios proceres Marini cohortes conscriberet, in supremum incidit morbum. Id cùm resci-
set Clemens: & æger, vt in eo tumultu facilè accidit, ab agrestibus medicis miserè iactaretur,
amicissimo ei homini extra belli causam Pontificiæ humanitatis officium omne præstandum
ratus, me ante alios delegit, qui ad eum inuisendum contenderem: quoniam intima familia-
ritate coniunctum, professionéque medicum, et veterem Columniæ domus clientem procul dù-
biò ægrotantis animo atque oculis gratissimum fore intelligebat. Itaque id deposcente Ponti-
fice, amicisque probantibus, quòd salutis cura parandi belli studio potior esse censeretur, nec i-
deò publicæ simultatis nomen priuatæ pietatis officium excluderet, in Vrbem lectica delatus
est. Verùm morbus ex contumaci febre vitalia carpens, neque insignium medicorum diligen-
tia, neque vllis omnino vel exquisitis remedijs potuit mitigari, cùm integris sensibus expiran-
tem hora fatalis eriperet. Nec defuêre qui eum mortifera potione sublatum temerè prædica-
rent, quòd sacrosancto Pontifici, Vrbique, se infesta arma, nisi lacesseretur, illaturum esse, vti
verè pium decuit, constantissimè pernegasset. Sed nullum omnino huiusmodi sceleris vesti-
gium nobis apparuit. Inde tamen paucis admodùm diebus, conceptum antea immane facinus
Vgo Moncada, Columnáque Pompeius direpto Vaticano, obsessóque in arce Pontifice, per-
petrarunt. Vnde postea tanquam à lugubri initio longè omnium clarissimæ atque miserrimæ
Vrbis funestissima clades emanauit. In ea autem publica calamitate inchoatum (vt diximus)
volumen, conturbatis scilicet atq; direptis omnium fortunis, magna ex parte perierat, & pro-
culdubiò interijsset totum, nisi post viginti annos Franciscus Mendocius Cardinalis, doctrinæ
atque virtutis nomine mihi plurimùm excolendus, imperfectum, & planè sepultum, tanquam
ab inferis tuo præclaro monitu reuocasset. Quo fit, vt eius mirificæ pietati plurimùm debeant,
cùm ipsa parens Hispania patria, & Cordubeæ gẽtis domus, tum & ipsi præcipuè MAGNI
CONSALVI felices manes, qui purissimo in æthere & in fama hominum perpetua gloria
perfruuntur. Tu verò Princeps amplissimè hoc vnum Iouio debebis, quòd ei pro trophæo mo-
numentum erexerit, omni quidem ære cælatóque marmore perennius, quod non
Grannatæ tantùm, vbi temporario in loculo satis angusto longè maxi-
mi viri ossa cubant, sed toto terrarum orbe religiosa cum venera
tione omnis posteritas admiretur. Vale. Romæ
Idib. Septembris, anno M. D. XLVII.

PAVLI

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, DE VITA ET REBVS GESTIS CONSALVI FERDINANDI CORDVBAE cognomento MAGNI Libri III.

NEC LEM vt afflictæ peneque ſubactæ Italiæ fato eſſet datum, quod certè haud mediocri ſolatio iis maximè luctuoſis temporibus foret, vt eum virum qui omnium longè optimus atque inuictiſsimus noſtræ tempeſtatis extiterit, in ea naſci contigiſſet. Nã poſtquam veterem belli gloriã dignitatemque omnem inſanis diſſenſionibus noſtris amiſimus, acerbiſsimus certè dolor deploratæ liberta-

tis, vel hac vna percepta voluptate leuaretur. Externi nanque hominis vitam, ante alios literarum memoriæ commendandam existimaui, postquam diutur no immensi operis labore fatigatus, aliquam honesta cum voluptate requiē fueram quæsiturus: sed vel ea potissimùm ratione, vt clarissima perfectæ virtutis exempla quæ in Historijs attigisse non decuit, imitanda posteris traderentur. Quanquam nec Italiam fortibus viris atque omni ciuili bellicaque laude dignissimis adeo effœtam arbitramur, vt in ea veterum ducum qui cæteros quondam omnium ętatum ac gentium haud dubiè veræ virtutis gloria superarunt, sobolem penitus interijsse putemus. Nam si ingentes Bellorum clades, quæ non modò Italię, sed toti vel incognito antea orbi terrarum, omnium propè rerum funestam mutationem attulerunt, memoria repetamus, multos profectò hæc turbulentissima tempora tulisse fatebimur, qui insignibus maximarum virtutum ornamentis, vel clarissimos antiquorum triumphos equasse videantur. Quòd si Romana res stetisset incolumis, veterisque militiæ disciplina ad hunc vsque diem incorrupta peruenisset, nec interea dirę factiones quas Barbarus hostis inuexit, mentem cunctis eripuissent, nulla profecto collata huic nostræ vel militū vel ducū ferocior ętas extitisset. Etenim vigentis Reipublicæ, atq; ipsorum Augustorū inexhaustę opes, felixq; ille et salutaris Italię consensus, quo cuncta sunt domita mediocribus sæpe viris, qui vel sorte magistratum inijssent, admirabiles victorias triumphosque pepererunt. At nostræ tempestatis imperatoribus aliam rerū faciem infensissimi seculi fortuna prorsus ostendit, quib. sæpenumero suum militem in officio continuisse aliquanto difficilius fuit, quàm hostes periculosis ambigui Martis operibus deuicisse: adeo enim militarem disciplinam vel tenuitate opum Italiæ importuna Regulorum multitudine laborantis, vel diuturno exitialis negligentię morbo affectam prostratamque conspicimus, vt iam ea ab externis gentibus quibus illam maiores nostri cum multa gloria tradiderunt imitatione parum decora, postquam fatali desidia concidimus, repetenda videatur. Nam si quo militum obsequio, qua centurionum præfectorum religione, quaue imperatorum seueritate constiterit, animo reputare velimus, paucos certè verorum militum nomine dignos esse censebimus. Inueterato nanque fatiscentis huius seculi vitio, si qui sunt ingenui, vel à mediocri Fortuna non ignobiles, qui vires atque animos militiæ idoneos afferre videantur, ij ante omnia pedibus stipendia merere, quod multo gloriosius maioribus fuit, longè turpissimum ducunt, quo fit vt ex pessimo seruilique genere hominum legiones conscribantur, temerario potius impetu, quàm certa ratione pugnaturæ, aut ignauia turpique flagitio prodituræ ducem, in cuius manu atque consilio gerendi belli summa constiterit. Nec id mirum videtur, quum milites linguarum ac morum varietate dissimiles, non vnum omnes militandi finem respiciant, nec sensibus inter se coniungi, nec à ducibus regi possint, nisi vim imperij, quod reuerentia, quàm seueritate validius semper fuit, atrocibus exemplis præsentibusq; supplicijs, fœdata sæpe nominis maiestate experiantur. Quis enim vel diuinæ virtutis imperator rem bellicam ratione gubernauerit, quum milites accepto stipendio sæpe transfugiant, opus militare detrectent, in agmine præ dentur, in castris nec vini, nec obsonij quidē recentis desiderio patienter ferāt, atq; in acie demum canente classico, instanteq; hoste stipendium flagitare nō erube-

erubescant? Porrò quis leuissima sæpe de causa consternatis, quis contumacibus, quis seditiosis desertoribusque pepercerit? Quis hæc vnquam militum errata, prænuncia calamitatis, & cladis ingenio prudentiaque correxerit? Per has ergo labantis disciplinæ difficultates, nostræ tempestatis ducibus grumoso quodam labore fuit eluctandum, ita vt nulli sit dubium, quin innatę eorum virtuti summum proculdubio bellicæ laudis fastigium contendenti, eæ plurimùm offecerint. Floruere quidem multi æquales, quorum res gestas perpetuo historiarum cursu latè perscripsimus, cùm Itali, tum externi duces imperatoria laude conspicui: sed qui diuersis omnino virtutibus ad amplissimos eius nominis titulos peruenerint, & ante alios Triuultius, Petilianus, Franciscus Gonzaga, Paulus Vitellius, Liuianus, Gasto Foisseius, Nauarrus, Prosper Columna, & qui modò immatura morte præreptus est Ferdinandus Daualus. Quis enim Triuultio à pueritia vsque ad summam senectutem omnibus militiæ muneribus gloriosè perfuncto, aut plures, aut meliores artes in administrandis conficiendisq; bellis secum tulit? qui quum floreret omni genere virtutis, ea tamen incomparabili laude clarissimus fuit, quòd sæpe sine suorum vulnere magnas hostium copias profligarit. Quis Petiliani cunctatoris atque statarij ducis constantiam, iudicium ac vigilantiam æquauerit? Quis autem Gonzaga Mantuano authoritate, splendore, militum studio, equorum atque armorum apparatu, alacritate, ardoreque pugnacis animi superior fuit? Quo non genere laudum Vitellius dignus esse censebitur? qui flagrantissimo bellici decoris studio ductus, tanta ingenij grauitate, tanta arte, ex domestica maximè disciplina, quæ mirifica eius familiæ semper fuit, tantaque demùm virilitaris spiritus arma tractauit, vt nisi in medio cursu cecidisset, solus ipse libertatem Italiæ defensurus esse videretur. Liuiani autem acuti, vehementis exercitatique hominis promptam, & paratam in consulendo agendoq; industriam nonne omnis posteritas impensè laudabit? Porrò quænam ætas Foisseium adolescentem non admirabitur? qui penè prius imperator quàm miles, prius victor clarissimus quàm receptus imperator multo plures nobilioresq; victorias paucissimis diebus incredibili celeritate est adeptus, quàm quisquam ferè dux vetus toto longissimæ vitæ cursu comparauit. Nauarrus quoque, qui omnibus veræ virtutis subsidijs fretus sine vlla maiorum commendatione aduersis pariter atque secundis rebus inclaruit, maximi profectò ducis famam consecutus esse videretur, nisi eum impotens fortuna in has supremi carceris miserias præcipitasset. In Prospero Columna singularis altitudo, mederatique animi eximia solidaque prudentia, incredibilis authoritas, ac religiosa potius quàm seuera disciplina cum perpetuo quodam tenore lautioris vitæ plurimũ enituerunt. Verùm vel ob id sempiterna laude fruetur, quòd vti Romani sanguinis imperatorem decuit, tanquam terrę patrię amantissimus, dira belli incommoda tam pio instituto, quàm seuero in externos præsertim milites imperio semper auerterit. Sed Daualũ eiusdem belli imperijq; & glorię successorẽ, quonam satis decoro meritæ gloriæ prœconio dignum existimabimus? quem sicuti inusitatus mirificarum virtutum concursus omnibus bellis admirabilẽ fecit, ita eum tot opimæ incomparabilesque victoriæ, vno eius diuino consilio, vnaque prope eius fortissima fatalique dextera comparatæ, supra summos rarissimarum laudum honores extulerunt. Cęterùm eorum quos modò

præstantissimos fuisse memorauimus, nemo omnes simul militarium virtutum numeros ad bellum attulisse iudicabitur, quum alijs in gerendis rebus expeditus vigor, alijs matura consilia, alijs sinceræ fidei nitidior fama, plerisque verò fortuna ipsa, quæ iam sibi ex professo rei bellicæ gubernacula vendicauit, omnino defuerint: ita vt planè perfectum imperatorem, quem frustra oculis & cogitatione requirimus, neque nos vidisse, neque vnquam in posterum visuros esse fateamur. Quòd si miscere in vnum singulas omnium virtutes, absolutumq; ducem detractis ingentibus vitijs effingere animo, & spectandum comparandumque cæteris proponere velimus, ei certè MAGNVS CONSALVVS cum felici meritoq; cognomine, tum virtute ingentis animi, lineamentisque excelsi corporis, longè omnium nostræ ætatis proximus ad illum accesserit. NATVS est Cordubæ, Bætica vrbe peruetusta, & quod summum dignitatis locum respicit, præcellentium ingeniorum altrice clarissima, vel si à Romani imperij tempestate, qua nobilissimi vates Lucanus, & duo Senecæ inde prodierunt, fidem repetamus, vel si recentiorem Punicarum rerum memoriam sequamur, quum post eiectos Gothos, & Vandalos Hispania ferè omnis Maurorum armis cesserit, & Cordubæ Gymnasia disciplinarum omnium inuectis literis Arabicis insigni professorum fœcunditate floruerint. Maiores Consalui æquè nobiles à præalta stirpe, ac strenui bellatores fuisse produntur. Aquilarij siquidem appellati sunt, quòd vti credi par est, Aquilam Romanæ legionis illustre signum, spectatæ virtutis prærogatiuæ deferre consuessent. Ita vt præclari eius officij dignitas, quum in generosa progenie viri fortissimi tanto munere implendo pares nunquam deessent, in familiæ nomen transijsse existimetur: vnde & ipsum quod incolerent antiquæ ditionis oppidum appellationē traxerit. Iuuat enim in militari familia prætulisse Martium decus omnibus Gothorum prosapijs, quādo sicuti hodie audimus, quòd magnoperè dispudeat, non aliundè quàm à Gothorum sanguine, generis claritas in Hispania petatur. Sed hoc de Romanæ legionis Aquila pro certo non affirmauerim, quanquam magno veritatis argumento sit, quòd Aquilarij antequam Cordubæ nomen susciperent, Aquilam in antiquis eorum gentilitijs insignibus gestarint. Licet tamen scriptoribus vel à fabulis Heroum nobilissimi cuiusque sanguinis origines cum bona legentium venia repetere. Quo fit vt nostro iure quosdam poetas historiarumq; scriptores demiremur, quòd cum rectissimè nec vlla quidem mutata litera Consaluum suo certissimo nomine Aquilarium vocare possent, modò Agidarium, modò Agellarium ineptè appellare maluerunt, secuti vti reor corruptam vocem Aghilarij oppidi, vnde more gentis, sicut in Hispania Galliaque videre est, à ditione possessioneque oppidorum in familijs nouum cognomen obuenire perspicimus. Verum Consaluus, vt à Ludouico eius genero accepimus, se Corduba familia ducto stemmate ortum enarrabat, quanquam id vrbis familiæque nomen in familiaribus epistolis omitteret, vt à ceteris gentilibus ex oppidi nuncupatione discerneretur. Egregij nanque vlterioris Hispaniæ proceres, cum ab eis vrbs Corduba diuturna obsidione fatigata, demùm capta esset, pro decoro spolio captæ vrbis appellationem prætulerunt, recepto vtique nouo tanquam nobiliore Cordubæ cognomento vetus familiæ nomen abdicantes. Quanquam familiæ Cordubæ ab vno præalto stipite in multos diffusa ramos, alia atque

alia ad

alia ad diſcernendas cognationum propinquitates cognomenta, vel ab oppidorum poſſeſsione vel à matribus ſæpiſsimè ducta recipiat. Cæterùm Petrus Conſalui pater ab adoleſcentia Punicis exercitatus armis priuſquam Granata oppugnaretur, quòd grauitate conſilij, & militari fortitudine inter ſummos principes emineret, bellicæ lauids plenus nequaquam ſenex, apud Toletum lateris morbo conſumptus eſt, reliquitque ex vxore Eluira Erreria nobiliſsimi ſanguinis & formæ incomparabilis fœmina Alfonſum & Conſaluum filios adhuc impuberes, magnæ demum fortunæ gloriæque multis in prælijs oſtentatos. Vigebant enim in vrbe Corduba duę factiones, & vtraque ex Corduba familia, quarum altera Capræ Comitis dicebatur, altera ab Aquilarijs nomen ducebat. Huius acerrimus dux & defenſor Petrus extiterat, ita vt eo mortuo Aquilarij in contentionibus & prelijs nullum omnino alium ducem quàm fratres orbatos patre, vel adhuc impuberes mallent, eosque in aciem ſępe producerent, quòd nunquam his ducibus ab hoſte vinci poſſe arbitrarentur. Granatenſi autem bello quod ipſis iam planè adultis & tanquam inter ciuilia arma natis & educatis, proſpera virtutis fama florentibus incidit, ab Antichera oppido Granatæ propinquò multa detrimenta Mauris intulerunt. Verùm Alfonſus triennio maior Hiſpanica lege fermè integram paternæ ditionis hæreditatem adeptus eſt, ita vt Conſaluo res domi anguſta, & ea tantùm quæ in virtute fortunaque poſita forent, ſperanda relinquerentur. Sic enim nobilis ſtirpis iuuẽtutẽ (cum in vnaquaq; familia natu ex liberis maximo, tota ſubſtantia paternæ facultatis obueniat) egeſtatis malo impelli ad nouas ſpes atq; ad bellicũ laborẽ vnde premia proueniãt, antiqui patres arbitrati sũt: quòd generoſos adoleſcentes ab ignobili pinguiq; ocio, ad expetendũ procul à delitijs verum militiæ decus excitari conſtet. Itaq; Conſaluus adhuc imberbis munificentia Alfonſi fratris liberaliter inſtructus, ad Alfonſum puerum Regem mittitur, deducente Didaco Chartamo honeſto prudentique equite. Is præceptoris atque nutricij officio & munere, adoleſcentem, & ardentis ingenij captu, & toto firmiſiſsimi corporis habitu, ad virile decus aſpirantem elegantiſsimis moribus erudiebat. Commendarunt adoleſcentem Regi ex paternis amicis virili ſummę dignitatis atq; potẽtiæ Alfonſus Carillius Archiepiſcopus Toletanus, et Ioannes Pacecus magnus Compoſtellani ordinis equitum magiſter. Sed non multò poſt Alfonſus in ipſo regni limine morbo ſurreptus interijt. Nec multis inde menſibus coætaneo rege dominoque orbatum, Iſabella ad ſe pari conditione Segobiam accerſiuit. Hæc erat Ioannis Caſtellæ Regis filia, pueri Alfonſi atque Henrici regis ſoror & hæres, Aragonio Ferdinando nupta, quæ vlterioris Hiſpaniæ regna dotali iure, citerioribus regnis adiunxit, quum generoſi prudentisque animi magnitudine, tum pudicitiæ & pietatis laude antiquis Heroidibus comparanda. In eius aula Conſaluus quum ſpectacula & equeſtres ludi, vel concurrentium iuuenum haſtatorum, vel arundines more Mauriſiaco iaculantium ederentur, vſqueadeo ſupra æquales ſummæ nobilitatis adoleſcentes ſeſe extulit, vt acclamatione ſpectantis populi iuuentutis Princeps appellaretur. Superabat enim cunctos eximijs viribus, decora facie, proceritate corporis, & ſupra hęc admirabili facundia, quæ (quum cęteræ virtutes aſpirant) animis ac ingenijs hominũ impotentiſsimè dominatur. Ad hæc acceſſerat illa auræ popularis captatrix,

profusa & nusquam astuta liberalitas. Largitor enim animus nullum omnino modum sumptibus imponebat, quum nobilitate equorum, armorum ornatu, in omnique genere principalis elegantiæ, & perpetuo hospitalis mensæ splendore, maximorum regulorum filios anteire contenderet. Erant ij sumptus nõ modò supra eius censum, qui erat pertenuis, sed supra rationem humanæ spei, quæ nouum prouentum afferre posse videretur, adeo vt quum purpuream vestem Scythicarum sibillinarum pellibus suffultam, quę duobus aureorum millibus constiterat, nec solenni quidem festo die induisset, mussaret Chartamus, Alfonsus verò frater per literas seuerè quidem admoneret, sed fraternè simul hortaretur, vt insanis sumptibus indulgere desineret, ne vertente anno cum ignominia nominis, æmulorumque risu ambobus esset decoquendum. Ad ea Consaluus his fermè verbis rescripsit: Non eripies mihi perfectò Alfonse frater, quam Dij dederunt animi magnitudinem hoc inani futuræ egestatis timore iniecto: nam præclarè compertum habeo, neque te amantissimo fratri vnquam ex substantia tua defuturum, neque Deum ipsum, qui haud dubia prouidentia ad honestum decus vadentibus semper adesse consueuit, à fide ex arcano syderũ data desciturum. Ominabatur enim sibi iam opes ingentes, quib. totius beneficentiæ & liberalitatis vota esset expleturus. Eo modo nobilissimorum atque insignium morum commendatione totius aulæ specimen præferentem, militiæque auidum, exorto cum Lusitanis bello, Isabella ad Alfonsum Cardonem misit. Is tum regijs in castris ad Trongillum positis erat imperator: impetrauit autem Consaluus, vt fraternæ alæ quæ ex centum & *viginti* armatis equitibus constabat, Legatus iret: atque ita apud Cardonem primum militiæ rudimentum posuit, vsque adeo prospero successu, vt quum ad *Alboheram* insigni prelio esset dimicatum, & victor Cardones aduocata concione, gratias militibus ageret: vnum ante omnes Consaluum ex his qui fortissimè dimicassent, cum multo verborum honore laudarit, vtpote quem ipse in medio pugnæ ardore armis cristisque conspicuum acerrimè pugnantem conspexisset. Nec multò post quum Rex Ferdinandus Isabellaque vxor acre bellum aduersus Mauros suscepissent, summamq; vim, & longè maximum terrorem Granatę vrbi ex propinquo admouendum arbitrarentur, expugnata iam Alhama, contra Taiaram castra posuerunt. Id erat magnæ opportunitatis & validæ munitionis oppidum, ita vt Consaluo id magnopere expetenti, aggrediendæ expugnandæque Taiaræ munus imponerent. Nec dubitauit iuuenis impiger, quin muro succederet plurium scilicet ostiorum valuis pluteorum more ante se erectis, quòd extruendæ munitioni locus asper & frequentibus petris verrucosus glebam et cespitem denegaret. Hos autem pluteos multo subere, cuius materiæ copiam hortorum aluearia suppeditabant, ita protexit, vt milites egregiè tecti, aduersus sagittas telaq; omnis generis in oppugnatione versarentur: ipse verò Consaluus ante omnes pericula intrepidè subiret, acreq; certamẽ omnibus in locis nusquam fatigatus instauraret, adeo vt Mauri nouitate pluteorum, & virtute confidentiaque Consalui magnopere territi, colloquium peterent, internuncioq; Consaluo deditione paciscerentur. Taiara eo modo in potestatẽ redacta, quuũ Consaluus acerrimi militis laudẽ tulisset, industriæ quoq; & felicis eloquentiæ in trahendo in conditiones suas Barbarorum duce, nomen adeptus est: atque inde castra ad Hiloram sunt traducta.

Id est

Id eſt oppidum egregię munitionis Granatæ intra centum ſtadia propinquũ, ideoque Mauris ad conuectiones commeatus valde opportunum, quoniam eo tanquam ſtatione ſpeculaque tutiſsima ad quotidianas expeditiones vterentur. Rex qui ad Taiaram Conſalui promptitudinem & nouæ ſubitarięque munitionis induſtriam vehementer fuerat admiratus, vni ei expugnandæ Hiloræ negocium impoſuit, tantaque vi tormentis mœnia quaſſata ſunt, vt murus nonnullis in locis ſterneretur, Maurique varijs feſsi prælijs, & magna ex parte à Sclopettarijs vulnerati animos deſponderent, & Halatar præſidij præfectus ſaluti conſulendum ratus, Conſaluum ad colloquium euocaret, atque eo totius pactionis arbitro fidenter vteretur: itaq; non abnuente rege his quas Cõſaluus dixit legibus oppidũ magno poſtea incommodo Mauris futurum, in poteſtatem eſt redactum. Id verò Ferdinandus excellenti iudicio poſsidendum defendendumque virtutis cauſa Conſaluo attribuit, eique tum primùm alæ centum viginti equitum præfectura, vti antea Alfonſo fratri obtigerat, ad inſignis meriti nomen data eſt. Regina porro ſtudioſiſsimè Conſaluo fauente, vt is optimè inſtructus ad gerendum acre bellum magis accenderetur, magnam telorum & tormentorum commeatusque omnis generis copiam, et delectos ſubinde pedites & equites præſidij cauſa impetrauit, idque aſsignata pecunia excerto vectigali, vt militibus ad certam diem ſtipendia pręberentur. Ab hac Hilora auſpicatus haud dubiè Magni cognomentum, vti magnoperè cupiebat indomiti corporis, atque ingentis animi vim ad celebritatem nominis oſtendit, quòd ante omnes hoſti proximus quotidianis prælijs exerceretur, & in oculis Granatenſiũ circumiecta oppida perpetuis detrimentis afficeret, vſqueadeo vt cum Alarcone Muclini oppidi præfecto conſociatis præſidijs, ad Granatæ portam vſque, quam Bibataubim vocant, deferretur, diſiectisque molis frumentarijs, atque earum cuſtodibus inibi trucidatis, ipſas portæ valuas incenderet, Rege ipſo ad id facinus excito, & ciuitate ad tumultum metu conſternata, quòd non caſu aut militari audacia, ſed dolo & tectis perfidioſè prodentium inſidijs, Conſaluum tantam rem aggredi auſum fuiſſe ſuſpicarentur. Eo enim tempore diſſentientes inter ſe duo Reges Granatæ regnabant. Nam Bulahace Rege mortuo, Baudeles eius frater regium nomen dimidia parte regni ad ſui ſtudium authoritatemque traducta, haud cunctanter vſurparat. Erat enim re Alzagal, ſicut & nomine, quæ vox Punicè audacis & expediti hominis vim exprimit. Alter autem erat eodem nomine Bulahacis filius patre viuo à poſſeſſæ vrbis ditione, rex Gaudix appellatus. Hunc Hiſpani Ciquittum, hoc eſt paruulum, quòd ętate ſtaturaq; patruo minor eſſet, appellabant. Is Albaizina arce ſe tenebat: ille autẽ Alambra potiebatur. Vrbs enim Granata quę ex antiquę Illiberis ruina creuit, mali Punici ex maturitate perrupto cortice ſeſe aperientis formã refert. Nam duæ aduerſo exurgunt Regiæ appoſitis in collibus aliquanto maiore amœnitatis quàm munitionis ſtudio à delicatis Regibus ędificatæ. Odoratis enim Citriorum arborũ viridarijs, & perẽnium fontiũ ſcaturigine, vermiculatisque paſsim pauimentis admirabiles exiſtimantur: ita vt imagine quadã ſicuti in naui hæc vrbis proram, illa verò puppim obtinere videantur. Media nanq; vallis domorũ frequentia celebris vrbẽ diſterminat. Porrò populus regionatim in cõtraria ſtudia cõtentiones primo

de iure imperij peracerbas, mox & arma atque inteſtinum bellum attulerat, ea conſuetudine vt regionum compita ad prohibendos incurſus magnis trabibus atque repagulis obſerata, armatorum ſtatione firmarentur. Auari nanque ſeditioſique homines, & ſupra quàm credibile ſit natura ſuſpicaces, atque ideo fluxa fide, regum diſcordias dum enixè alerent, opimæ prædæ loco habebant, ita vt vtrumque propter Regni æmulationē ab æquo & bono deſciſcentes ac deprauatos, atque ob id ſuorum quiſque perfidiam timentes, ad cædes atque rapinas incitarent. Quibus de rebus tumultuoſa ciuitate, diductaque in factiones, inferior opibus rex iuuenis egrè dominatum retinebat, præualente ſenio re, qui maiore aſtu conſtantiaque regere ac temperare ſuorum animos ſolitus, eò cunctis artibus ferebatur, vt vnus tantùm in Bethica rex foret, qui par externo bello rem Punicam ab Hiſpanorum iniuria defendere tutarique regni caput, & Bethicæ fines integris viribus poſſet. Augebant quoque metum apud iuuenē Regem importuni auariquè milites, qui ſtipendia labefactatis vectigalibus ægrè prouenientia, flagitioſis vocibus poſtulabant: atque ideo non obſcuro minarum genere ad Alzagalem ſtudioſum multitudinis liberalemque, vti ad legitimum Regem ſe tranſituros dictitabant, adeo vt indignatus contumeliam, et perfidiam timens, accerſendos in auxilium Hiſpanos potius quàm patruo parendum eſſe decerneret. Huius iracundiæ conſternationisque giæ à ſpeculatoribus & captiuis certior factus Conſaluus peridoneos homines Regem perpulit, vt ipſe acceptis obſidibus in vrbem accerſeretur, contráque inimicum Regem & patruum Hiſpanorum auxilijs vteretur. Atque ita rebus occultè compoſitis, quum fratres obſides Rex dediſſet, Conſaluus cum Martino Alarcone ſibi amiciſſimo atque fortiſſimo viro (hic enim aſperis in rebus fidus ei atque acer adiutor extiterat) Granatam intrauit, valida ſcilicet ſaggittariorum et ſclopettariorum manu duarum alarum equitibus adiuncta, qua inter anguſtas regiones & inæquales vrbis anfractus barbari ex occulto peterentur, attuliteque ſecum pecuniam quam ſtipendij nomine Mauris militibus diuideret, & ſupra eam ſericæ quoque & laneæ veſtis opportuna dona, aulæ principibus Regis monitu largienda, vt ſcilicet dubios & nutantes in fide contineret. His fretus auxilijs Rex iuuenis commiſſa ſæpe pugna in medijs plateis & regionibus magna Alzagali patruo detrimenta intulit, oppreſſitque omni ex parte factionis ſuæ tumultus. Nam ex liberalitate Conſalui Hiſpanorumque ſocietate populus in vniuerſum ex mœrore diuturno ſe in lætitiam rupente conuerterat, tanquam externo bello ſubleuatus erectusque ad non dubiam ſpem ſummæ commoditatis & lucri, quòd ex eo Conſalui fœdere permulta emolumenta mercatoribus obuenirent: quoniam Mauri qui in partibus iuuenis Regis eſſent, vendendis & coemendis vndique mercimonijs tutiſſima facultas daretur, vſque adeo ſtabili Hiſpanorum fide, vt inuiolati beneque apud Hiloram, & paſsim cæteris in oppidis receptis ad Cordubam & Hiſpalim vſque penetrarent: quum in vnos tantùm Alzagalis imperio ſubiectos Chriſtianorum ſæua arma verterentur. Dum hæc Granatæ agitaret Conſaluus in id omnem ingenij curam intendit, vt Alzagalem extra vrbem eliceret, protectumque longius ab vrbe, intercluſumque opprimeret. Erat in proximo Alhendinum magnæ opportunitatis caſtellum quod Alzagalis præſidio tenebatur, vt hoc oppugnatum irent, proximos præſidiorum præfectos

Conſaluus

Conſaluus admonuit, diemque conſtituit gerendæ rei ſcilicet, vt Rex Maurus laborantibus ſuis opem ferre, in aciemque prodire cogeretur. Verùm fortuna cœpti conſilij ſucceſſum ita direxit, vt quum ex condicto Alfonſus Pennauela à Loxa oppido, & Sancius Lopes ab Alhama ad Alhendinum cuncta vaſtantes excurriſſent, id Alzagal ex fuga ſuorum cognoſceret, ne in oculis luctuoſa calamitas acciperetur, contineri nequiuerit, quin auxilium ſuis laturus erumperet. Iamq; in ſuburbanum Almorauę (vt aiunt) campum peruenerat, quum principes Sacerdotũ, quos Alphaches appellãt, & apud Reges pręcipuo in honore ſunt: quòd vaticinandi diſciplinã callere exiſtimãtur, ab Alzagale ne iter intenderet graui obteſtatione ac precibus impetrarunt, ſcilicet ne ab interno hoſte intercluſus vrbe, ab Hiſpanis cęderetur. Nec eius rei oborta ſuſpicio ex ſacro monitu inanis videri potuit. Nam ſupreſſa ſtatim profectione, quũ Conſaluus & Alarcon propere ſub ſignis erupiſſent, nec Alzagal vltra Almorauã procederet, tumultuaria pugna conſerta eſt, tanto ardore incumbentibus Hiſpanis, vt Alzagal perturbato agmine multis ex familiaribus amicorumq; intimis in eo tumultu deſideratis intra portam ſit compulſus, ſummo quidem timore concepto, quòd prædicentibus Alphachis, breue campi ſpacium ad receptum nactus ſummi periculi caſum euaſiſſet. Nec multo poſt Conſaluus, Alarcone ad Moclinum remiſſo Hiloram regreſſus, nihil vnquam conſilij vel laboris intermiſit, quo Mauris hoſtibus quammaximè noceret, ante omnia cum Barbaris vtriuſque factionis, qui vel Granatæ vel in caſtellorum præſidijs eſſent, ſæpe donis exornatos ſine precio dimittendo. Ante alios autem exquiſitis artibus aggreſſus Halatarem, qui antea Hiloræ pręfectus fuerat, & tum prę ſidio oppidum nomine Mundaiar tenebat, egit, vt id caſtellum ſibi traderetur. Quo recepto Hiſpanoque milite firmato, magnus Granatenſibus terror illatus eſt. Quod Mundaiar Alhendini præſidio vicinum frequentes contentiones & grauia incommoda vrgente Conſaluo afferre poſſe videretur. Eo periculo adductus Mamphot vir egregiè bello fortis, qui Alhendino pręerat, Nihulam (hæc paucis ſtadijs abeſt à Mundaiar) cum parte copiarum contendit, vt Hiſpanorum eruptiones ex opportuno loco interciſis itineribus expedita manu cohiberet. Sed celeritate Conſalui euenit, vt ab eo Mamphot priuſquã ſe communiret, imparatus opprimeretur, & viuus in eius poteſtatem peruenire. Is non multis poſt diebus quum Hiloræ humaniſsimè cuſtoditetur, vti nimis cupidus libertatis ad eam conditionem deuenit, vt Alhendinum ſine precio dimiſſus traderet, eo quidẽ minore cum pudore quàm Halatar, quòd pro libertate id facinus patraſſe videretur. Horum quoque exemplum ſecutus Abemelech, quòd dere Punica diſſentientibus regibus deſperabat, breuique affuturum, id prædicente Conſaluo, cum ingentibus copijs Ferdinandum regem arbitrabatur, ſaluis rebus Mahalam ſuæ fidei commiſſam tradidit. Quo nuncio tantus Granatæ cum luctu mœror exortus eſt, vt intercurrentibus atque obteſtantibus Alphachis, ambo reges reipublicæ cauſa, & religionis ſtudio inter ſe poſitis ad tempus odijs, certo fœdere iungerentur, & iunior Baudeles oblitus fratrum obſidum ad oppugnandũ Alhendinum priuſquam Hiſpanorum munitiones perfici poſſent, ire pergeret, expugnatoque præſidio, ſumma id celeritate reciperet: continuò etiam Mahalam vbi Conſaluus conſtiterat obſeſſurus, pro certo exiſtimans eo oppreſſo captoque obſides fratres

qui penes Alarconem in arce Porcunna erãt, facilè recepturũ. Sed Baudelem ab eo itinere repentinus nuncius auertit, afferens Hispanos ad Salobrennã obsessos: & quoniam eis aqua deficeret, ex siti de oppidi defensione desperantes, si ipse aduẽtaret nullam deditioni moram allaturos. Verùm Baudele obsessis supplicia comminante, & Hispanos extrema pati potius quàm dedecus admittere paratis, quum frustra tempus tereretur, Tendilius atq; Cifonsius cum valido equitatu, multisque cohortibus superuenerunt, subsequente eos expropinquo quum reliquis copijs ipso Ferdinando: quorum aduentu cognito perfectoque Baudeles inusitatis tramitibus per Serram quam Niuosam vocant, ad Granatam se proripuit, tanta perturbatione, vt amissis impedimentis multi non ignobiles ex postremo eius agmine cæderentur. Hæc molientem Baudelem, & magna vi cuncta aspera tentantem, fortuna ingrati perfidiosique hominis vltrix, in insidias præcipitauit. Ad Lucennam enim quum excurrisset commisso tumultuario certamine fusus captusque est à Didaco Corduba Capræ comite gentili, & Consalui consanguineo. Is fuit paternus auus Ludouici Cordubæ, ipsius Consalui generi, qui Romæ legatione functus interijt. Baudeles quum se præfectum non Regem esse mentiretur, à Mauro equite captiuo, qui ad eius pedes obsculabũdus, cum vlultau se prouoluerat, proditus est: atque ita eum Comes ad Regem Ferdinandum deduxit, promeruitque ad insignem pulcherrimi facti memoriam, vt in gentilitijs insignibus imago cathenati Regis, & vexilla barbarica ad XXIIII, quæ ex prælio relata fuerant, perpetuò deferrentur. Nec multis post diebus Montem Frigidum Castellum oppugnante Rege, Consaluus muralis coronæ decus promeruit: nam quum frustra rèdintegratis aliquot prælijs fessi milites languidius murum subirent, vulneratorumque & cadentium ex alto exanimata corpora ad pedes iacerent, ipse intrepidus alios ad promerendam laudem accendens, scalam muro appositã conscendit scuto pedestri oblongo in tergareiecto, & murali galea caput munitus, quo deiecta saxa & tela contemneret, comprehensaque muri pinna & confosso propugnatore per coronam deiectis Mauris deferretur. Sed hæc ferè innumera, & prorsus strenuis imitanda, quæ Bethico bello ab ipso vel milite, vel vnius tantùm alæ equitum præfecto gesta sunt, tanquam celebrata Hispanorum annalibus omiserim, vel ob id quòd alienis auspicijs ea gesserit, quando Rex ipse Ferdinandus præsens, & vxore quidem castrensium laborum virilis animi comite, id bellum administraret, aut quum ipse abesset, Inicus ante alios Mendocius Tendiliæ comes vir grauissimus in castris cum imperio relinqueretur. Ab hoc duce omnibus cum ciuilis tum bellicæ laudis numeris absoluto, non minus quàm ab ipso antea Alfonso Cadene primo solertissimoque Magistro exactæ militiæ documenta, præceptaque, quibus postea suo cognomine Magnus euasit, accepisse fatebatur, vsque adeo gratè studioseq; vt eum non secus ac parentem singulari cum veneratione percoleret. Cæterùm Consaluus qui ab initio belli (vti incensum spe laudis decebat) aduersus omnes diuturni laboris asperitates indomitus nunquam castris abscesserat, quum ad finem laborum esset peruentum, perfecti belli supremum decus tulit. Quando vni ei insperato arridentis Fortunæ munere contigit, vt paratæ sed ægrè obuenienti victoriæ limen aperiret. Protulerat Rex Ferdinandus castra in conspectum Granatæ vrbis, eaq; adeo egregiè et sumptuosè muro circumducto munierat,

vt in

vt in nouæ vrbis formam cum ſummo hoſtium terrore conſurgerent, eorúmque ambitus religioſo ſanctæ fidei Ciuitatis nomine vocarentur. Conſtat enim Mauris nulla alia iam re quàm inſana animorum obſtinatione ſeſuſtentantibus nunquam inde abſceſſurum Regem, niſi patrato vltimo belli opere, decem annorum labores deletæ Granatæ ruinis expiaret. Cuncta enim iam Mauri antiquæ ditionis oppida & vrbes, vi Hiſpanorum deiectis trucidatisq; præſidijs amiſerant: ita vt exigua tantùm ſuburbani agri parte, eaque quotidianis incurſionibus euaſtata, varijs prædurae obſidionis circumuenti malis potirentur. Non reſederant odia inter Reges Mauros, apparebatque Baudelem iuniorem nequaquam ex animo, ſed pudore religionis & optimatum obteſtationibus ab Hiſpanorum amicitia diſceſſiſſe, conſenſiſſeque cum patruo nequaquam ſyncera fide, quum vtrinque noua occaſio adſtruendas inſidias, & ad facinus maturandæ mutuæ necis, non obſcurè expectaretur. Dum eo modo ciuitas diuiſa in veteres factiones firmi conſilij expers, & multarum rerum inops, tanquam in diuerſo æſtu extremis periculi fluctibus iactaretur, Baudeles iuuenis merita ſupplicia timens, neque ſibi iterum clementiæ locum apud Regem futurum exiſtimans, oblata deditione Ferdinandi animum, an eo munere promereri veniam poſſet, experiri conſtituit: meminerat enim ſe paucis antè annis, quum ad Lucennam à Regulis Cordubæ familiæ prælio ſuperatus & captus fuiſſet, inſigni cum laude Regiæ clementiæ, & liberalitatis à Ferdinando dimiſſum, in tutelamque aduerſus patruum receptum, ſcilicet vt demum ingrato animo acceptæ ſalutis & libertatis obliuiſceretur, rurſusque cum patruo communi hoſte in amicitiam rediret. Hæ quum eſſent in Rege anxio nocturnæ diurnæque cogitationes, neminem qui fidelius tantæ rei conſilium explicaret, Conſaluo potiorem ratus, ad eum ex fidiſſimis Mauris hominem idoneum miſit, qui magnis precibus oraret, vt ſub fide ſecretò vrbem intrare, et ſecum de grauiſſimi negocij deliberatione colloqui vellet, fore vt eius officij benignè præſtiti eum nunquam pœniteret, magnamque ex eo ſermone voluptatem animi referret. Conſaluus totum id, qua de re colloquium futurum diuinabat, ad Regem defert. Is magnæ ſpei occaſionem probat, ſed vt ſibi cauere velit prolixè admonet, neu ſe fidei Punicæ temerè committat. Tum verò Conſaluus, ne dubites, magnanime Rex, inquit, timor enim in hoſte ſummus intrepidum me facit, & herclè ſalus mea Deo magno pro quo pugnamus cordi eſſe debet, & mirifica virtus tua, et hęc ipſa caſtra quorum fremitum Barbari trepidantes in vrbe exaudiunt, honeſta & decora auſum procul dubiò defendẽt. Nec mora, Conſaluus remiſſo nuncio ad conſtitutam intempeſtæ noctis horam, vt aduentus eius tegeretur, in vrbem eſt receptus, ampliſſima componendæ pacis mandata Baudeli afferens: quorum ſumma erat, vt ſi Granata vrbe excedere, eamque bona fide tradere, quàm ſupremi periculi caſum experiri mallet, fore vt Ferdinandus & fractæ fidei, & totius præteritæ immanitatis ac pertinaciæ veniam condonaret, eumque beneficiario iure ad Almeriam in Bethica regnare ſuis legibus pateretur: itemque res incolumes Mauris ſuas præſtaret: nec ij qui in Bæthica remanere, quàm in Africam tranſmigrare mallent, ſacra ſua deſerere cogerentur. Si qui porrò Mahometicam ſectam vltrò conuerſis animis exuerent, & Chriſtiano baptiſmate lauarentur, ea vitæ conditione in tutela clemẽtiſsimi atq; optimi Regis futuros, vt nuſquam liberius

aut beatius ſecurã vitam poſſent traducere. Hæc tanta facundia Conſaluus explicabat, vt vel fortiſsimis terrorem incuteret, quum acerbiſsimæ cladis diſcrimen oblatę pacis abnuentibus conditionem imminere prędicaret, teſtaretúrque iuraſſe Hiſpanos milites vti exacerbatos longo militiæ labore, & non dubia ſpe opulentiſsimæ prędę excitatos, niſi Granata capta exciſaque nunquam ad vxores & liberos eſſe redituros. In has ſupremæ pactionis leges proclinatum Baudelis animum vna ea ne ſtatim iureiurando confirmaret cura retinebat, ne patruum immani flagitio præterire, hoſtibusque tradere videretur. Etenim generoſus pudor vel in aduerſa Fortuna Regijs pectoribus inſidet, vt omnem periculi timorem plerunq; dedecoris metus exuperet. Quamobrem Conſaluus minimè cunctandum ratus, vt continuò tranſigeretur, Baudelem tanquam æqua pro ſe nec indecora Ferdinando poſtulantem, eo animo eſſe iuſsit, vt cuncta quę ad ſalutẽ dignitatemq; patrui regis eiusque factionis Maurorum omnium commoda pertinerent, ex Ferdinandi liberalitate expectanda exiſtimaret: Nec promiſſo fides defuit. Redeunte enim Conſaluo ex ſententia Baudelis ſolennes concepti fœderis tabulæ ſubſcribente rege, impreſſaque ad ceram regia gemma confectæ ſunt. Sed Alzagal natura ingenióque ferus & peruicax, integro conditionis beneficio vti noluit, ac priuſquam Baudeles ad Almeriam non diu regnaturus Granatæ excederet, impetratis nauigijs in Africam transfretauit aperte abominatus leuitatem atque perfidiam Baudelis tanquam Regiæ ſtirpi & Punico nomini peſtilentem, quum quando ipſe ab eo nefariè proditus eſſet, antiquæ eius exiſtimationis iacturã, vel tota Regni poſſeſsione pluris exiſtimandam apud Mauros prædicaret. Per hunc modum Ferdinandus honeſtiſsima vitæ conditione cunctis Granatæ ciuibus, qui ſeruandæ fidei ſacramentum dicerent per præcones atque interpretes benignè propoſita, acclamãte populo vt diu felix eſſet, vrbem triumphans intrauit quarto nonas Ianuarias, anni à partu Virginis Nonageſimi ſecundi ſupra mille & quadringentos, quum ſeptingenti fermè anni eſſent, ex quo Miramolinus Maurorum, qui ad Atlantem mõtem vergunt, bellicoſiſsimus princeps, Hiſpaniæ ferè omnis domitor, id regnum in Bæthica condiderat. Non caruit ea victoria memorabili oſtento: nam non multo antè quàm Granata dederetur, ex nocturni luminis candelabro flamma emicans, & ventilata auræ flatibus, vela ſenſim lambens, Reginæ tabernaculum ita corripuit, vt regia magni ambitus tentoria, priuſquam allatis hydris ſuccurri poſſet, incenderentur, concrematoque toto penitus lectorum inſtrumento, Regina ferè nuda in apertum ſe proriperet, nec ei quicquam ex muliebri ſecretiore cultu, linteæ ſuppellectilis quo ſe contegeret omnino relinqueretur: Rege quidem exterrito, ſed mox extra metum poſito, paratæ victoriæ ex elucente flamma omen accipiente. Tum Conſaluus parandę ab Regina gratiæ occaſionem agnoſcens, Mauricam vxorem in proximo Hiloræ caſtello conſidentem admonuit, vt Reginæ toto tunicarum & lodicum neceſſario ornatu exutæ, quic quid ipſa haberet ex mundo maritali, & domeſtico multarum ancillarum acu pingentium labore, linteæ veſtis copiam largiretur. Non defuere in opulenta domo apud generoſam fœminam (ſi dici fas eſt) ipſo coniuge liberaliſsimo ſplendidiorem, quæ ſupra ſpem Conſalui votumque Reginæ immenſæ atque expeditæ liberalitatis munus implerent. Dono enim celerrimè opportuneq;

tranſmiſſa

tranſmiſſa ſunt tot & tanta muliebris vſus ornamenta, vt regiæ opulentiæ æquari poſſe cenſerentur. In his erant præcioſi operis textilisque materiæ conopæa reticulatis commiſſuris inſutoque paſsim auro & purpura vndiq; limbos depingente, nuptialibus Regum thoris digniſsima. Sed interularum tunicarum & lodicum ſudariorumque omnis generis ſcitiſsimè acu pictorum operoſas amœnitates vſqueadeo Regina lætis oculis mirata eſt, vt quum ſumptũ ſubtiliſsimæ precioſæque artis inæſtimabile iudicaret, vna maximè diligentiæ & celeritatis admiratione teneretur, vt ea dona tanquam in eum incendij caſum multis antè annis opportunè prouiſa atque elaborata crederentur. Superueniente autem Conſaluo Regina cum eo his erga eum verbis blandè iocata eſt, repentinum eius incendij caſum ſibi magno commodo ceſsiſſe, quòd ab incenſo tentorio ſuo importunus ignis in ipſius Conſalui domum rapaci violentia peruaſiſſet. Ea liberalitas inexpectato munere Reginæ animum ita obſtrinxit, vt ea omnibus ſermonibus vnum Conſaluum virtutis atque elegantiæ nomine cunctis præferre effuſeque laudare non dubitaret, vſqueadeo vt nonnulli Conſaluum à Regina tenerius adamari crederent, quanquã ea eſſet certiſsimæ atque impenetrabilis pudicitiæ, & ipſe Conſaluus iocos omnes inſigni verecundia terminaret. Cæterùm Ferdinãdus rebus Granatæ compoſitis, vrbeque cum Alambra arce Indici Mendocij Tendilij prudentiæ fideiq; comiſſa, Conſaluum felicis induſtriæ merito, ampliſsima domo, & certo reditu, qui ex ſerici bombicis vectigalib. exigitur liberaliſsimè donauit. Poſt Bæthicum autẽ bellum Conſaluus modica quiete curando corpori apud Hilorã deſumpta, Regẽ mediterraneas Hiſpaniæ vrbes adeuntem vxore comite ſecutus eſt. tanta autẽ præcellentium morum temperie in aula illuſtris atque omnibus gratus verſabatur, vt quanquam plerique Hiſpaniæ Reguli eum cùm ætatis honore atque opibus, tum ſpecioſis rerum geſtarum titulis anteire viderentur, ipſe tamen recentis ſpectatæ virtutis gloria conſpicuus, & regis, & Iſabellæ in primis Reginæ gratia polleret. Erat enim exquiſitis aulicæ vitæ artibus abundè inſtructus, grauibusque pariter ac iocundis moribus militares virtutes reſperſerat: ita vt cum in tranquilla pace molliora iocandi tempora inciderent, vel in medijs fœminarum coronis omnes eius ſermonis vrbanitate ducerentur. Deduxerat Iſabella regina ad proximum Cantabriæ portum Ioannam filiam, huius qui modò rerum imperio potitur Caroli Cæſaris matrem, vt inde ad Philippum maritum in Belgicam oram nauibus adueheretur. Ea cum materna charitate ab adamatæ filiæ complexu diuelli non poſſet, vnaque ad claſſem lembo tranſuecta eſſet, in regreſſu intumuit Oceanus, adeo vt lembus adigi in terram commodè non poſſet. Poſtulabantur aſſeres à nautis totoque litore ſubſidia ad excipiendam Reginam parabantur: cum Conſaluus eam ignobilium miniſtrorum manibus attrectari indignum ratus, vt erat in ſago purpura auroque contexto, in mare pectore tenus ſe haud cunctanter immiſit, complexusque Reginam atque in humerum attollens in litus acclamantibus cunctis eam reportauit. Quo inexpectato officij genere tam opportunè quàm alacriter Reginæ animum elegantibus obſequijs gaudẽtem mirificè delectauit, adeo vt illa virili ingenio grauiſsimorum conſiliorum munia capeſſens, & cum rege coniuge ex æquo imperans, vnum ante alios Conſaluum ad omnia fortiter ac ſplendidè peragenda diuino munere natum prædicaret, & Rex æquè grauis, ac pru-

dens animo gratiſsimo vel in maximarum rerum deliberatione Reginæ plerunque obſequeretur, vt qui ab ea vlterioris Hiſpaniæ regnum accepiſſet. Ita euenit, vt cum parãda claſsis, in Siciliamq; dux bello impiger mittendus foret, ipſe Conſaluus tot inclytis Hiſpaniæ proceribus commendante Regina præferretur: eo enim tempore Carolus Galliæ rex VIII euocante Ludouico Sfortia, qui Mediolanenſe imperium oppreſſo fratris filio occuparat, totam Italiæ longitudinem inuictis armis percurrens in Alfonſum regem ferebatur: qua ingentis curſus felicitate perterriti Italiæ principes, vtpote qui formidoloſa arma victoris immodicique iuuenis magnopere ſuſpectarent, animos conuerterant, fœdusque inter ſe pro communi ſalute percuſſerant, authore Alexandro Pontifice. Is ſubito Gallorum aduentu occupata vrbe Roma, in arcem confugiens, iniquasque amicitiæ leges accipere coactus, Cæſarem filium cardinalẽ obſidem dederat, vt præſenti periculo ſeſe explicaret. Itaque Carolus incredibili celeritate Latina via progreſſus cuncta ſibi armis aperuit, Aragonñs Regibus Neapoli depulſis arceque expugnata, cuncta ſine vulnere vſque ad Siciliæ fretum in poteſtatem redegit, ita vt Meſſanam quoque traiecturus eſſe crederetur, quòd eius inſulæ imperium antiquo hæreditatis iure ad Galliæ reges ſpectaret. Quibus de cauſis Ferdinandus Hiſpaniæ rex Siciliam firmo præſidio præmuniendam ratus, vnum ante alios Conſaluum vt inter maiores ipſos Regulos appetendi eius honoris æmulationem prȩcideret, claſsi copiſq; præfecit, edicens vt è Carthagine noua primis tempeſtatibus oram ſolueret. Nam tametſi Ferdinandus paulo antè Perpennianum vrbem in montibus Pyrenæis à Gallo rege benigné concedente acceperat, ea conditione vt Aragonñs Neapolitanis Regibus nullam terra mariue opem ferret, perculſus tamen cum publico, tum ſuo maximè periculo ad id fœdus acceſſerat, quod Pontifex & Maximilianus Cæſar Venetusque Senatus, & Ludouicus Sfortia libertatem Italiæ defenſuri percuſſerant. Itaque per Antonium Fonſecam legatum Carolo regi denunciarat, ſe amicitia incolumi non paſſurum vti Pontifex ſacrorum princeps vlla iniuria læderetur. Alfonſus quoque qui attonito ſimilis regnum Ferdinando filio relinquens in Siciliam enauigarat, vbi didicit cõmutatas eſſe principum voluntates, atq; arma parari aduerſus Gallos, poſtulabat opem à Ferdinando rege, monebatque ſedulò vt Siciliæ rebus caueret, quòd ab inſita Gallis victoribus repetendæ Siciliæ cupiditate Carolus obſecundante Fortuna incitatus, curſum non eſſet remiſſurus, donec tota Sicilia potiretur. Opportunè itaque Conſaluus cum quinque milibus peditum, & ſexcentis equitibus Hiſpanico more armatis, Meſſanam applicuit, ſub id fermè tempus quo Carolus præſidñs per ſingulas Regni præfecturas diſtributis cum lectiſsima parte exercitus è Neapoli Romam profectus, fugiente Pontifice, in Galliam iter intendit. In ea rerum commutatione rex Ferdinandus pari deſperatione Alfonſum patrem ſubſecutus, ab Aenaria in Siciliam traiecerat: ſubſtiteratq; Meſſanæ, & cum Federico patruo amicisque ducibus regiæ calamitatis Fortunam ſecutis, de renouando bello repetendaque Neapoli conſultabat: veneratque eò è Mazara rex Alfonſus, vt fratrem filiumque & vnum maximè Conſaluum inuiſer. et Is quanquã abdicato Regio cultu circumtonſi ſacerdotis ſpeciẽ prȩferens, humanis curis et voluptatib. renunciaſſe videbatur, filium tamẽ & militari conſilio, & quanta ſibi ex ea extremi caſus acerbitate ſupererat pecunia iuui-

nia iuuit. Nec mora conſcriptæ ſunt aliquot cohortes, nauante in id operam Vgone Cardonio Siculo cuius erat eximia authoritas apud Siculos, et inſigne ſtudium erga Regem: & eo quidem præclarius, quòd ſororem Alfonſo Daualo inter regios duces gratia virtuteque præcipuo collocarat. Itaque explicatis conſilijs, & multo commeatu repleta claſſe, cohortibusque miro ordine in naues diſtributis, Conſaluo cohortante, omnesque moras præcidente, è Meſſanę portu Rhegium ſocundo freti æſtu trajciunt. Nec dubitauere Rheginí territis Gallis in conſpectu tantæ claſsis, quin arma caperent, & exoptatum regẽ ſingulari alacritate reciperent: Galli fermè omnes in arcem cõfugerunt. Hanc Conſaluus oppugnare adortus, cum prolatis tormentis vndiq; vim inferret, eò Gallos adegit, vt inducias peterent, per quas de deditione tranquillius ageretur. Sed aſtutè & diſsimulanter id petebant, vt eo temporis ſpacio interiorẽ munitionem extruerent, & ſocij qui in proximis Brutiarum vrbium præſidijs erant, de ſuo periculo admonerentur. Sed Conſaluus intellecto dolo quum inducias ſuſtuliſſet, eo magis quòd Galli contra edictum paulo antè quoſdam Hiſpanos incautè obuerſatos ante arcem minorum tormentorum glandibus, et quidem lethaliter vulneraſſent, totum expugnandę arcis apparatum protulit, accenſisq; militibus ſpe prędæ, atque his magno animorum ardore irrumpentibus arce eſt potitus, multis Gallorum cæſis, reliquis ad vnum qui in tutiorem arcis angulum refugerant, conceſſa vita in deditionem acceptis. Recepto Rhegio, & Gallis ſeſe in munitiora oppida recipientibus, Brutij magna ex parte ad Aragoniam fidem redierunt. Inde rex profectus ad Sanctæ Agatæ oppidum poſuit caſtra. Nec oppidani conſpecto rege portas aperire cunctati ſunt. Galli per eos dies qui vt in nullo metu vicatim in æſtiuis agebant, ad improuiſi hoſtis famam aduentumque opinione celeriorem, ad ſigna Obegnini prouinciæ prefecti varijs itineribus diſsipatoque agmine coibant Brutiorum prædæ expoſiti: nam agreſtes armati notos ſaltus anguſtiasque viarum inſederant, & Hiſpanorum aliquot turmas Conſaluus ſpeculandi cauſa prædatũ emiſerat, à quibus ala Gallorum, quæ Semenariam ſe recipiebat in caua valle circumuenta interceptaque eſt, Brutijs infeſto clamore edito maiorem periculo metum Gallorum ita augentibus, vt planè ſine vulnere ad vnum omnes caperentur. Ab eo ſucceſſu Conſaluus cum vniuerſo equitatu, Rege cum pedeſtribus copijs ſubſequente ad Semenariæ portam prouectus, oppidanos monuit vt Ferdinandum ſummæ humanitatis atq; virtutis regem, quem & antea regnante patre benignum liberalemque dominum experti eſſent, Gallis externis ferisque hominibus anteferre vellent: ipſum adeſſe inſtructo exercitu ea ſpe, vt exiſtimaret Semenarienſes nequaquam veteris ſtudij erga Aragonium nomen oblitos, continuò adapertis portis ad fidem redituros. Iam enim appropinquantis exercitus tympana exaudiri, & vexilla conſpici cœperant, & à Conſaluo Galli equites oſtentabantur, qui in ſupplementum præſidij quod erat infirmum euntes ex itinere oppreſsi fuerant. Quibus de rebus Semenarienſes, quòd auerſo animo paucos Gallos facilè contemnerent, & Aragonia factio clamore edito præualeret, emiſsis per aduerſam portam Gallis Regem exceperunt. Cogebat tum vndique copias ad Terramnouam quam Terinam antiquam vrbem fuiſſe quibuſdam videtur, Eberardus Stuardus cognomẽto Obegninus, natione Scotus. Is vir egregiè fortis & impiger à Carolo Rege

Brutijs præfectus, cognita Rheginorum defectione, Perſiuum Alegriæ fratrẽ cum Heluetijs cohortibus, & valido equitatu è Lucania acciuerat, deductisq; ex proxima regione pręſidijs, exercitum robore quàm numero firmiorem eſſe cerat: quib. adauctus copijs nullam profectioni moram attulit, et priuſquam hoſtes de Perſiui aduentu certiores fierent, ad Semenariam profectus eſt: eo conſilio, vt cum Ferdinando quamprimùm confligeret, vel ſi ille Semenariæ mœnibus teneretur, neque aperto campo ſe committere vel dimicare auderet veluti victor expreſſa hoſtibus ignauia reuerteretur. quod ad populos in officio continendos plurimum conducere iudicabat, pręſertim quum ex Campania Apuliaque & Pelignis conuentura ad ſe auxilia intra paucos dies exiſtimaret. At Ferdinandus qui nondum quidem de Perſiui aduentu cognouerat, ſed tantùm de Obegnini copijs (eæ pertenues erant) à ſpeculatoribus certior erat factus, oppido copias educere, & aduentanti hoſti obuiam ire non dubitauit. Quoniam quicquid nouæ exiſtimationis & gratia audendo, & Fortunam egregia virtute experiendo paulo antè collegiſſet, vna fœdæ obſidionis & concluſionis infamia, conceptique timoris dedecore, ſi oppido ſe contineret, amiſſurus eſſe videbatur. Conſaluus cuius animo ea vis exactæ prudentiæ inerat, qua poſtea cæteros ferè omnes noſtræ ætatis duces ſuperauit, monere iuuenem recuperandi regni pariter & parandæ laudis auidum cœpit, atque obteſtari, ne prius oppido exiret, quàm certius de hoſtium conſilio ac viribus cognoſceret: ea ſatis decora eſſe conſilia, quæ dubijs rebus ſecuritatem promitterent: illa verò longè turpiſsima atque miſerrima, quæ à temeritate, dum inanem animi vigorem oſtentamus, omnes ſummæ rei conceptæque demum victoriæ rationes conturbare conſueuiſſent. Ergo inquit Ferdinandus eadem qua regnum amiſimus ignauia, nobis erit recuperandum? nec quàm ſedendo abſtinendoque à prælijs in Aemilia & Campania aduerſam ſenſimus Fortunam, eam nunc in tam proſperis cœptis agendo audendoq; experiemur: quaſi initia bellorum maximum in reliquos ſucceſſus momentum non habeant, & quę audacter cœperis, niſi ea perficere fortiter pergas, fœdum atque infelicem exitum non ſortiantur? Aderit audentibus Fortuna, Conſalue, quæ hactenus pro Gallis ſtetit, quum iam cœptis arrideat noſtris, nec quos vltro ad victoriam vocat, vnquam deſeret, niſi ipſam ignobili cunctatione deſeramus. Videamus aliquando Gallorum ora, quos ſola, et ea quidem inanis fama terribiles fecit, & ſtrenuè noſtras atque alienas vires collato pede experiamur. Peditatu et equitatu hominumque ſtudijs, ipſo denique fortunæ fauore ſuperiores ſumus, neque de veſtra virtute erit dubitandum. Quis enim veſtrùm fuerit qui ſi ſingulari certamine erit depugnandum, ſuum ſibi Gallum vel Germanum hoſtem alacer non depoſcat, atque egregiè non obtruncet? Ego certè quem primùm in acie armis inſignem conſpexero, primus eum ante alios intenta haſta princeps inuadam, fortique auſu exemplum vobis prębebo, vt eodem ardore irrumpentes celerem de temulento hoſte victoriam paribus animis referatis. Erant in conſilio plerique viri illuſtres, qui poſtea ad ſummam rei bellicæ laudem peruenerunt. Andreas è pernobili Capuana familia Altauilla, Vgo Cardonius, Theodorus Triuultius: pręterea ex Hiſpanis Emanuel Benauidius, Petrus Pacæus, Alberadus & Pennaloſa, qui quum prælio decertare magnoperè cuperent, Conſaluum orabant, vt militum virtuti diffidere nollet,

nollet, ſtrenuamque ſe operam nauaturos pollicendo, Ferdinandum vt ſigna portis efferri iuberet hortabantur. Semenaria edito loco poſita eſt, pertinentque perpetui colles ab eo oppido ad modicam vallem, quę humili vado flumẽ emittit. ab ea patentes campi initium habent, in quos Galli à Terranoua proceſſerant. Ferdinandus per colles agmen duxit, & confectis tribus paſſuum millibus ad amnem peruenit, collocatisq; ad læuam peditibus citeriore in ripa, & toto equitatu in dextram ad alæ ſimilitudinem exporrecto ſi hoſtes amnem tranſirent expectabat. Ex aduerſo Obegninus atque Perſiuus Heluetios in vnam denſatos phalangem hoſtium peditibus opponunt, Brutiorum cohortes in tergo ſubſidiarias collocant, partiunturque inter ſe equites. Erant ij cataphracti paulò minus quadringenti, & more Gallico leuis armaturæ bis totidem, quadratoque agmine tranſgreſsi amnem in hoſtes feruntur. Id conſpicati equites Hiſpani concitatis equis alacriter procurrerunt, & quum armis viribusque impares, cataphractorum conſertam aciem loco pellere nequirent, clamore edito flectere equos, & ad ſuos per gyrum Hiſpanico pugnæ genere redire cœperunt. Eares & peditibus Aragonijs animum fregit, quum ſuos ab hoſte pulſos refugere putarent, & Gallos ad incumbendum incitauit. Ita Obegninus à dextra, & Perſiuus à læua ex ſubſidijs cum ala ſua in pedeſtrem aciem acerrimè inuecti, eam totam penè priuſquam Heluetij à fronte haſtas inclinarent, perturbarunt, & compluribus eorum ſtratis penitus diſsiparunt. Ferdinandus fruſtra ſuos vt in pugnam redirent cohortatus cum familiaribus cataphractis ſtrenuè in hoſtes incurrit, in aduerſoque inſignis Galli pectore lanceam perfregit. Sed quum hoſtium multitudine obrueretur, in fugam ſe coniecit. Fugientem criſtis auratisq; armis conſpicuum multi ſunt perſequuti, ſed nemine eius curſum equante lapſu equi in arctas conciſæ vię anguſtias precipitatur. Nec multum inde Galli aberant, quum deſuper equo reſupinato ſtapedi ac lunatis ephippij cornibus implicito, ſummoque in vitę periculo laboranti Ioannes Andrea Altauillæ, frater eius ſcilicet, qui poſtea militiæ clariſsimus multa decora nobili familię ſuæ intulit, auxilio ſuperuenit, & memorabili charitate equum obtulit, quo ipſe perniciſsimo ad ſalutem vtebatur. In eum Ferdinandus vti erat deſultoriæ artis peritia mirè agilis, quanquam grauibus contectus armis eſſet, inſiliens è manibus Gallorum euolauit. Ipſe autem Altauilla in pedes deſtitutus, paulo poſt ab hoſtibus interfectus eſt. Obegninus magna parte peditum cæſa, non longè ab eo loco conſedit amiſſa occaſione cõficiendi belli, ita vt victoria vti neſciuiſſe ab omnibus diceretur, quòd nec tot illuſtres viros, in quibus etiam erat Ludouicus Aragonius cardinalis fuiſſet perſecutus, nec ad Semenariam victorem exercitum protinus adduxiſſet. Quo ſpacio & illi cum rege varijs itineribus incolumes ad claſſem peruenerunt, & Conſaluus qui acerrimè depugnans non vno in loco reſtituta acie haud dubiè multos ſeruarat, oppidum igreſſus, impedimenta et precioſiorem omnem apparatum aſportauit, Rhegiumque nequicquam poſtea perſequentibus Gallis ſe recepit. Eo prælio re infeliciter geſta ſecus atque alijs accidit, Conſaluus eximiæ prudentiæ laudem tulit, quòd ſuis alienisque viribus rectè æſtimatis nihil temerè audendum eſſe iudicaſſet. Apparuit nanque Hiſpanos equites cum Gallis cataphractis, Hiſpanosque & Siculos pedites cum Heluetijs, vel genere armorum vel ordinum conſtantia nequaquam eſſe compa-

randos. At Ferdinãdus tanto accepto incomodo, quanquã à ſuma ſpe ad extremam rerum deſperationẽ puncto temporis erat redactus, nihil tamen ſeſe animo demittere, eoſdem propè, ac ſi viciſſet ſpiritus gerere, queri tantùm ſe ſua opinione deceptũ, ac nihil de fortuna dubitare, quę iam plurib. oſtentis maturum ni regnũ patriamq; reditũ deſpõdiſſet. Inerat eius animo fiducia quędã ſato potius quàm vllis humanis innixa rationibus, ita vt cuncta quę amicorũ animis obuerſabãtur pericula deſpiceret, ac ſi non modò ciues ſibi fauturos, ſed & Deos quoq; ipſos terra mariq; præſenti numine adfuturos arbitraretur. Nec ſpes eum, quanquã temerè concepta, rem extremę difficultatis atq; dementię aggredi auſum fefellit: ſuperato namque freto, & collectis Meſſanæ circiter ſeptuaginta nauibus, in queis aliquanto pauciores quàm nautæ milites erant, ſecundiſſimis vſus ventis Neapolim peruectus eſt, penè priuſquam certior fama de prælio ad Semenariam facto in vrbem perueniret. Excepere eum ciues incredibili ſtudio, multisque demum rebus proſperè geſtis Gallos vrbe arcibusque expulit, vti diffuſius in Hiſtoriis perſcripſimus. Dum verò ea à rege gererentur, Conſaluus qui tota ea æſtate è Rhegio extremi Brutiorum anguli oppido aduerſus Gallos Obegninumque recenti victoria elatum ſtrenuè defenderat, euocatus à rege in caſtra ad Atellam in Hirpinos venit. In id oppidum Galli duces multis acceptis detrimentis compulſi obſeſsique ab Aragoniis ægra ſpe ſupremi conſilij ſui euentum expectabant. Nam Ferdinandus ſuperiore æſtate ad Semenariam prælio ſuperatus, nihilo ſecius ac ſi victor euaſiſſet inuictos ſpiritus gerens conſcenſa claſſe cum reliquiis fuſi exercitus felici auſu Neapolim adnauigarat, vrbeque receptus, Gallos in arce circumuallatos ad deditionem fame compulerat: quanquam Perſiuus ab Obegnino obſeſsis auxilio miſſus, fuſis in itinere Aragoniis, ad Ebulum Picentinorum geminata victoria ferox, in conſpectum arcis deueniſſet. Datis enim obſidibus ex lege induciarum nihil ſeſe commouere obſeſi in arce poterant, nec Perſiuus Ecciæ ſuburbani montis munitiones à Proſpero Columna venienti obiectas, perrumpere auſus fuerat. Itaque irrito conatu per Pauſilippi montis Cryptam agmen auertit, & retro vnde venerat, in Lucaniam reuerſus eſt. Ab eo fœdo rerum exitu Gilbertus Borbonius cognomento Mompenſerius, ad quem militaris imperij ſuma authoritas pertinebat, Neapolitana arce cum reliquis copiis emiſſus, bellum priore vehementius adiuuante Salernitano regulo in Apulia reparauit: acceſsit ei Virginius Vrſinus cum Paulo Vitellio, Pauloque Vrſino et Liuiano tria milia vtriuſque armaturę equitum adducens. Hic indignatus quòd duo Columnij duces Proſper atque Fabritius contrarię factionis apud Ferdinandum in honore eſſent, oppidaque ſua in Marſis occupaſſent, Gallicas partes ſequebatur, ex agroque Romano profectus in Apuliam ad Mompenſerium Perſiuumque peruenerat. Ita coniunctis tribus clariſsimis ducibus, & magno coacto exercitu cum Aragoniis vtrinque ſpes alternante fortuna magnis conatibus certabatur. Nam & rex ipſe recentibus fœderatorum Venetorumq; præſertim auxiliis confirmatus, egregiè vim hoſtium ſuſtinebat, aduentu ante alios Franciſci Gonzagæ Mantuani, qui Tarrenſi prælio pugnaciſsimi ducis laudem conſecutus, poſt receptam Nouariam, & Gallos Italia ejectos, Veneti exercitus imperator euaſerat. Cum eo fuere mirificæ Græcorum alæ, quæ per patentes Apuliæ campos aduerſus cataphractos Gallorum

prouolando

prouolando atque eludendo æquiore conditione certare videbantur. Fuere sæpius in conspectu aciebus instructis Galli atque Aragonij, nunquam tamen vniuerso prælio certatum est, quod adeo è re Gallorum erat, vt eos exploratæ victoriæ occasionem ad Frengetum oppidum amisisse omnibus appareret, idque malignitate Persiui, quòd Mompensierium atque Virginium imminentis calamitatis, ignominiæque consortes, quàm victoriæ socios habere maluisset. Is peruicaci superboque ingenio apud Heluetios egerat, vt non prius pugnam inire decernerent, quàm ipsis debita stipendia soluerentur. Ita exuti vetere existimatione Galli duces, instante vestigijs rege, & Græcis terga cædentibus in Atellam compulsi sunt. Igitur rex in spem potiundæ victoriæ adductus, statuebat totis viribus obsidere atque oppugnare hostes, qui temerè sese in id oppidum coniecissent, vnde elabi sine insigni detrimento non possent, modò vndique circumpositis castris perpetua veluti corona cingerentur. Sed ad eam rem efficiendam augendus nouis copijs exercitus erat, vt si paratis castris ad diuersos viarum exitus opponi ex tuto hostibus posset, quibus ex valido genere veterum militum non contemnendæ vires erant, quibusque duces diuersarum gentium strenui præesse censebantur. Hæc erat causa cur Consaluus è Brutijs accersendus videretur: eo nanque coniuncto in quo tanta vis industriæ militaris vigeret, bellum maturè atque feliciter confici posse iudicabant. Missus est ad Consaluum Beruardus Brutius vir togatus consilij & fidei nomine authoritateque apud regem pollens. Is mandata detulit, docuitque occasionem summæ laudis, summique prouentus ad victoriam à generoso fortique duce non esse prætermittendam. Hiemarat tum apud Neocastrum, & ad famam receptæ Neapolis Rhegio egressus varijs expeditionib. Brutiorum vrbes pulsis Gallis in potestatem redegerat, & in his Scylaceum, Crotonem, Sibarim ad Ionium mare spectantes, ipsamq; Semenariam, pro qua infeliciter à rege fuerat dimicatum, Terramque nouam & pleraque alia castella opulenta, idque tanto successu, vt in ora magnæ Græciæ et secundum litora Tyrrheni maris certatim Aragonij regis vexilla figerentur. Obegninus enim qui dimidiato exercitu infirmus in prouincia remãserat, munitis locis se tenebat, quòd Persiuus Neapolim ire pergens, vt in arce obsessis opem ferret, robora Gallicarum copiarum, Heluetias cohortes, & veteranum equitatum secum abduxisset, quorum postea insigni virtute nobilem ad Ebulum victoriam fuerat consecutus. His de rebus Consaluus consilij anceps sedulò expendebat an ex re esset, & ad summam totius belli conduceret, in ea populorum inclinatione Obegninum persequi, vlcisci obiter infestos Andegauensium partium proceres, eorum spolijs ditare milites, an omnino honestius foret atque præclarius, petenti opem regi non cunctanter obtemperare, atque interesse victoriæ, & crescenti virtuti suæ, rebus amplioribus gerendis viam aperire. Hæc quum in excelsi viri deliberatione sententia vicisset, copijs instructis procedit in Consentinum agrum suburbanosque vicos inuadit & diripit, adortusque Consentiam vrbem, quæ in Brutijs summam obtinet claritatem, frustra Gallis ab arce repugnantibus manu capit. Inde profectus eos omnes populos qui Cratis amnis in Ionium sinuoso cursu decurrentis vallem incolunt, in fidem recipit, atque item Castrum francum, quod ex antiquæ vrbis Pandosiæ, Alexandri Epirotæ morte nobilis ruina creuisse ea coniectura creditur, quòd illac flumen

Acheros præterlabitur, hodie Campanianus ab indigenis appellatus. Promotis deinde castris ad Castrumuillarum insigne oppidum, ab Aragoniæ factionis exploratoribus didicit, ad Muranum magnam Andegauẽsium agrestium multitudinem occupatis nemorosis saltibus insidere, vt transituros Hispanos, quod vnicum & angustum iter esset, ex insidijs adorirentur. Itaque speculatus syluarum situm miro ordine inexpectatus insidiantes triparitò inuadit, inclusosque velut indagine, nec militum vim aut clamorem ferentes, magna ex parte cædit, eo successu, vt ipse nunquam se opimius venatum asseueraret. Sequenti die trepidi Muranenses deditionem fecerunt. Ab ea agrestium strage patefactis itineribus ad Laynum oppidum Lao flumini impositum, quod Lucanos à Brutijs disterminat, contendit. Ibi Sanseuerinæ familiæ Reguli andegauensis nominis partes sequuti cum aliquot Gallorum turmis, et cohortibus clientium suorum castra habebant, aliquanto negligentius quàm militaris disciplina postularet, quòd de Consalui aduentu nihil admodum suspectarent. Itaq; Consaluus noctu incautos & propè sopitos aggressus, oppidum sine vllo propè suorum vulnere cepit, tanta felicitate, vt interfecto Americo Sanseuerino principe, qui ad tumultum semiermis adcurrerat, supra viginti nobiles eius familię cũ oppidanis Gallisq; omnib. caperet, & Hispanos suos multa pręda ditaret. Nec multò post eodẽ impetu Brutios agrestes, qui confragosi itineris vallibus insederant, adortus, circumuentos cæcidit: ita vt ad aduentantis famam, refugientibus vndique præmetu hostibus expeditum latè iter pateret. Appropinquantem regijs castris compositisq; more militię peditum atque equitum agminibus ordines explicantem, rex ipse Mantuanusq; & Borgia Pontificis legatus obuiam progressi, summo cum honore singulariq; lętitia susceperunt. Consaluus conspecto procul Atella oppido, situm collium in theatri speciem inferiorem planitiem cingentium oculis contemplatus, idoneo in loco castra fecit, auidusque nauandę Regi operę pręsidium Gallorum adoriri constituit, vt quid valeret auderetque Hispanus miles, edito statim insigni facinore, inspectantibus gentium propè omnium ducibus ostenderet. Erat id præsidium in statione extra oppidum ad frumẽtarias molas, ad quas exiguus amnis è proximis delabens iugis, excurrensque in Aufidum & molendi trici, & aquandi, magnam obsessis afferebat opportunitatem. Itaque Hispanorum cohortes scutatas aduersus Vasconum sagittarios, & post eas hastatos decurrere inuaderéque hostes iubet, simul equitatum in duas partes diuidit, eo quidem ordine, vt altera in qua aliquot erant cataphracti sese inter oppidum et molas insinuaret, erumpentibusque Gallis ad ferendam opem opponeretur: altera porrò prouolans & latè sese extendens ex omni parte hostes circumueniret. Itaque vtrinque concurritur, attollitur clamor, cruentum certamen editur. Heluetij vix cõsistunt: Vascones necdum iteratis sagittis in fugam vertũtur: Hispani leuis armaturæ circumfusi, dissipatos & in oppidum refuggientes trucidant. A diuersa parte ij quos diximus cataphracti erumpentia Gallorũ auxilia constantissimè sustinent: quo temporis puncto Consaluus euersis ligneis machinis molas perfringit, continuoque suos reuocat, priusquam Galli duces maiora præsidia ad ferendam opem expedirent. Tanta re eo ipso die quo venerat strenuè patrata, Consaluus prędaram promptitudinis atque prudentiæ singularis apud omnes laudem tulit, simul & Hispanis, quorum virtus adhuc erat incognita, bellici

bellici vigoris eximium decus peperit. Sed & triduo post Ripæcandidę oppidum Venusinæ viæ impositum admisti Italis Hispani fortiter expugnarunt. At Galli aduẽtu Consalui fractis animis de rerum exitu desperantes, & aquatione prohibiti, ob quam sępius infelici contentione pro flumine dimicarant, & duo etiam Pauli Vrsinus et Vitellius eruptione facta Venusiam euadere conati, in itinere fusi, & retro in oppidum compulsi fuerant, de deditione agere cœperunt: Persuusque demum cum rege collocutus, ita transegit, vt Galli omnes in Galliam sine iniuria transportarentur, regno excedentes tormenta et equos regio stigmate notatos relinquerent. Sed gentem vini et pomorum omnis generis, per eos præsertim æstatis feruores auidissimam, hisque alieno sub cœlo intemperanter vescentem, magna ex parte ad Stabias atque Puteolos pestilens Autumnus absumpsit. Periêre inter alios ipse imperator Gilbertus Mompensierius, & Lenoncurtius cognomento Bayliuus Vitrius, Heluetiorumque & Germanorum duces quatuor. Virginius Vrsinus contra fidem custodiæ traditus, post aliquot menses in carcere Neapoli interijt. Sed & eadem Autumni intemperie rex ipse Ferdinandus correptus febre ad Veseuum, ne degustata quidem victorię lætitia è vita discessit, Federico patruo regni hęreditatem relinquens. Hic Consaluum arctissimè complexus orauit, vt in Brutios conficiendo bello expeditionẽ susciperet, nec Consaluus impositum sibi munus à nouo rege detrectauit, regressusque in Brutios, adauctus nouis copijs, tria Andegauensium partium oppida in potestatem redegit, versurus arma in Obegninum, qui discessu ipsius in nudatas præsidijs vrbes ferebat. Sed Obegninus de infelicitate Atellanæ obsidionis edoctus, cognitoq; Consalui reditu, quem maximè sibi metuẽdum intelligebat, Atellani fœderis beneficio vti, quàm irrito conatu bis iam damnata fatis arma resumere maluit, atque ita deductis præsidijs vacuam prouinciam reliquit. Nec multò post Consaluus à Federico rege ad perdomandos Oliuetanos accitus est. Ii enim in finibus Aquinatium & Marsorum, mira pertinacia in fide Gallica permanebant, armáque ipsis inferentem Rodoricum Daualum Monterisium, Alfonsi Piscarij germanum fratrem, eximiæ spei ducem ad Insulam Vicum interfecerant. Verùm audito Consalui nomine, quòd in eius humanitate authoritateque apud regem veniam sibi repositam existimabant, neque verò vim tanti ducis expectandam censerent, ad Aragoniam fidem facta deditione redierunt. Ita receptis pacatisque Oliuetanis, quum Neapolim ad regem rediret, sequereturq; eum deditorum frequens legatio, vt eius commẽdatione apud iratum regem pertinaciæ veniam impetrarent, magnis interim precibus ab Alexandro Pontifice Romam vocatur. Eo enim tempore Menaldus Guerra Cantaber, pirata immanis, ex arce portuq; Ostiensi Tyberinas subuectiones ita intercipiebat, vt populus Romanus multarum rerum vinique præsertim inopia premeretur, quòd negociatores Siculi, Brutijque et aduenæ Hispani ac Ligures crudelitatem Barbari timentes alio cursum dirigerent: nam vt quodque nauigium quis Ostiam adegisset, nisi nautæ sese diripiendos capiendosque continuò demissis velis sublatisque remis ad ripam arci subiectam consisterent, coniectis ex propinquo tormentis demergebatur. Nec adeo multum abfuerat quin pontificias triremes incautè ad amnis fauces prouectas interciperet, aut certè demergeret. Neque ea truculenti prædonis feritas vlla conditione proposita

leniri, aut alia vi ſubigi poterat, niſi in inſanum arroganterque pertinacem, & diras imprecationesque ſacroſancti Pontificis impiè contemnentem iuſtum bellum inferretur. Nemo autem qui maturè atque feliciter perdomare immane monſtrum, atque vrbem extremæ inediæ periculo liberare poſſet, Conſaluo efficacior & promptior futurus videbatur. Obtemperauit Pontifici Conſaluus, cohortante præſertim Federico rege, continuoque cum ſuis peculiaribus copijs Romam contendit, paucosque poſt dies loco idoneo ad Oſtiam caſtrametatus eſt, poſtquam Menaldus per ſuperbiam atque obſtinationem, neque à maleficijs temperabat, nec de integro motas pacis conditiones vllas admittebat. Triduoque tantùm in apparatu conſumpto ſpeculatus omnes aditus incredibili iudicio Centurionibus conuocatis prædixit, locum per quem eſſet irrupturus: prolatis enim ab vna parte tormentis, vt quatiendo murum hoſtes ei periculo intentos diſtineret, ab altera ſcalas parari iuſsit, quibus auerſo nec opinante hoſte mœnia ſuperaret. Subiêre ab vtroque loco Hiſpani alacriter, ſed ad conſtrati muri ruinas aliquanto cunctatius, vti erat præceptum: admotis autem ſcalis ad deſtinatam partem tanta celeritate coronam mœnium cœperunt, vt paucis defenſoribus deiectis, & multo clamore edito, maiorem Gallorum manum, quæ perfracti muri hiatum tuebatur, auerteret, & vndique cæſis captisque Gallis Oſtia cum arce caperetur. Menaldus perditis rebus contuſa animi ferocia vitam tantùm petens, ſeſe cum ignominia vinciendum tradidit, vt mox ludibrio cunctis futurus in triumphum duceretur. Ingreſſus eſt triduo poſt Vrbem Conſaluus Oſtienſi porta, ouanti ſimilis, inter acclamationes vrbanæ multitudinis, tanto beneficio accepto planè pares, eaque ouatio iuſti triumphi gloria nobilior exiſtimata eſt, quòd hæc ipſa victoria ineffabili populi Romani commodo parta, apud omnes ciuium inquilinorumque ordines maximas gratulationes inſignemque lætitiam & plauſum iucundiſsimum excitaret. Vehebatur in equo ſtrigoſo vinctus Menaldus, cana barba ad horrorem prolixa, inculta que & trucibus oculis metuendus, fractos quidem, ſed non planè domitos ſpiritus, triſtiore amaroque intuitu paſsim oſtendens, quum per mediam Vrbem gratiſsimi ſpectaculi pompa inter tympana & tubarum cantus ſequentibus cohortium alarumque vexillis in Vaticanum duceretur. Pontifex autem in ampliſsimo ornatiſsimoque conclaui ſub vmbella in ſolio ſedens venientem Conſaluum, aſſurgente ſenatu, & genua ad ſacratos pedes flectentem, oblato oris oſculo excepit, accurataque oratione laudauit, gratias agens, quòd Vrbem inuecta rerum omnium copia maximis incommodis liberaſſet. Ad ea breui & grauiter modeſto ſermone reſpondens Conſaluus, nihil demũ petijt quàm vt de more Chriſtianæ clementiæ, ſupplici & ad pedes proiecto, veniamque petenti Menaldo parceretur, Oſtienſesque acerbiſsimis detrimentis afflicti, ſublatis vectigalibus, decem annorum immunitate fruerentur. Quæ omnia Pontifex ſanè benignè Conſalui precibus tribuit, Menaldusque in Galliam abire permiſſus eſt. Nec multò poſt Conſaluus eximijs muneribus à Pontifice, Romanoque populo honeſtatus, Neapolim ad Federicum redijt: ſed ex itinere quum Latina via Romanis finibus exceſsiſſet, Gulielmæ arcis oppidum inter Venafrum & Fregellas, quòd Gallorum nomen pertinaciter coleret, neque clade Gallorum permoueretur, authoritate ſua in poteſtatem

ſtatem redegit: tantam enim & virtutis & clementiæ opinionem præferbat, vt plura ſuadendo deterrendoque, quàm vi & armis dimicando conficeret, vt iam nemo rebellantium eſſet, qui in certam ſpem æquæ conditionis ſe dedere, quàm ad non dubium ineuitabilis excidij euentum inuicti ducis vim experiri mallet. Quum verò Neapolim eſſet reuerſus, tanto cum honore lætitiaque rege obuiam prodeunte, & Neapolitanis vias exornantibus, arcem intrauit, vt ferè dignus MAGNI cognomine ab omnibus cenſeretur. Nec multis pòſt diebus à rege duabus vrbibus ſeptemque oppidis virtutis nomine donatus, in Siciliam nauigauit, quòd ibi conquerentibus Siculis multa à Ioanne Nuccia præfecto, auarè peruerſeque adminiſtrari, nec ex fide commodóque regis frumentariæ negociationis vectigalia locari, exigique cognouerit, eius aduentus ſanè toti Siciliæ expectatiſsimus fuit. Nec multò pòſt quum Siculis omnibus conuentum Panhormi edixiſſet, paucis diebus authoritate & moderatione ingenti & præclara iudiciorum æquitate, Nuccia ſeuerè admonito, vt benignius imperare condiſceret, cuncta compoſuit. Rebus Siculis ex Ferdinandi ſententia conſtitutis, à Federico Rege iterum in Italiam euocatus, ad eum vltra Sylarim amnem, quum Dianum nobile oppidum oppugnaret, in caſtra venit. Dianenſes enim Antonelli Salernitani Reguli & Sanſeuerinæ domus clientes, Andegauenſibus partibus fauebant, vni propè omnium nihil fracta ſpe, quòd Gallicas claſſes ad renouandum bellum ad ea litora venturas rebantur. Itaque confiſi loci munitione ingentique copia parati antea commeatus magnæ ſibi gloriæ futurum putabant, ſi cæteris victori Regi manus dantibus, ſoli propè omnium in fide permanſiſſent. Conatus eſt Conſaluus per colloquia Dianenſes Regi conciliare, ſed apud peruicaces animos inſanientis multitudinis omnia fruſtra fuerunt, quum ſummæ humanitatis conditiones ſe etiam vade patronoque offerret. Ita res ad vim bellumque conuerſa eſt, Conſaluique monitu à duabus partibus tormenta muralia ſubiecta ſunt, vineisque oppugnantes protegentibus, oppugnatio in aliquot dies protenſa eſt. Quæ laborum diuturnitas magis ac magis ſpe prædæ atque vindictæ milites accendebat, quum contrà obſeſsi cædis atque ſupplicij metu, quanquam feſsis corporibus in ſuprema pertinacia ægrè animos ſuſtinerent, propugnatores accerrimi redderentur. Sed eum oppugnationis exitum Conſalui humanitas Dianenſibus dedit, vt vi perdomiti captiq;, ac ſupremos cruciatus meritò expectãtes, eo deprecnate miſericordiam ab irato rege impetrarent. Poſtquam verò Federicus Neapolim eſt reuerſus, Conſaluo redditæ ſunt literę, quibus eum rex Ferdinandus, vt de rebus geſtis quàm exactiſsimè doceretur, in Hiſpaniam reuocabat. Igitur cum delecta parte copiarum, atque his maximè præfectis equitum & centurionibus, qui digna laude præmioque facinora tot bellis ediderant, conſcenſa claſſe in Hiſpaniam enauigauit. Incredibile dictu eſt, quanto cum honore eum Rex Iſabellaque Regina ſuſceperint, confitente rege aliquanto plus gloriæ Hiſpanico nomini fuiſſe partum, conſanguineis & gentilibus ſuis in auitum regnum reſtitutis, quàm ipſe nuper capta Illiberi, & Mauris Granatæ regno pulſis peperiſſet. Eam verò commendationem & laudem non adulatione, ſed ex animi iudicio profectam re ipſa præclarè teſtificatus eſt, magnis in eum beneficijs opima & planè regia liberalitate collatis, ſed quum

ne ſic quidem opibus & patrimonij Fortuna maioribus Hiſpaniæ regulis æquaretur, quòd Alfonſo fratri natu maiori tota paternæ ditionis hæreditas Hiſpanica lege obueniſſet, vno certè ſpectatæ virtutis præconio ferè omnes anteibat. Nec dum exacto biennio quum requiem à tantis laboribus, atque ocium in terra patria quæſiſſe videretur, Fortuna illa eadem quæ antea nequaquam inſtabilis, ſed fida virtutis comes extulerat, nouam bellimateriam nouosque triumphos non inerti vtique, ſed generosè ſemper ad paratum decus erecto protinus oſtendit. Per id enim conceſſæ quietis tempus tumultuantes Mauri Granatini, qui Baudelem regem bello victum, amiſſoque Bæthicæ regno Hiſpania decedentem ſequi noluerant, & in fidem certis legibus recepti fuerant, conſternati ad arma ſpeciem noui grauiſsimique belli præbuerunt, quòd ſeſe ad Chriſtiana ſacra vi adigi minimè paterentur. Iamque ab his repente rebellantibus regiæ ſtirpis iuuenem ex proxima Mauritania inſpē regni accerſiri apparebat, qui maximis Barbarorum auctus auxilijs continuò traiecturus eſſe videretur. Ad eum tumultum excitus rex Ferdinandus quantas pro ſalute dignitateque Hiſpaniæ copias efficere poſſent omnibus regulis imperauit: breuique erectis omnibus, & impigrè rem nauantibus, copiæ peditum ac equitum penè innumerabiles conuenerunt. His autem militari cum imperio Conſaluum præfecit, graui herclè iudicio, ne ſummæ dignitatis atque potentiæ regulos, ſi ex eorum ordine quis præferretur, cæteris veluti deſpectis offenderet, quum nemo exiſtimatione ſibi æqualem efferri vellet, libenterque extra æmulationem inferiori opibus pareret, qui virtutis opinione peritiaque rei militaris & locorum vtique notitia, in queis egregiæ fortitudinis monumenta reliquiſſet, confeſsione omnium ſingulos anteiret. Per hunc modum accepto imperio cum exercitum per turmas cohortesque diligenter inſpiceret, & milites tyrones à veteranis ſegregandos dimittendosque domum arbitraretur, Alfonſo fratri alam traducenti, vt citò agmen cogeret & pertranſiret, imperauit, adeo graui ſeueraque voce, vt fratris oblitus et ſuæ tantum perſonæ memor eſſe videretur, eumque maximæ potentiæ reguli exactiſsimè parentes, magnopere laudarent, & Mauri vnum eum inter duces maximè timendum arbitrarentur. Nec multò poſt Mauri tranſmarinorum auxiliorum ſpe deceptī, territique tantis expeditis productisque hoſtium copijs animos deſponderunt, quum Conſaluus totiam colloquijs cum duobus eorum regibus notus, & ſemper pacis benignus arbiter æquiſsimam pacem oſtentaret, ita vt ſine ſanguine ſummæ difficultatis negocium adiuuante procuranteque Mendocio Tendilio Granatinæ arcis præfecto, ignoſcenteque Rege Ferdinando tota Bæthica pacaretur. Tulit autem Conſaluus humanitatis ciuilisque induſtriæ laudem caſtrenſi gloriæ parem, quòd vna tantùm eloquentia fretus, tantam rem ſine ſanguine decoram atque vtilem regio nomini perfeciſſet. Eo quoque tempore Ludouicus Galliæ rex, qui Carolo repentina morte ſublato ſucceſſerat, itemque Pontifex Alexander & Veneti, Florentinique adduerſus Ludouicum Sfortiam Federicumq; regem diro toti Italiæ fœdere coniurarāt, ijs conditionib. vt Ludouico regi Mediolanū, Venetis Cremona cederet, Cæſari verò Borgiæ Pontificis filio, qui Candiano fratre immaniter interfecto, ſacri ſe pilei honore abdicarat, in Galliaq; Carlotam Alabrettā Cantabriæ regis filiam vxorē duxerat, auxilia præberentur, quib. Flaminiæ Æmiliæq; & Vmbriæ vr-

bes,

bes, trucidata aut eiecta omni antiquorum principum stirpe, inuaderet, regnũ verò Neapolitanum reges ipsi Ferdinandus & Ludouicus inter se partirentur: tanta autẽ calliditate Ferdinandi nomẽ in fœdere suppressum est, vt Federicus à nemine in ipso summi periculi metu, maiorẽ opem quàm à Ferdinando consanguineo, veteręq; suo defensore certus expectaret. Hac atroci Principũ conspiratione Sfortia circumuentus, cùm à Maximiliano Cæsare per se pecunia semper indigente, & tum ab Heluetijs Rhætisque arma inferentibus lacessito frustra opem expectaret, ad Baiazetem Turcarum imperatorem legatos misit, qui docerent in vnum id consilium ea coniuratione parari arma, vt postquam ex sententia confectę in Italia res essent, communia arma terra mariq́ue in Græciã transferrentur. Intellexit occasione atque periculi momentum Barbarus, extemploque mare Ionium magnis classibus compleuit, Schenderbassamque Illyrici prefectum, qui omni belli clade Venetos fines popularetur ad intimum vsque sinum Euganei litoris cum expedito equitatu, ita vt Venetæ vrbis turres conspiceret, penetrare iussit. Sed adeo grauiter Gallica arma ab alpibus in Sfortiam incubuerunt, prementibus etiam à tergò Venetis, vt miserè desertus ab omnibus, & planè proditus à suis, amisso Mediolano in Germaniam effugere sit coactus, idq́ue paucis ante diebus quàm Turcæ obiecta præalta flumina, Liquentiam, Natisonem & Tiliauentum, Anaxumq; tranantes acerbissima calamitate, nihil tale timentibus agricolis illata, in Taruisinum agrum peruenirent. Aliud quoque Venetus detrimentum cum summo dedecore ad Protum inter Sporades insulas ad Peloponnesi oram accepit, quòd Grimanus classe validior cum Othomannica classe congressurus, aliquot triremes nauesque ingentes duas incendio absumptas exploratæque demum victoriæ occasionem turpiter amisisset. Sed non toto vertente anno cum Ludouicus Sfortia Heluetijs auxilijs, & Burgũdionum equitatu instructus, Mediolanũ pulsis Gallis recepisset, oppugnata etiam captaq; Nouaria, is demum belli exitus fuit, vt summa perfidia Gallorum duci Tramulio proderetur. Ascanium quoque fratrem eius cardinalem Veneti in Placentinum agrum fugientem ceperunt, Gallisque deposcentibus tradiderunt. Baiazetem verò per Isthmum cum ingentibus copijs Peloponnesum ingressus Methonem expugnauit. Iuncum, quod Nestoris pylus olim fuit, et Crisseum vltra Acritem, hodie Galli caput appellatum, Coronemque in potestatem redegit, quum paulò antè & Naupactum in Aetolio sinu, & Dyrrahachium in Epiro Venetis ademisset. His secundis Turcarum successibus Veneti perterriti ab omnibus Christianæ Reipublicæ regibus opem implorabant: primusque omnium Ferdinandus eorum precibus benignè liberaliterq; respondit, vtpote qui supràrecentis gloriæ nomen nouũ decus cumulare contenderet, quum nuper eximia virtute, & pietate insigni Mauros reges Bęthicæ regno expulisset, quanquam altioris cõsilij causa suberat, vt scilicet diuisi ex fœdere cum rege Gallo Neapolitani regni dimidiã partem paratis copijs occuparet. Itaq; Malacæ amplã classem exornauit: maximè enim decorũ fore videbatur, si Reipublicæ laboranti religionis causa expeditam opẽ attulisset, Siculis prospiceret rebus, priuatisq; simul consilijs, quę tũ detegenda nõ videbantur, in tẽpore deseruiret. Itaq; Cõsaluus publico omniũ iudicio & fauore delectus est, qui in Siciliã militari cum imperio trajiceret, atq; inde aduersus Turcas cõtendẽs, cũ Veneta classe iunge

retur. Eoq; modo militibus ad classem Malacę conuenire iussis Alfonsi fratris opibus liberalitateq; adiutus, è Malaca Messanam, atq; inde Zacynthum secundis tempestatibus nauigauit. Recensebantur in ea classe quatuor insignes Liguſticæ naues omni bellico apparatu exornatæ, quarum maxima nomine Camilla, Prętoria fuit. Prętereа minores onerarię triginta quinque, celoces militariter instructæ septem, triremes octo, quatuor biremes. In his fuere circiter octo millia delectorum peditum, equites mille ducenti, in quibus plerique sum mæ nobilitatis iuuenes Consalui nomen secuti, & ante alios corporis atq; animi magnitudine præcellens Didacus Mendocius Toletani Cardinalis filius, conspiciebantur. Cesserat Turcis paulo antè Cephalænia, quam postea Melchior Triuisanus, Grimano ob rem malè gestam à Senatu damnato, relegatóque in Ossarum Absirtidum insulam, succedēs, frustra oppugnarat. Hęc maximam ad maritimas negociationes habebat opportunitatē, verebanturq; Veneti, ne Barbari hostes pari audacia, euentuque proxima Zacyntho potirentur. Tenebat tum maris imperium Benedictus Pisaurius militari constantia virtuteque animi inter Venetos maximè insignis, constiteratque cum vniuersa classe ad Zacynthum. Is summo cum honore ingentique omnium alacritate appellentem Consaluum suscepit, & cum eo communicatis consilijs Cephaleniorum vrbem oppugnare cōstituit. Othomannica tum classis ad Hellespontum inclinãte Autumno se receperat, quum ad Baiazetem in Hispania, Gallia atque Italia aduersum se parari classes fama peruenisset. Ipse Methone capta, & Nauplio in Argolico sinu exitinere frustra tentato in Thraciam redierat. Cephalænia inter Zacynthum et Ambracium sinū Ionio in mari sita est, gemino portu vbertate agri, & dulcis aquę fontiū copia nobilis. Ea magnā in negociatione maritima opportunitatem habitura videbatur, pręsertim amissa Methone, quæ tutissimam stationem nauigantibus in Syriam antea præbuisset. Igitur omnibus quæ ad oppugnationem opus erant vndique comparatis, Consaluus priusquam eò trajiceret, legatos ad Turcas Pucium Trierarchum & Solisium insignem peditum prefectum transmisit, qui docerent opulentissimi regis Hispanię veteranas copias longa exercitatas militia, quæ ipsorū sectæ Mauros deuicissent, auxilio Venetis aduenisse, propterea si insulam arcemque dederent, incolumes abituros omnes, sin Hispanorum vim experiri, & tormentorum ictus expectare vellent, nullum postea veniæ salutiq; locum inuenturos. Ad ea Gisdares natione Epirota præsidij prefectus, alacri vultu, gratias inquit vobis agimus viri Christiani, quòd nobis aut viuis, aut egregiè defunctis eximiam constantiæ gloriam apud Baiazetem parituri estis: nos nullis hominū minis perterremur, quum omnibus media in fronte vitæ exitum Fortuna prescripserit. Itaq; duci vestro renunciate singulis militibus meis septenos esse arcus, & sagittarum septena millia, quibus interitum nostrū egregiè vlciscemur, si fato aut virtuti vestræ succumbemus. His dictis arcum validum cum pharetra inaurata, muneri Consaluo ferēdum dedit, colloquiumq; diremit. At Consaluus atque Pisaurius idoneum nacti ventum à Zacyntho ambobus Cephaleniæ portubus inferuntur, expositisque in terram copijs, hinc Veneti, illinc Hispani castra ponunt, & omnem tormentorū apparatum admouent. Habebat Pisaurius ęnea tormēta ingētis magnitudinis, quæ Basiliſci nomine vocabant. Horū tanta vis erat, vt pilæ ferreæ octonum pedum murū transuerberarent, et

quæcunque

quæcunque intus muris adhærebant horribili fragore diruerent. Contrà Turcæ supra quàm cuiquam credibile sit, intrepidè consistere, fœda suorum strage non commoueri, munimenta interiore in parte ex congestitia gleba materiàque construere, tormentis incessanter vti, tantam denique sagittarum vim emittere, vt his, totis castris tentoria complerentur: eoq; res erat atrocior, quòd sagittę veneno illitæ, vel ictu minimo mortẽ sauciatis militib. afferebant: sicuti Seruantio Velasco summę nobilitatis atq; virtutis iuueni accidit, qui priusquã à Venetis medicis certiora ad id remedia peterentur, leui ex plaga celeriter extinctus est. Arx erat saxeo tumulo imposita, propterea aditus in eam per accliuem rupem, & ruentium murorum stragem difficilior præbebatur, subibant tamen Hispani impigrè, & cruenta omnibus horis contentione pręliabantur. Nec Turcæ sibi deerant: missilem namque ignem, sagittas, saxa in confertos iaciebant, aliquos scalis subeuntes, demissis vncis ferreis quos lupos vocant, ab imo thoracé baltheisque correptos, in murum extrahere nitebantur. Quibus vncis ante alios cum summo vitæ discrimine pependit Didacus Garcias Paredius, qui postea multis bellis eximiæ fortitudinis laudem adeptus est.

Erumpebant per obscuram noctem sępe Turcę, quod tempus tenebrarum beneficio ab omni tormentorum periculo vacuum esse videbatur, tantamque sagittarum multitudinem totis castris superfundebant, vt sæpe Consalui prętoriæ cum summo cubantis discrimine figerentur. Quibus malis cum nulla propè ratione occurri posset, Consaluus remedium admodũ salubre ingenio fretus excogitauit: opere enim militari munitionem angulari fastigio contra portam oppidi obuersam, & lateribus vndique septam ædificauit, & in ea ad conspectum portæ atque aditus, quà Turcis erat erumpendum dispositis collibratisque tormentis cõmuniuit, ita vt Turcæ prius tormentorum pilis certo propè ictu directis sternerentur, quàm ad sagittandi solitũ spaciũ peruenirent. Ea res Barbarorũ audaciam fregit: nanque Pignerius vir fortis, cui tuendæ munitionis cura fuerat demandata, intentis semper ad id excubijs bis eos de more erumpentes adeo feliciter excepit, vt repentina pilarum procella non exiguus eorum numerus fuerit interfectus. Ex aduerso Turcæ cuniculum perfecerunt per quem noctu erumperent, & ad Consalui tabernaculum deferrentur: sed ipse Dijs præclarè tanti viri salutem tuentibus, tantum discrimen somnio monitus vitauit. Ita contrario effecto cuniculo, vt cum nece teterrima Barbarorum coniecto in illum incensoque sulphureo puluere obuiam iretur. Interim commeatus penuria Hispanos haud mediocriter afflixerat, partim quorundã mercatorum incuria, & tarditate ad alendam tantam militum & nautarum multitudinem auarè commeatus expedientium, partim nauigandi difficultate: nam hiberni dies erant, & mare sæuis Aquilonibus agitatum quotidianas ex Corcyra & Zacyntho subuectiones retardabat, vsque adeo vt pleriqui incognitis herbis atque fruticibus vesci cogerentur, vnde tormina viscerum incurrerent: recondita tamen erat vtriusque in castris & classibus aliqua frumenti copia: itaque paruas trusatiles molas, quæ in vnaquaque trireme nexorum remigum manibus voluerentur, Consaluus instituit, et quum cribra deessent, lintea ad excernendos furfures, vela rara scortorum capitibus detraxit, furnósque subitaneos & clibanos paruos in litore ad percoquendos panes extruxit: quum reliqui cacabis contusum triticum quanquã ventribus inimicum cum

larido percoquerent. Quibus rebus non modò leuata est fames, sed vtraque castra noua spe victoriæ sunt completa. Nam per eos dies Petrus Nauarrus, qui postea ad summum imperij militaris honorem euectus est, mirabilium operum inuentor muri partem excinderat, fuffossis in subiecta arci rupe cuniculis, atque his tormentario puluere ad excitandam flammam repletis, qua repentini ignis violentia, obstrusis scilicet vndique spiraculis cuncta celeri momento rumpebantur. Iamque voces indignantium militum audire erat, quòd in expugnatione ignobilis oppidi aduersus inermes sagittarios tot dies absumpsissent. Itaque Consaluus singulari ardore militũ fretus, communicatis cum Pisaurio consilijs, qui alteram oppidi partem oppugnandam susceperat, vniuersas simul vires admouere constituit, magnis in cõcione propositis prẽmijs ijs qui primi in oppidum perrupissent. Ergò omnibus rebus ad supremum eius oppugnationis certamen diligẽter ac industriè comparatis, tuba signum proponitur, cuncta vno tempore maiora minoraque tormenta emittuntur, tanto fragore edito, vt tota insula subito veluti quodam terræ motu concussa penitus mergi, & fluctibus absorberi crederetur. Non muri, non erectæ intus munitiones, non Barbarorum constantia Hispanorum cohortes morantur, certatim inferuntur signa, cẽduntur in vestigio stationis fortissimi Turcæ, oppidum extemplò capitur. Octuaginta circiter Turcæ viui in potestatem deuenerunt, ex his maximè qui superiorum dierum vulnerib. debilitati primas partes defendendi muri sibi desumere nequiuerant. Cæteri omnes circiter trecenti in summa mortis contẽtione propugnantes cum prefecto Gisdare ceciderunt. Ita vt qui modò Turcarum arma, & rude militiæ genus despiciebant, illorum vim, si cum magnis eorum copijs certãdum foret, maximè timendam esse iudicarent. Cephalænia capta Consaluus multis de causis in Siciliam sibi omnino redeundum existimauit, quanquam Veneti de expugnanda Leucade deliberarent: namque regijs ex literis paulò antè didicerat Gallorum duces qui Mediolani essent, pluribus conductis Heluetiorum cohortibus, & valida classe Genuę comparata, ad prima Veris signa terra mariq; Federico regibellum illaturos. Itaque tantas quantas maximè debuit Pisaurius discedenti Veneti senatus nomine gratias egit, in præmiumque nauatæ operę dono dedit vasa ex auro argentoq; cælata, coccineos item laneos pannos, et sericos purpureos, & plures ex his auro intertextos, equos verò Thracios decem, & auri argentiq; signati circiter decem millia aureorum nummũm, quæ ferè omnia exercitui in vniuersum regia liberalitate, & sigillatim militum amicorumque fortissimis diuisit, quum vix quatuor ingentes scyphos ad exornandum in pace abacum, tanquam testes virtutis suæ & Venetæ munificentiæ retinendos censuisset, quum eximia animi magnitudine lauream de capta Cephalænia labore partam omnibus illis muneribus anteferret. Sed Fortuna prædulce illud præclaræ laudis decus, domestici luctus amaritie perfudit. Subid enim tempus Alfonsus frater familiæ princeps, & summæ authoritatis dux ad Syluam Vermegiam à Mauris est interfectus, quum ea gens certa pacis conditione post Granatense bellum in Turdulorum montibus relicta, quòd ab Antistite Toletano Christiana sacra susciperè cogeret, correptis armis rebellasset. Itaque Alfonsus adoriri eos, et bello persequi iussus, quum audacius pugnando progrederetur, & ingruente iam nocte Mauri ex insidijs vndique in eum

consurgerent,

consurgerent, confosso equo cecidit. nec Gironius Vroniæ comes eius expeditionis collega circumuẽto opem ferre ausus est, licet & Petrus Alfonsi filius iuxta patrem grauissimis vulneribus acceptis in eodem periculo versaretur. Sed Franciscus Aluarus à Cordubaidem fortissimus & fidissimus cliens summotis magna vi Barbaris transfixa coxa iacentem erexit, equoque impositum egregia cum laude seruauit. Sed vt eò vnde discessimus reuertamur, postquã Consaluum classe non modò incolumi, sed victrici Messanam applicuisse nunciatum est, legationes ei vndique ex omnibus Siciliæ vrbibus, cum donis victoriam gratulatum venerunt. Verùm eius reditus Federico regi longè gratissimus fuit, quòd imminentis Gallici belli cura anxius, omnem reliquam spem in Hispanis Consaluique virtute ex veteré amicitia collocasset. Veneti enim & Florentini in societate Gallorum erant: Pontifex Alexander aduersus Federicum cum Gallo coniurarat. Quibus de causis Federicus legatos ad eum sæpius in Siciliam misit, ac simul frequentibus literis edocebat, quanti terra mariq; Gallorum apparatus ad inuadendam Siciliam fierent, si ipse tantæ moli instantis belli impar destitutusque ab omnibus antiquis socijs Neapoli regnoque excedere cogeretur. Consaluus qui Ferdinandum Ludouicúmque reges occultè animos consociasse, Neapolitanumque regnum inter se ex æquo diuisisse cognouerat, Federicum spe auxiliorum aliquandiu sustentauit, quanquam id quidem inuitus faceret, namque ingenuis anteactæ vitæ moribus, atque ipso (quo maximè erat laudatus) inuiolato synceri animi candore, penitus indignum arbitrabatur, optimum regem de se benemeritum, mutuísque beneficijs sibi in amore coniunctissimum fallacibus promissis traducere, vt ille mox deceptus atque elusus, natura sæuis, ac superioris belli clade exacerbatis hostibus proderetur. Sed Ferdinandi regis iussis erat seruiendum, ne dũ priuato decori studeret, Regi suo fidem fallere videretur, cuius animum quibusdam offensionibus alienatum, Federicus aduersum se concitasset. Agitasse enim cum Ludouico de pace perpetuaque concordia ferebatur, quam annua pecunia certisque tributis redimere contendebat. Eam rem perinique tulisse visus est Ferdinandus, quum id regnum inimicæ gentis tributarium fieri nollet, quod eius patruus Alfonsus maior, singulari virtute, belloque difficili ac sæpe ancipiti victoria quæsiuisset, quodque ipse paulò ante Hispaniæ Siciliæque opibus aduersus eosdem Gallos defenderat. Nec multò post quum Galli duces magnis instructi copijs è Cisalpina Gallia in Campaniam delati, per inducias capta Capua crudeliterque direpta, Aragonias copias deleuissent, Federicus desperatis rebus cum vxore & liberis in Isclam Ænariæ insulæ arcem confugit, iratusque Hispano regi à quo nefaria simulatione se proditum querebatur, cum Namurtio atque Obegnino Gallorum ducibus tradita arce Neapolitana transegit, vt sibi tutò liceret in Galliam nauigare, experirique Ludouici regis clementiam, quem supplex esset aditurus. Per hunc modum Federici rebus veluti repentino turbine prostratis, vti antea constitutum ex occulto fœdere fuerat, è Messana Rhegium transgressus, breui omnes Brutiorum vrbes in potestatem redegit. His enim legibus Reges fœdus inter se percusserant, vt in diuisione regni tota Campania & Samnium, populique Marsorum & Pelignorum cum ipsa Neapoli Gallorum ditionis essent: Brutius autem ager & Lucania, Apuliaque omnis, cum Salentinis ad Hispanos pertinerent. Ante

alia autem Consaluus generoso præstantique iudicio priusquam Federico Regi arma inferret, legatum Neapolim ad eum misit cum mandatis, vt vrbes atq; oppida in Vestinis ad Garganum montem, quibus superiore bello ob egregiè nauatam operam ab eo donatus fuerat, per solennes tabulas resignaret, ne qui hostis ex iussu Ferdinandi regis sui futurus erat, tanquam abolita veteris accepti beneficij memoria ingratus videretur. Sed Federicus verecundiam & magnitudinem animi in Consaluo miratus, se agnoscere vel in hoste virtutem respondit, proinde nequaquam pœnitere veteris suæ erga eum liberilitatis, atque ita renouata donatione cum amplissimis codicillis legatum remisit, congestis vtique miris laudibus in Consaluum, qui se regio imperio coactum arma inferre, liberali testificatione ingrati animi notam diluisset. Post id factum Sanseuerinæ familiæ regulis, Bernardinoque præsertim Besenniano oppida ditionemq; restituit, quos triennio antè Federicus veluti sibi infensos, & Gallicis rebus pertinacissimè studentes expulerat. Putabat enim Consaluus ea liberalitate voluntates eorum esse redimendas, vt aliquando Andegauensium partium obliuiscerentur, quibus Brutios propè omnes superiore bello semper fauisse perspexerat. Columnios quoque Romanos proceres altiore consilio sibi asciuit, ac eos multo cum honore humanitateque singulis alarum præfecturis honestauit. Fabricius enim cum Capuæ captus fuisset, è Gallorum manibus pecunia se redemerat. Prosper verò Federicum sæua iam iniquæ Fortunæ tempestate iactatum reliquerat, sæpe eius consilium euentu calamitosum, & infelix non obscurè detestatus, quum ille Hispani regis odio & vana spe Gallicæ benignitatis inductus, ad Ludouicum supplex atque miserabilis in Galliam nauigaret. Erat & in Sicilia Ioannes Columna Cardinalis Prosperi frater, qui quum Alexander Pontifex Vrsinos proceres in clientelam recepisset, liberalique stipendio conductos, Cæsaris filij militiæ adscripsisset, & Columnios Vrbe atque oppidis paternis eiecisset, & ipse Vrbe profugerat. Enimuerò Consaluus, vti erat summa ingenij altitudine, summoque ingenio præditus iam non obscura diuinatione prouidebat, Gallos cum natura preferuidos, tum ex victorijs nullo negocio partis insolentes & immodicos, nequaquam statutis imperij finibus contentos fore, & propterea exarsurum aliquando bellum, quo in decus suum pulsis hostib. nobilissimum regnum Ferdinando Hispaniæ regi eiusque posteris vendicaret. Ad eas res quas & spe & magnitudine animi spectabat præmoliendas, plurimum pertinere arbitrabatur, Columnios summæ nobilitatis, spectatæque virtutis militares viros, sibi Hispaniique regis nomini quam primùm adiungere: quos non modò Pontifici Gallorum socio, ipsisque maximè Gallis infensos esse, verùm secum veteres Italicos milites Aragoniosque omnes, & magnum affinium clientiumque suorum numerum in partes tracturos intelligebat. Federicus regno & Italia excedens Ferdinandum filium adolescentem natu maximum, quem ineptè Calabriæ ducem vocabant, Tarenti reliquerat, vt vrbem totius regni munitissimam atque opportunissimam præsidio tueretur. Cum Ferdinando erant Iohannes Geuarra Potentianus regulus, & Leonardus Aletius è Rhodia militia vir bellica virtute insignis. Manfredonia quoque ad Garganum montem, vbi vetus Sipontus fuit, Federici præsidio tenebatur, reliquæ vrbes arcesque in Gallorum aut Hispanorum potestatem concesserant. Itaque Consaluus coactis in vnum copijs, &

pijs,& acceptis à Namurtio qui Gallis omnibus præerat, Vaſconum ſagittariorum cohortibus duabus,& totidem equitum alis ad Tarentum caſtra poſuit.Eò quoque venere Proſper ac Fabricius,bellumque geri cœptum. Nam Aragonij plerumque erumpebant,et in ſubiectis vrbi campis equeſtribus prę lijs admiſto pedite cum Hiſpanis contendebant. Sed Conſaluus cum vrbem vi ac tormentis expugnare ſe poſſe deſperaret, premendam acri obſidione, ac fame domandam iudicauit. Nam tametſi munitiones in caſtelli altitudinem contra portam erexerat, indeque tormentis oppugnaret, tamen erat loci natura, vt Aragonij egregiè ſeſe defendentes, tormentis contra propugnacula collocatis ea vi hoſtium minimè terrerentur. Eſt eius vrbis admirabilis ſitus vtpote quæ vndique mari alluitur: abſciderat enim eam à continenti Alfonſus iunior,cui Straboni cognomentum fuit,quum Turcę Hydrunte capta inter alias Salentinorum vrbes Tarento propter ſummam eius portus opportunitatem imminerent,vrbsque nunc eo loco eſt conſtituta,quo antiquitus Tarentina arx ampliſima fuit,tam longa quàm inani Annibalis obſidione nobilitata:vbi verò vetus Tarentum fuit,nunc ingentes ſunt ruinæ,paſsimque admiranda deletæ vrbis veſtigia apparent.Igitur Tarentum vrbs noua eſt, totáque in eam inſulam traducta,et circumfluo mari cincta,duobus ligneis pontibus ab ortu & occaſu tantùm aditur.In capitibus interiorib. eorum pontium duæ ſunt egregij operis arces ædificatæ, quæ ab vtraque continenti intercurrentibus duobus euripis, difficilem habent oppugnationem. Ab aperto autem mari nequaquam adigi poſſunt naues: nam id vrbis latus perpetuis ſcopulis à natura permunitum eſt.His difficultatibus deterritus Conſaluus,exquiſita operum ratione aggeres foſſasque iuſtę magnitudinis ſub vrbe ad tormenti iactum circumduxit, duosque à pontibus egreſſus adiectis caſtellis è ceſpite, tormentisque impoſitis præſepſit,atque ibi hyemare conſtituit.Hiſpanorum autem claſſes & Siculorum ab aperto mari cuncta latè obtinebant, ambosque aditus eius inſulę quæ portũ efficit perpetuis cuſtodijs obſeruabant,ne per eos aut exitus aut ingreſſus in portum & ad vrbem vllis nauigijs præberetur. Fuit ea obſidio omnium quæ in Italia auditę ſint maximè diuturna,ſed quieta admodum & ſegnis. Nam Aragonij ſicuti vrbem per ſe ex agri proximi fertilitate commoditateque facillimæ nauigationis rerum omnium copia abundantem,importato etiam ac aduectitio commeatu referſerant, ita quietos hoſtes laceſſere & periclitari vires quæ admodum erant exiguæ,ſummæ temeritatis eſſe cenſebant.Dum Tarentum obſideret Conſaluus,dabat operam vt in omnibus cùm bellicis tum priuatis rerum actionibus, aliquo ſemper illuſtri virtutum exemplo ab Italis,ipſisque præcipuè Gallis admirabilis haberetur. Inter alias quæ ei non minus à natura quàm ab arte eximiæ dotes inerant, liberalitate qua maximè militum animi capiuntur,admodum inſignis fuit.Nemo enim eo aut exquiſitius aut opportunius,aut deniq; hilarius vnquam erga ſuos non modó,ſed & hoſtes ipſos magnificentiæ ſplendorem exercuit. Peruenerat à Lesbo inſula tum fortè ad proxima Calabriæ litora ſæuiſſimis eiectus tempeſtatibus Philippus Rauaſtenius Belga,Gallicæ claſsis præfectus,nauibus partim naufragio amiſsis, partim vi ventorum diſsipatis: ipſa verò prætoria naui adeo quaſſata,vt cum violenter ad Cytheream inſulam ſcopulis illiſa, magnis rimarum hiatibus aquam vndiq; admiſiſſet,ipſe ſeminudus cum nobiliorib.

euaſerit. Ad eum itaque Conſaluus nauſea confectum, tum recentis periculi imagine, reiq́ malè geſtę dolore conſternatum, omniq́ caſtrenſi & domeſtico exutum apparatu, continuò dona miſit, quæ & præſenti rerum fortunæ maximè congruebant, & (ſi multitudinem preciumq́ ſpectares) regiam liberalitatem ſuperare videbantur. In his prę̃ter omnis generis commeatus vim ingentem, fuere ſericæ veſtes precioſis ſibellinarum ceruariorumq́; luporum pellibus ſuffultæ. Itemq́; lecti ſerici, ſtragulæ, tapetas, & vaſa argentea in menſarum vſum, nobilesq́ aliquot equi phalerati: tantusq́ earum rerum numerus fuit, vt ad eius quoque comites ferè omnes ea liberalitas perueniret: quibus muneribus adeo ſibi Gallorum animos obligauit, vt tantum virum cùm omni laude, tum eo ipſo quod regebat, regno dignum prædicarent. Aderant cum Raueſtenio pleriq́ Gallicæ nobilitatis iuuenes, & ante alios Ioannes Stuardus Albaniæ regulus in Scotia regiæ ſtirpis adoleſcens, quem poſtea inclyti nominis ducem in Italia vidimus. Iamq́ ipſe Rauaſtenius minus iniquo animo fortunæ acerbitatem ferebat, quum nulla in re ſe Conſaluo parem eſſe fateretur. Paulo enim antè æmulatione gloriæ ductus inuitantibus Venetis in Lesbum inſulam nauigarat aduerſus Turcas, vt Conſalui decus Cephaleniæ feliciter partum expugnata Mythilene, tanquam nobiliore vrbe inſulaq́ ſuperaret. Sed ea oppugnatio alacrioribus aliquanto, quàm fortioribus Gallorum animis tentata, fœdum admodum habuit exitum: nam ab vrbe, cuius mœnia tormentis latè proſtrauerant, propugnantibus ingenti animo Turcis repulſos, inſulaq́ excedentes atrox ac vehemens tempeſtas in Ægeo mari adeo diſſipauit, atque iactauit, vt nulla ex his quæ ſuperfuere nauibus aliarum curſum tenere potuerit. Cæterùm non deerant Hiſpani milites, qui quum Gallis ea dona plurimum inuiderent, in contubernijs, & coronis apertè dictitarent, Conſaluum regia manu opes in alienos profundẽtem, militum ſuorum egeſtati proſpicere debuiſſe, vtpote quibus multorum menſium ſtipendia deberentur. Adeoq́ ea vis iniquioris inuidiæ indignabundos militum animos inuaſit, vt vno conſenſu ſubita alienatione cõſternatus exercitus, captis armis, inſtructaq́ propemodum acie, aduerſus ducem ſtipendia flagitaret: iamq́ eò proceſſerat furor, vt haſtas contra inermem inclinarent, neque vlla res eum in tanto diſcrimine magis tutata eſt, quàm mira oris conſtantia verborumq́ maieſtas. Siquidem militi gregario atrocibus oculis cuſpidem intentanti læua haſtæ ſuppoſita arridens dixit: Atolle miles incaute, atolle cuſpidem, ne me per ludum transfodias: idq́ue tam familiari vultu acſi miles ille alioqui peracerbè dentibus infrendens iocari videretur. Violatus tamen eſt contumelioſiſsimo verborum genere: nam excuſanti ſtipendiorum dilationem, & ſe in extrema pecuniæ inopia conſtitutum eſſe iuranti, Hiſchia Cantaber centurio ſuperbè reſpondens, Si pecuniam, inquit, non habes, filias tuas proſtitue. Quod verbum, quanquam nullum conceptæ indignationis ſignum ab irato in prę̃ſens exciuerit, adeo tamẽ altè in pectus deſcendit, vt quũ ſeditio ſedata certis pecuniæ ſponſionibus fuiſſet, nocte quæ inſecuta eſt Hiſchiam correptum laqueo ſtrangulari, feneſtræq́ ſuſpenſum exercitui ſpectandum proponi iuſſerit. Ea ſeueritate Conſaluus priſtinam imperij authoritatem, quæ recenti militum conſternatione penè amiſſa conuulſaq́ fuerat, non modò recepit, verùm & in poſterum ſeditioſorum ac petulantium animos, nę

mos, ne ſe dicto factóue lædere auderent, eius repentini ſupplicij atrocitate deterruit. Crebræ tamen voces ab totis cohortibus edebantur, vt extemplò, aut debita ſibi ſtipẽdia perſolueret, aut vniuerſi ſoluti ſacramenti religione dimitterentur. Aliam enim ſibi milites Fortunam liberalioremque militiam cupidiſsimis animis ſpectabant: namq; eo fortè tempore Cæſar Borgia Alexandri Pontificis filius, quum omnium Vmbriæ togatæque Galliæ, & Thuſciæ regulorum imperijs & ditionibus inhiaret, magno ſtipendio, ingentique præda ex opulentis vrbibus oſtentata, veteres milites maximeque Hiſpanos ad ſe vocabat: ita vt iam vniuerſi per partes ſenſim dilapſuri, ac ſigna deſerturi viderentur. Verùm ei Fortuna, quæ ipſum in arduis rebus nunquam deſtituit, alienato propè exercitu, & nullum ex Hiſpania Siciliaque aurum expectanti, opportuno præſentique numine adfulſit, ſiquidem ex mercimonijs admodum precioſis Liguſticæ nauis, quæ Aſiam petens fortè in Tarentinum ſinum venerat repentè ditatus eſt, quum eam nihil tale expectantem, atque à triremib. Liſcani Hiſpani circumuentam, iure quodam, quò ferrum ad Turcas deferret per Pucium Trierarchum in prædam vertiſſet. earum mercium precium centum milium aureorum nummûm ſuperaſſe ferebatur. Coactus nimirum eſt contra naturam ſuam Conſaluus impotenter agere, non quidem auaritia inductus, ſed extrema impulſus neceſsitate: vt ſcilicet milites in officio contineret: quorum virtuti confiſus maxima quæque atque ardua feliciter ſe confecturum ſperabat, ſi eorum ingenia aliquot iam de cauſis deprauata, vehementerque incitata exoluto ſtipendio pacarentur. Solebat ille dicere quum humana iura violaret, Imperatori æqua vel iniqua ratione omnino eſſe vincendum, vt parta demum victoria detrimenta illata miſeris, cumulata liberalitate ſarcirentur. Iam aliquot menſes in ea lenta obſidione conſumperat, quum multis ſenſim coniecturis factus eſt certior, Gallos haud quaquam ea regni diuiſione contentos, occultè hoſtilia moliri, literisque tranſmiſsis ſolicitare Geuarram Ferdinandi Aragonij adoleſcentis nutricium, & Leonardum præſidij præfectum, vt Gallis potius quàm Hiſpano regi, qui ipſius patrem regem prodidiſſet Tarentum dederent. Auxerat quoque ſuſpicionem Alegria Gallorum ducum longè promptiſsimus, qui paulo antè per ſpeciem religionis poſtularat, vt ſibi aditus pateret ad S. Cataldi templum, cuius numen tanquam tutelare à Tarentinis religiosè colitur, ſcilicet vt votum pro ſalute ſuſceptum oblatis donarijs præſens exolueret. Per idem quoque tempus Galli Manfredoniæ præfectum vt ipſis potius quàm Hiſpanis arcem vrbemque dederet magnis pollicitationibus inuitarant. Sed Conſaluus Gallorum conatus in præoccupanda Manfredonia miris artibus ſuperauit, & cum Geuarra egit, ac Leonardo, qui natura Gallis infenſi erant, vt ad deditionem maturandam, adoleſcentem æquis propoſitis conditionibus hortarentur. Iam ipſe admirabili ſtupendaque ratione Annibalis Pœni exemplo circiter viginti nauigia plauſtris impoſita ab aperto pelago in internum atque concluſum mare tranſuexerat. Eſt id latum miliaria circiter quatuor inſtar ingentis ſtagni, in circuitu verò decem & octo millia paſſuum amplectitur, ſemperque vel ſæuis incidentibus tempeſtatibus tranquillam & tutam nauibus ſtationem copioſiſsimamq; piſcationem præbet. Ab ea parte Tarentũ minimè munitum erat, ſed domus populariũ frõtibus inter ſe coniunctæ pro muro erant, nihil vnquam hoſtile ab ea parte ex-

pectantibus Tarentinis. Nauibus itaque ingenti militum plausu, multisque tympanorum & tubarum cantibus in portum deductis, et toto mari vagantibus, magnus Aragonijs terror illatus est: quanquam ea res specie ipsa quàm vsu & facultate oppugnationis terribilior erat. Nec multò post veluti desperatis rebus Leonardus atque Geuarra Ferdinando adolescenti persuasere, vt se incolumem melioribus fortunę casibus seruare vellet. Quia si consenescere ob sessa in vrbe perseueraret, certa ei vitæ pericula instarent: infensos enim ipsi imminere longè maximos reges, cæteros verò principes eorum esse fœderatos, à quibus auxilia opperiri & opinione stultum, & exitu miserum videretur. Tarentinos porrò adeò cumulatis diuturnæ obsidionis tædijs & incommodis afflictos esse, vt iam acerbiora quęque exoptent, modò obsidione belloque liberati tot ærumnis atque laboribus finem inueniant: si vrbem arcemque dederet, à Cõsaluo facilè impetraturum, vt sibi in quas velit terras cum regia suppellectile & domestico comitatu liberè proficisci liceat. Igitur Ferdinandus his abductus consilijs Geuarram emittit: inducię sex dierum statuuntur, commeantibusq; in vrbẽ Aloisio Errera, & Petro Paceo Consalui prefectis, de Tarenti deditione transigitur: cuius quidem prępropere deditionis Leonardus & Geuarra Tarentinorumque primores inuidia deflagrarunt. At Ferdinandus summo cum honore, singulariq; humanitate à Consaluo susceptus, quum ex conditionibus regno excedere, et paterna sequi consilia maturaret, è Bytunto oppido non multò post Tarentum retrahitur, frustra querens & gemens quòd à suis fallicissimè inductus, et sub fide regia nefariè proditus custodiæ tra deretur. Nec multis inde mensibus (quod vehementer mœrorem eius auxit) in Hispaniam deuectus est, vbi in libera honestaque custodia paternæ simul fortunæ, & iniquæ suæ sortis casum æquo animo ferre condisceret. Verebatur enim Consaluus, ne adolescens Federici patris consilia innixus ad Gallos transiret, Aragoniorumque animos in spem recuperandi regni erigere, & ab Hispanis curaret auertere. Iubenti enim regi, & ab se minus honesta postulanti Consaluus vel cum laude suæ dignitatis parendum iudicabat: quod tametsi sacramento adactus quæ promiserat non præstaret, id totum tamen ad imperantis regis arbitrium referretur: qui vti absens, ignarusque earum rerum ex Iure consultorum responsis nulla Consalui sponsione obligari posse censeretur. Interea oborta est contentio de finib. regionum inter Gallos & Hispanos togatorum primò hominum & Iureconsultorum, moxque insolentia & libidine militari ad cruentam altercationem deducta, quum vtrinque à Consaluo atque Namurtio publica monumenta descriptarumque regionum tabulæ ex Geographorum atq; annalium fide ad iudicij coniecturam proferrentur: quando iam à multis seculis immutante vetustate vrbium & regionum antiqua nomina perierint, aut perperam translata, corruptaq; semibarbaris vocibus, tenebras scribentibus, legentibusque offundunt. Constabat enim Neapolitanum regnum, quod pari propè æstimatione reges Gallus & Hispanus inter se diuisissent, in quatuor præfecturas, ita partientibus antiquis regibus abijsse. In Campaniam scilicet, quæ magna ex parte Leboria terra dicitur, extenditque se se nouo regni limite à Fundano saltu vltra Sarnum & Sylarim Picentinorum extremos amnes vsque ad Laum, Lucaniam à Brutijs diuidentem: cuius prouinciæ caput est regia ipsa Neapolis vbertate rerum omnium incredibili, prospectuq;

maris

maris periucundo, & quòd animis vel tristibus perpetua hortorum viriditate semper arridet. Post Campaniam incipit Aprutina regio olim Præcutina: hęc ab Apennino per Samnium ad Hadriatici maris oram protenditur, cuius caput est noua vrbs Aquila, ex antiquis Amiterni Forconæque ruinis ædificata. Reliquas porrò duas, à læua Apuli Salentiniique obtinent, à Gargano scilicet monte ad Iapygium extremum desinentis Italiæ promontorium. Quarta autem regio Brutijs attribuitur, quibus hodie perperam Calabriæ nomen est inditum, quum contrà Calabri ij sint, qui circa Brundusium Apuliam ad mare Superum incolunt. Brutiorum caput est Cosentia. Ita Brutij sub falso Calabrię nomine à Sylari ad fretum vsq; Siculum extenduntur, comprehensa quidem ad Ionium magnæ Grecię ora, eaque parte Lucaniæ simul intercepta, quæ inter Laum, hodie Lainum, et Sylarim Tyrrheni maris litus attingit. Brutij itaq; & Apuli Hispanis, Campania omnis cum Aprutina regione Gallis obuenerat. Intererant autem duæ exiguę & nouæ quidem appellationis regiones, Capitanata scilicet & Bsilicata, abscissæ procul dubio ab Apulia atq; Lucania quũ vetusti reges noua semper diuisione gauderẽt, vt benemeritis proceribus, quorum numerus æquo amplior offerretur, donatiui nomine præfecturas largirentur. Capitanatam complectunt amnes duo Fronto scilicet, qui hodie Fortoris nomen induit, et Aufidus in siticulosa Apulia nobilis. Basilicatam autem Hirpinorum & Lucaniæ fines includunt. Igitur Tripalda quod est oppidum in Hirpinis parato, sed nondum cœpto bello limen aperuit, quum Galli ea occupata superuentu Hispanorum, qui eam tãquam suę ditionis repetebãt, commisso cruento certamine infeliciter dimicassent. Ab hoc enim quam quam leuis pugnæ prospero euentu, totius obuenturæ victoriæ non dubium omen acceperunt.

FINIS PRIMI LIBRI.

DE VITA ET REBVS GESTIS CONSALVI FERDINANDI CORDVBÆ COGNOMENTO MAGNI

LIBER II.

QVVM hæc in Hirpinis gesta essent, Galli vlturi iniuriam, tanquã turbata pace, sese in Hispanos è proximis presidijs effuderũt, certatumque est per multas cædes de possessione oppidorum, quæ ambigui iuris esse viderentur. Sed Consaluus quòd dispersis per hyberna copijs suis valido paratoque hosti esset inferior, iure & legibus, quàm armis disceptare malebat, testabaturque legatis ad Namurtium missis, id fœdus quod inter reges ictum esset, se nulla ex parte violaturũ, nisi ad summam iniuriam sibi vis inferretur, ne temerè sumptis armis inexpe-

ctatum ambobus regibus bellum excitaret, quod demum niſi luctuoſo rerum exitu finiri non poſſet, ſeris vtique remedijs ad repetendam pacem, cum fortuna ſemel alterutræ partis cauſam vel leui rerum inclinatione fouendam ſuſcepiſſet. Ad ea Namurtius reſpondebat, nihil ſe omnino ex his regionibus appetere, quæ diſertè in fœderis tabulis Hiſpano Regi adſcriberentur, arbitrari autem quæ prętermiſſæ videri poſſent, Capitanatam ſcilicet & Baſilicatam ad ſe potius æquiſsimo iure pertinere, quàm ad eos qui feraciores frumentariasque prouincias ex rudi vel aſtuta diuiſione conſecuti, Gallis demum præclaro hæreditatis iure, in eo regno potioribus Pelignorum & Præcutinorum ſteriles atque aſperos montes reliquiſſent. Quum eo modo intentis vtrinque armis de interpretando fœdere, æquitateque diuiſi regni diſputaretur, Conſaluus atque Namurtius in colloquium deuenerunt, apud templum D. Antonio dicatum. Id erat religionis cauſa percelebre inter Atellam & Melphim. Conſtitére igitur ambo duces conſecrato in loco ad aram maximam, vbi ſolennia ſacra peracta ſunt, dictisque ſententijs in vtramque partem aliquandiu de ratione finium explicationeque fœderis contendêre. Sed id diſceptationis exitus fuit, vt oppida, de quorum poſſeſsione dubio iure certaretur, interim communis imperij forent, erectis ſcilicet amborum Regum vexillis, donec è Gallia pariter & Hiſpania exploratis Regum voluntatib. quid illi in perſcribendo fœdere ſenſiſſent, intelligique vellent, interpretatione legitima referretur. Nec multò poſt milites, quibus à certa ſpe prædæ bellum maximè vtile, & concordia ſemper inanis & ſterilis fuit, ipſique duces ingenio aſtuto ambitioſoque bellicæ laudis atque potentię percupidi, malè auſpicatas inducias ſuſtulerunt, adeo turbatè, vt Conſaluus non temerè ſibi timens, quòd Gallicis prędijs vndique circumuentus videretur, ab Atella auijs atque nocturnis itineribus ad fallendas ſuſpectæ gentis inſidias profectus, per Bytuntum atque Andriam Barolum contenderet, bellumque pararet. Reges enim artificio ſimulationis impliciti pari libidine id totum & integrum quod ex belli Fortuna parari poſſet vehementer affectantes, adeo perplexè & obſcurè reſpondebant, vt ſe tanquam ignaros earum regionum nequaquam ad exactę diuiſionis rationem in concipiendo fœdere conditiones expendiſſe faterentur, propterea atque integram tractandæ aſſerendæque concordiæ facultatem ad ducum arbitrium calida diſsimulatione reijcerent, quib. tamen ex arcano prędiſcripſiſſent, ſicuti poſtea cognitum eſt, vt nihil ex cõtrouerſia diffinirent: ſed vni tantùm cõmodo, vel extra ius & æquum inniterentur, ac eam quæ magno certoque vſui foret gerendi belli occaſionem arriperent. Eo modo cùm vtrinq; ab aſtutis ingenijs belli cauſa iactaretur, nec (vti credi volebant) æquitatis atque iuſtitiæ ſimulatio diuturna eſſe poſſet, nudatis vtiq; animis bellum erupit, grauiore quidem impetu Gallorum, qui paratiores non ea modò quæ ambigui iuris videri poſſent, ſed iam planè Hiſpanis adiudicata Apuliæ oppida vrbesque inuadebant, egregiè quidẽ reſiſtentib. Hiſpanorum prędijs, atq; his ſępe erumpentib. ita vt quotidiana prędia miſcerent: incolarum verò opes vtriq; militi prędę eſſent, & Apuliæ paſtionis vectigalia fugatis paſtorib. et direpto pecore euerterentur. In apricos enim atq; tepentes Apuliæ campos, ex algidis Apennini vallibus deducta ingẽs maioris atq; minoris pecoris multitudo, quotañis hyberna-
bat, magnoq; id regib. erat emolumẽto, quòd inde ſupra centũ millia aureorũ
nummũm

nummum portorij nomine penderentur. Conſaluus quum de gerendi belli ſede conſultaret, & nonnulli proceres Lucaniam alendo militi trahendoque bello aptiorem, firmioremque putarent, cohortante Proſpero Apuliam & Barolum vrbem cæteris omnibus prętulit, ibique maritima vſus opportunitate, commeatus & auxilia certius atque commodius expectare conſtituit: ſcilicet vt initio vehemens Gallorum impetus mora ipſa et perutili cunctatione frangeretur. Vrbs Barolum ab Heraclio Imperatore ædificata fuiſſe fertur, idque facilè indicat ænea pedeſtris eius ſtatua, quæ in foro erecta conſpicitur. Portum habet iacta mole manu factum, ſed iuſtæ claſsis minimè capacem, nec Coro Aquilonequè perflantibus omnino tutum, triremibus tamen pacis, mercatorijsque nauigijs opportunum. Ex aduerſo Namurtius quum aduocatis in concilium ducibus de adminiſtrandi belli ratione ſententias exquireret, quod in vnum minimè conſentirent, nihil quod ad victoriam conducere videretur, ſuſpenſa deliberatione decernebāt. Erat in partibus Gallorum Andreas Matthæus Aquauiua Præcutinæ Hadriæ regulus, ingenio optimis literis exculto, exercitatoque militiæ inter alios Andegauenſis factionis proceres facilè primus: cuncti enim ferè eius ſectæ ab Hiſpanis ad Gallos defecerant. Is nihil potius ac omnino vtilius atque ſecurius, ad non dubiam ſpem incruentæ propè victoriæ demonſtrabat, quàm admotis continuò viribus vniuerſis, Barium oppugnare, in poteſtatemque redigere, proximam ſcilicet amicamque hoſti vrbem, nobileque totius Hadriatici maris emporium, vnde maximā terra mariquè Conſaluo detrimenta inferri poſſent. Subeſſetque inde facultas Bytunti copioſę vrbis potiundæ, expugnandique in ora Iuuenatij, quod olim Iuuentus Egnatia fuit. Obtinebat autem Barium Iſabella Aragonij Alfonſi regis filia, hoſtili animo in Gallos mulier, quòd euerſo Sfortianæ domus principatu ipſius filium ex Ioanne Galeacio Sfortia genitum in Galliam abduxiſſent, vti bi adoleſcentulus ſacris cucullatorum initiatus, captiuoq; ſimilis, extra paterni imperij ſpem, ſacratis in clauſtris conſeneſcere cogeretur. Hæc vti generoſam decebat, gerentemque paternos ſpiritus, ferre non poterat Gallos rerum dominos, qui duo, paternæ ſimul & coniugalis fortunæ ſuæ imperia deleuiſſent, propterea mirificè fauebat Hiſpanis, à quibus ipſa genus duceret, ipſique præſertim Conſaluo, à quo vti ſæpe Barium adeunte inuiſenteque, ſtudioſiſsimè coleretur. Erat id Aquæuiuæ conſilium in rem aptiſsimum: ſed in fatis erat, vt Galli tota Italiá pellerentur. Ex aduerſo enim duo veteres acerrimique duces inter ſe ſenſibus affinitateque coniuncti Alegria atque Palicia id conſilium oppugnandæ fœminę tanquam ignobile fortibusque viris turpiſsimum improbantes, vniuerſas vires Barolo potius admouendas cenſebant, vbi dux hoſtium & belli caput, & quicquid floris eſſet in Hiſpanicis copijs: præterea Columnij tanti nominis duces Gallico nomini infenſi, opprimi poſſe viderentur, quando Barolitana mœnia per ſe vetuſto ædificandi more debilia, nulloque intus aggere confirmata, nec primos quidem tormentorū ictus ferre poſſent. Futurum enim eſſe, ſi egregio nobilique impetu quo Gallicum decus ſemper creuit, ſeq; ſuper cæteras gentes feliciter extulit, audendum arbitrarentur, vt vrbe capta deletisq; hoſtibus, bello vix dum cœpto finem imponerent: aut certè Conſaluū priuſquam nouis erectis munitionibus ſe permuniret, et maioribus augeret copijs, ad iniquas omnino pactiones cōpellerent, omniq; penitus

vetere existimatione spoliarent. Ad ea Namurtius, hæc inquit veluti speciosa, maximeque decora auribus quidem, sed nemo sanus tanquam ardua atque aspera factu ad animum admiserit. Neque enim adduci possum, vt acerrimum credam hostem, et pro salute & gloria propugnantem, tormentis nostris continuò cessurum, aut deditionis nomine quicquam admissurum quod indignũ pristina sua dignitate videri possit. Quo fit vt obsidere Barolum quàm oppugnare satius existimem, quòd hostis commeatus inopia laboret, quòd pecunia indigeat, & quòd maximum ad vniuersi belli victoriam momentum affert, Brutij vltrò desciscentes vexilla Gallica singulis in vrbibus extollant. In hanc igitur sententiam continuò iêre Ludouicus Arsius, & Castellio cognomine Formantes, ipseque Ciandeius Heluetiæ legioni præpositus. Obegninus enim, cuius post Namurtium in castris summa erat authoritas, cum tertia ferè exercitus parte ex Apulia profectus, in Brutios contenderat: apud quos iampridem nomen eius erat percelebre, quòd superiore bello ex præfectura, moderatè & leniter illis semigræcis gentibus imperasset, & bellica demum virtute inclytus ipso Consaluo cum rege ad Semenariam memorabili pugna superato, opinione omnium cæteris Gallis ducibus anteferretur. Quibus de causis multas amicitias, multasque in illis regionibus haberet clientelas, ex vetere scilicet Andegauensiũ partium studio: & tum peropportunè Sanseuerini principes audita regum discordia ab Hispanis desciuissent. In his erant Bernardinus Besennianus, Robertusque Salernitanus, & Honoratus Myleti Comes: quorum maximæ atque expeditæ opes erant ad conflandum bellum, si eò pergere Obegninus, vti erat multorum literis ac nuncijs accersitus, & exoptata diu Gallica signa proclinatis ad defectionem populis ostẽtare maturaret. Nec properantem opinio de Brutiorum studio non temerè concepta vsquam fefellit: nullum enim oppidum fuit, cum ipsa vrbe Cosentia, quæ aduentanti minimè portas aperiret, ipseq; eo successu depulsis vndique Hispanorum presidijs, et magistratibus, propè sine vulnere victor vsque ad Messanę fretum deferretur. Interea Namurtius medij atque ideo parum salubris consilij rationem sequutus, diuisis per circumiecta oppida copijs, ex lõginquo obsidere hostes, qui Baroli constiterãt, subuectos commeatus intercipere, excursiones hostium cohibere, infirmiora eorum præsidia tentare, atque expugnare constituit, sic vt plures dies vtrinq; milites susceptis ex occasione diurnis nocturnisq; expeditionibus exercerentur, leuia tantum prelia fierent, ostentandæque virtutis causa, quæsitis frustra congressibus Galli dictitarent, strenuos quidem pedites Hispanos videri, equites verò secus, vtpote qui eludendo, & in gyrum flectendo equos, robustas Gallorum hastas formidare, concursionesque vitare ignobili fuga consuessent. Non tulere elatis animis verborum contumeliam nonnulli Hispani equites, ita vt responderent, si pari numero, & paribus armis quibus cataphracti vterentur, pro gloria decertare vellent, se patentem in campum prodituros, vt quinam maximè strenui bellatores forent, Galli an Hispani, nobili spectaculo edito, verùm ex collata virtute specimen præberetur. Non abnuere conditionem Galli, dieque constituta, Venetus Tranij præfectus, vti ex professo nemini socius, & vtrisque pari studio amicus atq; hospes locum certamini, Veneto tutum præsidio, ad vrbis mœnia concesit. Ea autem prouocatione Consaluus magnoperè lætatus est, quod

quòd ſtudio parandæ laudis milites accendi, exacuiq́ue eorum virtutem egregia contentione perſpiceret. Vndecim ex condicto prodiere Galli, quibus totidem oppoſuit, ex vrna ſorte ductos, quum ſupra centum equites ambitioſo concurſu nomina dediſſent. Concurrêre vtrinque tanta vi, vt nunquam ardentioribus animis, vehementioribusq́ue viribus certatum ſit. Plures haſtarum impetu deturbati, aut ſuffoſsis equis deſtituti in pedes, tanta pertinacia decertarunt, vt quum ſex horis continuè depugnaſſent, omnes ferè cùm ſuo, tum alieno cruore fœdati, nec fatigati quidem ſub tanto armorum pondere in occaſum Solis certamen extraxerint, certa iam ad Hiſpanos vergente victoria: niſi eam quatuor Galli memorabili caſu penitus eluſiſſent. Septi enim equorum cadaueribus, mira conſtantia, feliciq́ue virtute, tanquam ex caſtrenſi munitione repugnarunt, fruſtra Hiſpanis equos adigere conantibus, quum eorum equi, aſpectu olfactuq́ue ſtratorum equorum abſterriti, ſeſſores ipſos in diuerſum à limine victoriæ tranſportarent. Ex Gallis longè fortiſsimè dimicarunt Torſcius Palicianæ alæ legatus: & Mondraco, qui demum Mediolanenſis arcis cuſtodiæ præpoſitus prodigioſo ictu fulminis conflagrante turre, cum tota penè cohorte interiit. Ex Hiſpanis autem ſummam laudem tulere Didacus Garcias Paredius, qui perfracta lancea, excuſſoq́ue è manu fortè gladio lapidibus iactis, quibus pugnæ ſpacium continuata ſerie tanquam corona deſcriptum erat, pertinaciſsimè rem geſsit. Et Didacus Vera, aliquanto poſt ad Algerium in Africa, amiſsi exercitus infelicitate clarus. Spectatores, & Iudices ex tribunali incertam victoriam fuiſſe pronunciarunt, ea quidem teſtificatione, vt apud Hiſpanos expediti roboris nomen, apud Gallos autem inexpectatæ conſtantiæ laus manſiſſe cenſeretur. Non videtur prętermittendum ſalſe & peracutè dictum Conſalui. Equitibus enim ex eo certamine reuerſis, quũ Alarco (is pugnæ ſpectator affuerat) vnius maximè Garciæ Paredij virtutem miris laudibus attolleret, quòd haſta, enſe, clauaq́ue alio caſu amiſsis, ſubitum ex ea neceſsitate conſilium arripiens, collectis ac euibratis in hoſtes lapidibus longè omnium pertinaciſsimè dimicaſſet. Non eſt inquit, cur tàntopere mireris Alarco, quòd Garcias alioqui vir egregiè ſtrenuus, ſuis peculiaribus ex natura ingenij fretus armis, ante omnes optimè & vehementiſsimè rem geſſerit: ita vt aſtantibus extemplò riſus ſit obortus. Notabatur enim argutè faceteq́ue in Garcia vehemens atræ bilis morbus, quæ ſæpe ex interuallis vſque ad inſaniam correptus, pugno ferire obuios, ſaxaq́ue in turbam iaculari inſanientium more conſueſſet. Exinde Galli Hiſpaniq́ue æmulatione virtutis accenſi, multo quàm antea ardentius atque audacius bellum gerebant. Vſque adeo vt de gloria potius quàm de regno certare viderentur. Quamobrem neceſſe erat ſingulis propè diebus multos capi ac interfici, quòd plerunque diſpoſitis inſidijs, & nonnunquam apertis in campis ex occurſu iuſta penè acie dimicarent. In redimendis autem permutandisq́ue captiuis, crebræ contentiones, querelæq́ue vtrinque ducum & militum animos exagitabant. quum equo ſæpe grauius precium captiuis imponeretur, neque vllos vnquam pares oblata permutatione, militaris auaritia reperiret. Quibus contentionibus obuiam eundum ratus Conſaluus cum Namurtio egit perſcriptis legibus, vt gregario pediti menſtrui ſtipendij, & trimeſtris equiti precio libertas conſtaret: cohortium autem præfecti atque ſigniferi ſemeſtris ſtipendij ſumma mulctarentur:

annuum porrò legatus alæ persolueret: Cæteri ductores ex ordine nobilium, si caperentur, ex summi ducis arbitrio precium penderent. Edixit autem seuereque singulos duces admonuit, vt benignè ac liberaliter captiuos custodirent. Hoc enim ad famæ decus requirebat, vt Hispani non virtute tantùm Gallos, sed humanitate & munificentia superare niterentur. Per eos enim dies Baiardus Gallus Hispanum equitem, ex nobili Sotomaiore familia ad singulare certamen prouocarat, quum se Gallus ab Hispano graui affectum contumelia quereretur, quòd durius ac illiberalius quàm deceret, fuisset custoditus. Cognita nanque causa Consaluus seuerè hominem increpauit, iussitque certaminis aleam subire, vt animi subagrestis ignominiam Marte iudice diluere: aut victus, quòd gentis familiæ decus improbo facto defœdasset, meritas turpi vitæ exitu pœnas daret. In eo itaque certamine fortuna ius dixit, eo euentu vt Hispanum Gallus non obscuro pudore confusum, neque se promptissimè ad inferendos ictus explicantem, gladij mucrone per summam iuguli loricam coniecto, celerrimè confecerit, Hispanis iure cadentem omni contumeliarum genere onerantibus: vtpote qui patriæ nomen turpi antea facto, & mox ignobili morte dedecorasset. Hic est ille Baiardus, qui postea tanquam longè pugnacissimus opinione omnium existimatus, à Francisco Gallorum rege promeruit, vt ante alios deligeretur, à quo ipse ad Mediolanum acie victor profligatis Heluetijs, equestris ordinis insignia susciperet, spectatæ quidem virtutis meritò vel summis regibus maximè decora: quandoquidem nobili in prælio partus honos, vel regi imperatorique, præterid totum, quod in his accuratè suspicimus maiestatis decus, nouæ propriæque laudis dignitatem accumulet. Cæterum Namurtius peramplo subnixus equitatu aliquanto effusius quàm Hispani per Apuliam euagabatur, tanta quidem licentia audaciaque, vt pastoribus ediceret, omne pecus in herbidos Cerignolæ campos pascendi causa deducendum, quando ipse eius tractus pastiones ab iniuria hostium dispositis præsidijs esset defensurus. Ea res vti erat præconis voce pronunciata, & à speculatoribus delata ad Hispanos, multos eorum ex proximis præsidijs ad prædam exciuit: iêre autem eo agminis ordine, vt tertia pars expeditis armis instructa, pecora simul & pastores inuaderet, reliquæ porrò duæ partes in insidijs consisterent, & effusum in prædatores Gallorum præsidium aggrederentur. Nec dolo composito euentus defuit. Galli enim, vbi primos hostium inuadentes turbantesque pecoris greges, et pastores in fugam coniectos conspexere, in eos extemplò impetum fecerunt, tantaque vi eos refugere simulantes persecuti sunt, vt in insidias inciderent, & plerique eorum caderent, ac multo plures caperentur. Sed id ex voto maximè lætum facinus, Fortuna dolis libenter illudens, è manibus Hispanorum celeriter eripuit: cum valida Gallorum manus, quæ Canusio ad incertam spem prædæ fortè exierat, hostibus fessis, & in abigendo pecore occupatis occurrisset. Improuiso enim superuentu hostium Hispani nequicquam expedire arma, componereque ordines & repugnare conati, prædâ omni captiuisque relictis, in fugam se dederunt. In ea commutatione fortunæ, tenente campos equitatu, nonnulli Hispani cæsi vulneratique sunt. Venere autem in potestatem Didacus Vera vnus (vt diximus) ex vndecim pugnatoribus, & Theodorus Boccalus Græcæ nobilitatis Spartanus ciuis, qui leuis armaturæ equitibus præerat, & Aloisius cognomento Gordus,

quòd

quòd Hiſpanicè præpinguem ſignificat, cohortis Celtiberorum præfectus. Is eſt qui poſtea Rauennate in prælio Odettum Lotrechium inclyti nominis Gallorum ducem, multis acceptis vulneribus cruentum proſtratumque, ne à commilitonibus, qui iuxta eum ipſum Gaſtonem hoſtium imperatorem conſoderant, interficeretur, corpore ſuo protexit atque ſeruauit. Hac re ex inſperato bene geſta, Galli coactis in vnum copijs, ad Baroli vſque portas ſeſe effuderunt. Sed oſtentata tantum acie retrò inde ad Cerignolam repentè ſigna conuertuntur. Cerignola antiquitus Gerionis caſtellum fuit, Pœni Annibalis id temerè oppugnantis irrito conatu pernobile. Ab hoc oppido Galli cum murum ſubijſſent, Acunia equitum præfecto, & Zaracte ſclopettariorum duce ſeſe acerrimè defendentib. cum detrimento ita repulſi ſunt, vt non multò poſt nouis adaucti copijs conuectoque tormẽtorum muralium iuſto apparatu ad oppugnandum Canuſium conuolarent. Erat Canuſij Petrus Nauarrus cum ſua Cantabrorum cohorte, cui Collius ſclopettarios circiter ducentos addiderat. Cum hac delecta manu Namurtium prolatis tormentis ſternentem muros, & alijs atque alijs Vaſconum Gallorumque cohortibus ſummiſsis, prælium magno omnium ardore inſtaurãtem, per triduum incredibili virtute ſuſtinuit, haud dubiè in ipſis vel fruſtra defenſi oppidi ruinis honeſto interitu nominis ſui famę ſatisfacturus, niſi per occultos nuncios iubente Conſaluo vt ſibi conſuleret, fortiſsimosque milites conſeruaret, parendum eſſe cenſuiſſet, quãdo eius ſalus incolumi cohorte, poſſeſsionem ignobilis oppidi multo charior haberetur, poſtquam ipſe in eo periculo laboranti opportunè opem ferre nequiret, niſi quòd à belli ratione penitus alienum cenſeretur, vniuerſę pugnę aleam periniqua conditione ſubeundam exiſtimaret. Iam enim pari conſilio ne iterum ſalutis periculum ſubirent Acuniam & Zaractem, Gerione excedere iuſſos in caſtra receperat, coniectura iudicans hoſtes Canuſio in poteſtatem redacto, confeſtim illuc, vt receptum incommodum vindicarent, omnino redituros. Itaque Nauarrus quantis fieri potuit artibus ſumma auerſi animi obſtinatione ſimulata, Gallis non iniquas conditiones offerentibus aures adhibuit, vſque adeo tamen grauatè, vt truci vultu contumaciq; ſermone conditiones nonniſi honeſtiſsimas admiſſurus eſſe putaretur: quanquam vix tertia pars militum integra ſupereſſet, multis ſcilicet interfectis, & reliquis ferè omnibus ſauciatis. Nec ſibi vllam Namurtius moram attulit, quin extemplò tranſigeret, quòd vel iniqua inuſitataque deſperatis hominibus, nec inultè perituris omnino concedenda viderentur. Impetrauit enim ea omnia Nauarrus quæ neceſſariò deditionis caſum ad non dubium decus honeſtarent, ſcilicet vt ex præſidio decedenti, explicatis vexillis ad tubarum cantum ſonitumq; tympanorum, ac incolumi demum omni militum ſubſtantia, Barolum tutò regredi liceret: Gallique item iumenta præberent, quibus ſaucij aueherentur: & Namurtius data fide Canuſinos ab omni iniuria inuiolatos, ſecurosque præſtaret. Hæc cũ pepigiſſet, adeo elatis animis Hiſpani militari incedentes ordine oppidi porta agmen eduxerunt, vt eos minimè victos eſſe, ſed omnino viciſſe crederes: et Galli magnoperè mirarentur, tantulas copias maximis ipſorum viribus reſiſtere auſas, tot iniqui Martis incommoda ſuſtinere potuiſſe. At Conſaluus aduentanti Nauarro obuiam egreſſus gratias egit, laudauitque palàm, quòd ſeſe & fortiſsimos milites, quos breui ſummę victorię participes fu-

turos ſperaret, opportuna vſus prudentia conſeruaſſet. Referebat enim ſingularis tolerantiæ idomitiq́ue animi inuſitatam laudem, qua audaciſsimæ gentis ſpiritus fregiſſe videri poterat: poſtquàm facto virium animorumque periculo præclarè conſtaret, vel grauiſsimos Gallorum impetus paucorum veteranorum conſtantia ſuperari. Nec diu poſt Conſaluus Nauarrum exigua quiete recreatis cohortibus Tarentum miſit, ratus eam vrbem ducendo bello, parandæq́ue demum victoriæ graue momentum habituram, cui hoſtis ex propinquo vehementer inhiaret, maximè valido fideliq́ue præſidio muniendam. Auxit quoque pari diligentia Andriæ vetus præſidium ſummiſſa recentium militum cohorte, vt id oppidum à ſeptimo lapide Barolo ſubiectum contra hoſtes certæ opportunitatis munimentum foret. In hoc enim vnum præcipuè conſilium intentus erat, vt inſultantem hoſtem patientia ſuſtineret, donec auxilia ſuperuenirent. Ab initio ſiquidem abruptæ pacis à Ferdinando rege poſtularat, vt nouo delectu in Hiſpania conſcripti pedites & equites in Brutios mitterentur. Expectabat etiam à Maximiliano Cæſare Germanorum quingenarias cohortes ſeptem, quas Heluetiæ phalangi tanquam æqualis diſciplinæ par robur opponeret. Has enim Cæſar petenti Philippo filio facilè dederat, quòd Ferdinandi gener vtriuſque regni Hiſpaniæ atque Siciliæ hæreditatem aditurus eſſe videbatur. Efflagitarat quoque frumentum è Sicilia, quum eius inopia laboraret, mirabaturq́ue non aduehi quando id per acerbis obteſtationibus à Nucia præfecto requiſiſſet: & iam iam Liſcanus cum triremibus Salentinorum oram teneret, vt Siculis nauigijs præſidio foret aduerſus Præianem Gallum Archypiratam, qui ad Iapygium promontorium tranſituris inſidias paraſſe diceretur. Opperiri quoque ſe dicebat, vt ad ſyngraphas nummarias, quæ ex Hiſpania Venetias eſſent tranſmiſſæ, à menſarijs ingentes ſibi pecuniæ curarentur, quibus ſtipendia militibus vbertim exolueret. Hiſce ſermonibus tanta ſpe magnificè propoſita, & multarũ rerum tegebat inopiam, & ſpes hominum mirificè ſuſtentabat: vt milites in ſumma egeſtate pecuniæ, quòd alimenta graui etiam empta precio deficerent, quòd lacera in veſte feminudi eſſent, tot incommoda iniquiſsimis animis perferentes in officio facilè continerent. Nam intrepidæ frontis honor, & facundi oris maieſtas, ac in peramplo ex celſoq́ue corpore vultus alacer, bonæq́; ſpei ſemper plenus, tantam promiſsis dictisq́ue eius fidem afferebant, vt vel aſtutiſsimi milites, qui pleraque tanquam inani voto ſperata, vti nimis ardua & difficilia factu, læto ſucceſſu caritura iudicabãt, eum ab occulta vi præſtantis ingenij, vel ſupra rationem futura diuinare crederent. Nam per eos dies nauigium cum multo frumento è Sicilia vel aduerſis ſæpe ventis applicuit, cumulauitq́ue lætitiam altera nauis caſtrenſi plena mercimonio, quam Venetus mercator Barolum adduxerat. In ea erant præter thoraces & galeas aliquot milia ex laneo panno caligarum, interiorumq́ue tunicarum, multaq́ue item ſaga, & integumenta capitis, & linteæ tunicæ: præterea calceorum ingens numerus. quæ omnia Conſaluus ita coemit, vt pecuniam mutuam à familiaribus ſecretò acciperet, & ditiores præfecti ducesq́ue minores fidem interponerent: ab Iſabellaq́ue Aragonia ad omne officium promptiſsima, ex numero Barenſium ciuium mercatori vades darentur. His rebus magna omnium lætitia per cohortes turmasq́ue diuiſis, exercitum ex diuturna illuuie ſordidum nouo cultu vſque ad elegantiam adornauit,

vſque

vsque adeò expeditè ac liberaliter, vt quum auri esset egentissimus magnam re conditæ pecuniæ vim habere crederetur, quam opinionem inter milites alere erat solitus. Nam eos aliquando stipẽdia nimio plus quàm ipsi ferre possent differri conquerentes, allocutus, dicere erat solitus: Estote bono animo commilitones, nam obsignata integraque adhuc nobis supereſt illa ingens arca, ex qua cum pro matura victoria opus erit, ad explendas omnium cupiditates immensus signatæ pecuniæ thesaurus effundetur. Cæterùm Namurtius Canusio Gerioneque potitus, alia quoque oppida circumducto exercitu, quòd essent nudata præsidijs, ad deditionem facilè compulit, transgressusque Aufidum Canusino ponte ad secundum lapidem à Barolo positis castris consedit, præconem ad portas misso qui Hispanos, si viri essent, ad iustam pugnam prouocaret, vt vtriusque gentis virtus æquo in campo spectaretur: ac ex ea victoria Marte iudice, bello finis imponeretur. Ad ea Consaluus feruidi paratique hostis impetum mora eludendum ratus respondit, se nequaquam ad nutum expetentis hostis, verùm ex arbitrio rationeque exploratæ occasionis dimicare solitum, nihilo secius Namurtio gratias ingentes se habere dixit, quòd adeo alacriter sese offerret: sed multo maiores habiturum, si tantisper, dum suorum equi calciarentur, & milites exacuerent gladios, armaque detergerent, opperiri minimè grauaretur. Fremebant tum Hispani, eoq; ferocius pugnam deposcebant, quòd indignarentur hostes, iterum ex propinquo Baroli mœnia spectare ausos inultosque intra pauca stadia considere. Verùm Consaluus ita pugnæ studio incẽsos laudabat, vt eorum ardorem graui obtestatione compesceret, hortaturque vt eosdem animos in alium certioris auspicij diem, quem iam ipse præsentiret ad conserendum prælium conseruarent. Fore enim, vt breui ex ea cunctatione magnoperè lætarentur. Nec dicto fides abfuit. Non multò post enim, quum Namurtium satis se ad laudem ex ea prouocationis ostentatione profecisse existimantem, motis castris retrò ad Canusium signa vertisse didicisset, emisso repentè Didaco Mendocio eximiæ virtutis duce, cum omni equitatu vltimum abeuntis agmen adortus est, eo ordine instructa acie, vt binæ cohortes expansæ in alas ab vtroque latere equitatum irrumpentem cursu adæquarent, & sclopettis maximè rem gererent. His præfuere Centurionũ promptissimi Pizarrus, Scaladda, Spesius, atque Zaractes. Conuertêre itaque se Galli alacriter, & magno impetu prælium iniêre: ita vt Hispani tanquam cataphractorũ vim iniquè sustinẽtes, vti antea edocti fuerant, sese retrò explicatis turmis reflecterent: et Galli non iam cofertim, sed laxato agmine conuersos nõ modò perurgerent, sed effusè confectarent. Tum verò cohortes lunato circuitu ad stadij spacium progressæ vtrunque latus procurrentium hostium inuasere, & cataphractorum ala Columnia, lęuis armaturę equitibus subsidio missa, dẽsato agmine prælium excepit. Dimicatum est aliquandiu vtrinq; vehementissimè, sed Galli ferè vndiq; circumuenti vulneratiq;, tantam vim prementis hostis quin se fugę mandarẽt ferre nequiuerũt, quòd Namurtius nihil tale veritus, disiunctis agminib. more Gallico iter intenderat, pręmisso vtiq; peditatu cum tormentis, et Palicia, Formanteque ex itinere dimissis, qui in hiberna prędiaq; sua, hic Quadratam, ille Rubos redibant. Eo modo victor Mendocius profligatos toto campo persecutus, multos cæcidit & intercepit, penè prius quàm id acceptum incommodum à Namurtio, qui opem ferre posset, ex suo-

rum fuga ſentiretur. Itaque cum captiuis & ſpoliis Barolum reuerſus, Conſaluo extra portã occurrit. Is enim ſummo conſilio reliquas copias ſub ſignis eduxerat, vt ſi Mendocio aliquid parum feliciter accideret, ipſe producta noua acie in pugnam deferretur. Tum verò ex complexu Mendocium cùm ſua priſtina virtute nobilitateque, tum ſingulari eo facinore edito illuſtrem, miris laudibus extulit, quòd inſolentis hoſtis ferociam contudiſſet, idque vnum ante omnia tanquam ad certum omen maturæ victoriæ facto virium periculo præſtitiſſet, vt Hiſpani Gallorum audaciam, & quo illi maximè valere videri volunt, impetum facilè contemnere condiſcerent. Conturionum verò fortem operam collaudando ita probauit, vt menſtruum ſtipendium donatiui nomine eorum cohortibus ſe continuò daturum polliceretur. Sequenti die Mendocius tempeſtiui lautique apparatus epulum amicis dedit, eo ordine, vt captiui nobiles Galli honoris cauſa inter proceres diſcumberent, Quum verò ad exhilarandum conuiuium poculis certaretur, & de heſternæ pugnæ ſucceſſu liberi ſermones inciderent, Mendocius præclarè teſtatus eſt, Gallos valde ſtrenuos, in omnique periculo egregiè fortes fuiſſe: ſed in ea pugna proculdubio Italicæ virtuti palmam deberi, quòd cataphracti alæ Columniæ collatis equorum pectoribus longè omnium promptiſsimè ſe ſpectante atque admirante dimicaſſent. Diſcumbebat iuxta primos Carolus Anoierius, cognomento Motta, ſuopte ingenio ferox & forſan frequentibus poculis incaleſcens. Is Dijs meliora, inquit, Mendoci, quàm vt æquis auribus Italos virtute bellica nobis anteferri toleremus. Hiſpanos enim quum nobis pares eſſe fateamur, non eſt cur Itali vti ſemper imperitè, nec omnino fideliter arma tractantes vlla ex parte Gallis comparentur. Quandoquidem ſi gloriari captiuis licet, ſæpe à nobis non vno in loco per Italiam profligati, integram nobis rei bellicæ laudem reliquerint. In hunc modum vociferanti Gallo, feruideque tumenti proximus erat Inicus Lopes Haiala vetuſtiſsimæ nobilitatis Hiſpanus eques. Is admoto cubito Mottam comiter admonuit, vt Italis maledicere deſineret, ne illi patrij decoris memores, ac omnis contumeliæ prorſus inſolentes, ſi id reſcirent proculdubio defenſuri publicam iniuriam, eum ad ſingulare certamen prouocarent. Tum ille altius ſublata voce, prouocent inquit, vt lubet, quando nihil mihi omnino felicius exoptem, quàm id forti dextra verum eſſe teſtari quod nequaquam temulento ore portulerim. Hæc vt dicta erant per Hayalam in contubernium Proſperi Columnæ delata ſunt, vbi frequentes de more Itali equites aderant, increbuitque inter eos rumor, proſcindi contumelia Italicum nomen ab arrogante Gallo, videriique eam iniuriam ferro vindicandam. At Proſper vbi id didicit, cuncta maturè peragenda ratus in ea præſertim cauſa, quæ totius Italiæ dignitatem reſpiceret, duos Ianos Romani ſanguinis equites Brachalonium atque Capocciam ſciſcitatum miſit, an vera eſſent quæ à Motta in conuiuio prolata dicerentur. Id ſi Gallus ingenuè & extra menſam fateretur, continuò eum ſtultè mentiri dicerent, & tot quot ipſi Galli vellent, oſtendendæ virtutis cauſa ad certamen ex pari numero prouocarent. non erubuit Gallus, pertinaciique animo conditionem accepit. Hic eſt ille Motta quem Borboniane perfidiæ crimine damnatum, ideoque exulem in ruina cadentis Vrbis vſurpato Prætoris nomine, ex tribunali ius dicentem vidimus, quum inter eos qui ſacra humanaque confuderant, aliqua iuris & æqui

æqui formula quęreretur. Sed is demum quum in Hiſpaniam precioſa præda diues enauigaret, ab auaris vectoribus ex morbo ſemiuiuus in mare proiectus eſt. Verùm Gallus pecunia ſe redimens ad Namurtium reuerſus eſt, qui de omnibus quæ acciderant edoctus, ineundæ pugnæ cauſam, dictaque & promiſſa Mottæ ſuorum omnium hortatu comprobauit. Statimque inuenti ſunt concitante Motta tredecim inſignes Galli equites, qui pro decore gentis ad ſubeundam eius certaminis aleam ſeſe obtulerunt. His autem pares Proſper delegit. Fuere ij ex omni ferè Italiæ regione lectiſsimi, vt ſperatæ victoriæ laus nemine conquerente latiſsimè ſpargeretur. Romani tres erant, vt hoc dignitati omnium victricis Vrbis daretur. Ipſi ante alios, vt diximus, Brachalonius atque Capoccia, & Hector cognomento Peracius, Marcum autem Corolarium Neapolis, & Capua Hectorem Feramuſcam bellicoſa ſtirpe æditum dedêre. His autem à Theano Sidicino, Ludouicus Benauolus; et Marianus Abignentius à Sarno, et Meiales Etruria oriundus ſuccedebãt. Binos vt mitteret Sicilia impetrauit, ne inſula impotẽter abrũpente mari auulſa à ſuo contĩẽte ius Italię ciuitatis amiſiſſe videretur: Franciſcum ſcilicet Salamoniũ multis poſtea bellis clarum, & Guliermum Albamontem. Ex circumpadanis verò vrbibus numerum ſuppleuere Parmenſis Riccius et Titus è Laude Pompeia ſuperbo cognomine, quòd bello omne vitæ diſcrimen contemneret Fanfulla vocatus, & acer è Foroliuio Æmiliæ viæ Romanellus. Gallorum porrò nomina, quanquam ea diſertè ab ipſo Motta didicerim, hoc loco ſupprimenda cenſuimus: ne pro ſperata laude poſtquam inauſpicatò certauerunt rei malè geſtæ dedecus cum deformi nobilium familiarum nota tranſmittatur ad poſteros. Proſper ſuos, quòd ferè omnes ex ſua aut Fabricij fratris ala delecti eſſent, graui ſermone, ſed vultu maximè læto hortatus eſt, vt meminiſſent publicum totius Italiæ decus in ipſorum virtute poſitum, propterea enixè darent operam, ne ipſius opinionem fallerent, qui eos potiſsimum tot fortiſsimis equitib. prætermiſsis, tanquam optimos Italici nominis defenſores delegiſſet. Nec quiſquam fuit qui non dulcedine paratæ glorię duceretur, iuraretque ſe non niſi victorem in caſtra rediturum. Monuit autem ſingulos, & inſtruxit adeo diligenter, vt arma & equos ſigillatim inſpiceret. Singulis autem robuſtas haſtas Gallicis ferè cubito longiores, gladios item binos: alterum mucrone ſolido, qui ab ephippio ad læuam dependeret, alterum lateri allĩgatum, breuiorem & latiorem, quo cæſim punctimque ferirent, tribuit: ad dextram quoque addidit pro clua ferrea ruſticam ſecurim graui pondere, ſeſquipedaliq; manubrio validam, ab ipſa ephippij fronte Cathenulæ ferreæ inſertam. Equi autem ferreis ſplendidiſque frontalibus, ceruicalique lorica, & bardijs recocto è corio inauratis, & pictis tegebantur. Has antiqui clibanos vocabant, pectora, et clunes aptiſsime munientes. Addita demum ſunt noui & perutilis apparatus duo venabula, quæ poſt aciem ſolo figerentur: vt qui equis deiecti forent, his arreptis rem gererent. Ea ſicuti à Proſpero & ab his qui depugnarunt accepimus, ad victoriam minimè contulerunt. Nec minore cura Namurtius ſuos inſtruxit, decora ſpecie aureos limbos alternante purpura virgatis in ſagulis prodeuntes. Hos Palicia ex multis id decus petentibus delegerat: conſerendæque pugnæ præcepta ſingulis tradens ad repræſentandum Gallicæ virtutis ſpecimen vehementer accenderat. Medio itaque in loco inter Quadratam & Andriam v-

nius fermè ſtadij ſpacium ſulco deſcriptum eſt, erecto quidē ſuggeſtu, in quo ſub vmbella delecti tres iudices conſiderent. Ii ſtatuerunt, vt delati extra ſpacium pro victis haberentur. Singulis autem victoribus arma & equi centeníque item aurei præmium forent. Quum verò iudices locum ab omni iniuria tutum tanti certaminis ſpectaculo præſtari poſtularent, ad idque Palicia fidem ſuam, vt in graui periculoſoque negocio interponere recuſaret, Conſaluus ſe egregiè tuta omnia præſtaturum eſt profeſſus, ac vniuerſas copias Barolo eduxit, tanto quidem ordine inſtructa productaque acie, vt pugnaturus eſſe videretur, Gallorumque animos ambiguo quodam terrore iniecto ſuſpenderet. Accitos demum ad ſe Italos non alijs verbis hortatus eſt, quàm eius gentis ſtirpisque homines generoſo conſtantis animi decreto contemnerent, vtpote quos à maioribus ipſorum ſubacta Gallia, milies cęſos atque perdomitos meminiſſent: ſperarentque pro optima cauſa aduerſus inſolentes, ſtolideque ſuperbos pugnantibus certiſsimum victoriæ numen adfuturum. Tum verò miſsi ad ſtadium, ex aduerſo prodeuntibus Gallis ſeſe in aciem æquata fronte direxerunt. Nec mora ad tertium tubę cantum indicto ſilentio concurſum eſt. Itali magno contra ſe impetu procurrentes Gallos, ſecus ac omnes ex more militiæ crediderant, nihil promotis equis, ſed inclinatis tantum haſtis conſtanter exceperunt, eo quidem euentu, vt Galli priuſquam ipſorum cuſpides ad hoſtium thoraces peruenirent, longioribus haſtis induerentur. & quidam ab extrema acie ſtadij ſpacium pertranſirent. In eo concurſu nonnullis vtrinque ephippij ſella deturbatis, haſtisque perfractis magna equorum colluctatio edita eſt. Singuli autem clauas aut gladios expediuere. Sed ab Italis mirificè res geſta eſt ſecuribus: quum graui ictu caſsidum bucculas humeraliaque diffringerent, enſesque item è manibus hoſtium excuterent: æquata tamen pugna videbatur, quòd Albamontes & Sidicinus aſportantibus equis, vrgentéque hoſte pulſi, intra deſcriptum limitem ſe continere nequiuiſſent. Verùm ingenti animo Brachalonius, & poſt eum Fanfulla, cadentibus eorum equis, in pedes deſtituti, arreptis extemplo venabulis quum acriter equos virosque perfoderent victoriam inclinarunt. Vnus omnino ex Gallis nomine Claudius, colliſa vehementer galea, ita vt per nares cerebri medulla cum multo ſanguine diffluereret, interijt: qui quum eſſet ab haſta Italiæ Colonia oriundus, merito cecidiſſe videri potuit: quòd pro gloria externæ gentis contra patriæ decus parum honeſta ſi non improba arma deſumpſiſſet. Reliqui vulnerati, aut ex multis ſecurium ictibus attoniti, quum ſe victos faterentur, ad terram arma proiecerunt. Quorum euentu perſpecto iudices è tribunali cum multo tubarum clangore Italos victores pronunciarunt, atque ita Galli quòd eorum nemo centenos ex condicto aureos quib. ſe redimeret ſecum attuliſſet, Barolum ſunt perducti. Nihil enim de eius prelij euentu dubitarant, quum arrogantius quàm deceret, vel contra vim vltoris Martis tantos ex inani fiducia ſpiritus deſumpſiſſent. Conſaluus hilari fronte ſuſceptos, iucunda oratione cōſolatus admonuit, vt æquo animo perferrēt, quicquid dijudicante Fortuna contra ſpem egregiè pugnantibus contigiſſet: in poſterum verò linguam moderari condiſcerent: ſtrenuos enim honeſtosque viros, qui equeſtris dignitatis honore digni exiſtimari volunt, neminem niſi in acie contemnere: et nuſquam iactabundos non inani verborum ferocia, ſed fortibus factis per illuſtrem famam quæ-

rere con-

rere consueuisse. Exinde curare corpora iussos Prosper atque Fabritius vsque adeo liberali comitate susceperunt, vt Galli quanquam deiectis vultibus perturbati, ferè totam oris tristitiam exuerent: minusque iam quosdam puderet accepti dedecoris postquam eorum virtuti concessissent, quorum humanitate vincerẽtur. Nec multò post recepta è castris pecunia, redempti dimissiq; sunt. Consaluus verò Italos luculentissimè laudatos, equestris ordinis dignitate traditis de manu ornamentis nobilitauit, ita vt ad ipsorum gentilitia insignia argumentum virtutis atque victoriæ, tredecim torques adderentur. Hanc porrò celeberrimi certaminis historiam, vt maneret ad posteros, Hieronymus Vida Cremonensis vetus sodalis meus pernobili heroico carmine decantauit.

Per eos quoque dies Consaluus ad subleuandam annonæ penuriam, qua maximè laborabat, nouo inexpectatoque prouentu maximè lætatus est, Veneto scilicet nauigio cum magna frumenti copia circa Sipontum à triremibus intercepto, Barolumq; deducto. Alegria enim Gallus Fogia manu capta (hæc olim Ecana fuit) maximam in oppido frumenti vim nactus, id totum tãquam suam prędam venale proponens, Veneto mercatori presenti pecunia coementi adijcere maluerat, quàm Neapolitanis fame laborãtibus, qui id sub fide ad diem exoluendi precij postularent: & iam nonnulli publico vsui ad alendum exercitum in horreis recondendum dicerent; ita vt ex hostis auaritia Consaluus insigne beneficium sit consecutus, & nulla quidem cum infamia, quum Veneto ampliores quàm ille Gallo dederat pecunias numerasset. Exinde quoque accumulata lætitia naualis victoriæ nuncium accepit. Liscanus enim Præianem Gallum ad Iapygium consecutus, ita eum cõserta pugna profligarat, vt demersis captisque aliquot nauigijs, in fugam verteret, potiturus haud dubiè prætoria naui, nisi Pręianes in Hydruntinum portum sese celeriter intulisset, vbi Venetus prefectus, tanquam amborum Regum socius, tutam vtrisque stationem præstare erat solitus. Ab ea autem Præianis infelicitate Siculæ naues septem frumento onustæ libera tutaque vsæ nauigatione, & pacatis passim litoribus Barolum peruenerunt. Quarum appulsu tanta annonæ vilitas est confecuta, vt precia rerum propè omnium, ex dimidio planè decreuerint: his enim nauigijs Consaluus præter triticum & hordeum, vini Mamertini, caseique Siculensis, & ex Cetarijs salsamenti magnam copiam sibi aduehi curarat. Interea Namurtius qui è Canusio, Altamura, Gerione, Quadrata, Rubis, Fogiaque & Siponto, Cõsaluum circumfusis copijs lenta obsidione premendum susceperat, repentina Castellaneti rebellione excitus ad vindicandam perfidiam, motis properè castris ire constituit. Superioribus enim diebus Mesapiam, Dauniam, Iapygiamque peruagatus, multa in Salentinis oppida in potestatem redegerat, et in his Leccium nobile oppidum, Lupię antiquitus dictum: preterea Calatanam antiquissimam Thussalorum Coloniam, quæ hodie à Sancto Petro nomen ducit, et Nardoum à Leucadia, Nerito condentib. Græcis dictum. Item Rudias Ennij Poetæ natalibus celebres, quæ Rhodeiæ hodie vocantur: Oriam demum & Mottulam: conuersisq; signis, et Gallipoli ex itinere frustra tentato, Tarento copias admouerat, nihilq; se commouente presidio, & quiescentib. Tarentinis, Couersanũ adortus eius oppidi regulũ fidem mutare coegerat. Postremò vrbẽ Castellanetum medio, sed obliquo itinere inter Tarentum atq; Brundusium sitam, ea conditione in fidem acceperat, vt presidij causa duas Gallorũ turmas imponeret, quib. sese aduersus Hispanos è Tarẽto sępius

erumpẽtes tuerentẽ. Eo modo cũ multa terrore præsẽtis exercitus, et pleraq; sinè vulnere colloquijs & pollicitationib. perfeciſſet, quòd præcellenti ſtudio Andreæ Aquæuiuę, et Fabricij Ieſualdi Andegauenſium procerũ vteretur, in magnã ſpem maturæ victoriæ veniſſe videbat. Sed fortè euenit, vt Caſtellanetani Gallorũ iniurijs exagitati coniurarẽt, quod noñulli procacius, quàm Apulorũ mos ferret, matronarũ pudicitiam attentaſſent, alij hoſpitum penuarijs copijs prodigè vterentur: & quidam hoſpites ſuos ægrè iniquis imperijs parentes temerè verberaſſent. Itaque præſidium intempeſta nocte ſopitum in hoſpicijs ad datam teſſeram eſt comprehenſum, accitisque à Tarento Hiſpanis vrbs tradidita ea tamen conditione, vt Galli quanquam exuti armis & equis, quo ad in tutum peruenirent, inuiolati præſtarentur. Id inexpectatæ perfidiæ facinus vſque adeo Namurtium commouit, vt vel diſſuadẽte Aquauiua regulo, quin motis properè caſtris eò contenderet, retineri nequiuerit. Ille enim peritus belli, gnarusque hoſtium Gerioni, aut Rubis, aut denique Canuſio timẽdum eſſe diſſerebat, ne ipſo abſcedente longius, Hiſpani rei bene gerendæ occaſionem arriperent. Verùm Namurtius ſe feſtinanter iturum, vindicataque perfidia celerrimè rediturum profeſſus, Caſtellanetum noctu diuque continuato itinere peruenit: oppidani ſubito aduentu irati repentinique hoſtis magnoperè perturbati, quòd pauci in præſidio Hiſpani aderant: quòd aduerſus vim tormentorum imparati eſſent, & mulierum puerorumque planctus de liberantibus viris fortia conſilia excuteret, ad id conſilium decurrerunt, vt admiſſi ſceleris pœnas pecunia redimerẽt, poſtquam nihil in corpora deſeuiſſent. Sed dux iracundus cum triplo maiorem pecuniam poſtularet: et niſi integram continuò perſoluerent, cunctis extrema ſuplicia minaretur, id omnino importunè effecit, vt oppidani ad deſperationem verſi extructis introrſus tumultuarijs munitionibus aliquot tormentorum ictus conſtanter ſuſtinerent: ſubireque murum ſcalis auſos prouolutis è corona trabibus ſaxisque ingentibus deterrerent. Verùm in eo conatu hærentem, ambigentemque an vi admota, quod eſſet periculoſum, an accepta quæ offerretur pecunia, quod indecorum videri poſſet, iniuriam vindicaret, ab eo conſilio nuncius auertit. Is attulerat Conſaluum Barolo profectum Rubos ad opprimendum Paliciam contendiſſe. Is enim de Namurtij profectione certior factus ex occaſione ſumpto conſilio, celeriterque expedito, noctu eductis omnibus copijs tormentisque ita vt decuriones Barolitanos nõ obſcuræ fidei obſides futuros ſecum duceret, Rubos aduolauit. Tantaque vi tormentis admotis oppugnare adortus eſt, vt proſtrato ingenti ruina muro, collata veluti acie dimicaretur: & non vno in loco Hiſpani admotis ſcalis ſubire mœnia niterentur. Certatum eſt per ſeptem horas ſumma contentione: nam Palicia infracto animo vbi periculum poſceret, adhortando pugnandoque ſuis non deerat, cum pro vallo cataphractos equites pedibus dimicantes irrumpentibus oppoſuiſſet, et per ſagittarios Vaſcones idoneis in locis diſpoſitis crebra vulnera ſubeuntib. inferret. Sed ipſo demum Palicia vulnerato, & cataphractis incumbentium hoſtium impetu pondereque proſtratis potius, quam interfectis, Hiſpani in oppidum irruperunt: cùm alij eodem ferè tempore conſcenſis ſcalis muri coronam cepiſſent. Primùm quod illatum eſt repulſis Gallis vexillum, fuit Franciſci Sances, qui regis Hiſpaniæ erat diſpenſator: Muralis verò coronæ decus datum eſt Traiano

Morminio

Morminio nobili Neapolitano, qui primus muri pinnum apprehendisse conspectus est. Multis igitur primo impetu cæsis, reliqui Galli omnes cum Rubostanis ciuib. capti sunt, eminente inter eos Palicia cum Amideo Allobrogum equitum præfecto & Peralta Hispano, qui ante turbatam pacem sub Gallo rege stipendia merens in officio sibi permanendum esse censuerat. Consaluus in tanto strepitu direpti oppidi præcipuã adhibens curam, fœminas coniectas in templum ab omni iniuria inuiolatas conseruauit. Sequentiq; die non planè toto direpto oppido eadem vsus celeritate Barolum est reuersus pene priusquã Namurtius qui ex itinere adiunctis sibi Heluetijs, & coacto ampliore equitatu festinanter aduentabat, de Palicię calamitate doceretur. Nec multò post Rubostanas mulieres Barolum perductas, pudore incolumi & sine precio dimisit, virosq; pariter ad vnum omnes, quibus exigua admodum pecunia redemptionis nomine imposita fuerat. Gallos porrò equites nequaquam redimi passus in custodia retinẽdos iudicauit, quòd paulo ante Namurtius præscriptis legibus parum integrè paruisse diceretur. Reliquam autem peditum turbam ad Liscani triremes vsq; ad belli exitum relegauit, duriore aliquanto pœna quàm Christianæ militiæ mos ferret. Quo instituto dux nonnunquam contra naturam ingenij seuerus & callidus, ob idq; aduersos de se rumores ex belli commodo facilè contemnens, hostium alas cohortesque vehementer attenuari præclarè intelligebat: paucisque diebus & equitatu quoque quo maximè valebat hostis, par euaderet, cum supra septingentos militares equos varijs expeditionibus Castellanetique præsertim & Rubis captos, lectissimis peditum dedisset. Ita vt pedites ad equum rescripti, ardua queque & aspera tentare auderent, & eo quidem alacrius, ne tanto beneficio, inexpectatoque honore indigni viderentur. Dum hæc in Apulia geruntur, Vgo Cardonius è Sicilia coactis tribus millibus peditum, & trecentis equitibus Rhegium traiecit: Iacobum Sanseuerinum Myleti Regulum Brutios ad defectionem concitantem tumultuario prælio fudit: Didacum Ramirum in arce Terrænouæ obsessum liberauit, oppidumque diripuit, & incendit: conuersusque demum ad oram magnæ Græciæ Martianum Rossani principem in fugam vertit. Quibus rebus cognitis, Sãseuerini duo reguli Besennianus & Salernitanus, qui antea (vt diximus) ab Hispanis ad Gallos defecerant, accitis vndique copijs armatisque clientibus sese aduentanti Obegnino coniunxerunt. Is parua manu Gallorum Cosentiæ relicta, qua Solitius Gometius in arce obsideretur, ad Vgonem quanta fieri poterat celeritate contendebat, vt quàm primùm confligeret. Erant cum eo Grigninius atque Malherba, hic sagittarijs Vasconibus, & tribus Helueriorum vexillis, ille cunctis leuis armaturæ equitibus præerat. sed præcipuum robur erat in grauis armaturæ equitatu, in quo eminebat veterana Scotorum ala Obegnino familiaris fidaque.. Habebat tum castra Cardonius in ea planicie, quæ ab oppido Terranoua ad meridiem se extendit. Is de hostium aduentu certior factus, rem ad consilium defert: & quanquam nouis copijs esset adauctus, vitandos tamen patentes campos censet, & sese ad Sancti Georgij arcẽ quæ pertinebat ad Apennini montes recipere constituit. Sed ne decretum fiat, noui duces impediunt, qui ab Hispania nuper aduenerant. In his fuere Emanuel Benauidius, Antonius Leua, qui postea summus dux euasit, et duo Aluaradi pater & filius: qui quadringentos vrriusque armaturæ equites, & quatuor cohortes adduxerant. Indecorum enim & planè

turpe esse differebant retro mouere castra, pedemque referre, antequam hostis in conspectum se daret, & quales quantæque eius essent copiæ, certius explora retur: vel ob id præsertim quòd ambiguę fidei Brutios speculator Gallos nec biduo quidem affuturos renunciasset. Sed eam hostium opinionem Obegninus dux vetus egregiè fefellit: Gallica enim vsus celeritate, per inusitatã viam monstrantibus Brutijs, & noctu confecto itinere, instructam aciem ostendit, & signa canere iubet. A dextro cornu duo Sanseuerini reguli lunato flexu producebant, in læuo Grigninius erat cunctis, vt diximus, leuis armaturæ equitibus præpositus: in media porrò acie Obegninus ipse constiterat densato cataphractorum ordine regulis ferè coniunctus. Malherba confertos Heluetios & Vascones ex raris ordinibus commodè sagittantes Grigniniani equitibus applicarat. Ex aduerso Hispani conspecto hoste, quanquam pauciores, consilioque decepti, intrepidè ordines instruunt, seseque ad conferendas manus cohortantur, & procurrentium Gallorum impetum constanter excipiunt. committitur atrox pugna, nec displodendis vtrinque tormentis facultas datur. Sed ardente pugna, dum Cardonius admirabili constantia ducis et militis munus impleret, Grigninius lato circuitu extensa ala in transuersos hostium pedites inuectus, eos perturbauit et fudit: quibus extemplò incubuêre Heluetij et Vascones tanto impetu, vt pulsi ab hastatis sagittisque confixi, in fugam verterentur. Ex alia autem patre omnis equitatus Hugonis monitu conglobatus, Brutios æquata cæde sustinebat. Verùm Obegnino suam aciem promouente, neque Siculi neque Hispani equites Scotorum cataphractorum vim *tule*runt, quin celeriter terga darent, & præcipiti fuga ad montes contenderent, increpante Cardonio, & vt ora conuertere sensimque se recipere vellent, frustra obtestante. Eo modo profligatis equitibus peditatus in medio cęditur atque proteritur: equites verò magna ex parte ad montium angustias euadunt. In ea hostium perturbatione Grigninius quum abeuntium tergis instans intemperantius proueheretur, quòd subducta cassidis buccula faciem nudasset, recepta per oculum conuersi hostis cuspide interfectus est. Nec Obegninus paruum vitæ periculum adijt, quum Hispani equites, vti ppstea ab Antonio Leua accepimus, circumuento & ferè capto, cassidem detrahere conarentur, haud dubiè iugulum petituri, nisi Salernitanæ alæ superuentu, quæ facto cuneo circumfusos dissiparat, seruatus fuisset. Nouissimus porrò omnium Hugo quum cæteri proceres per montes euasissent, demisso equo cui crura præciderat, ne eo potiretur hostis per niuosas rupes ad Bubalinam Mottam se proripuit, atque inde collectis paululumq; recreatis militibus, qui ex prælio superfuerant, in Locrensem agrum ad vrbẽ Hieracium descendit. Impedimenta diripienti militi agrestibusq; cessere, vexilla autem cum multis nobilibus Hibericis equis ad Obegninum relata sunt, captiuorum numerus quàm cæsorum amplior fuit. Nec ea victoria Obegnino admodum læta videri potuit. quum Grigninij amicissimi atq; fortissimi viri morte constitisset. Post id prelij Obegninus quum Bubalinam Mottam in quam hostes ex fuga se receperant, profectus, sine vulnere cœpisset, & in Locrensi Pentadactylos oppidũ expugnasset, nemo ferè in Brutijs fuit qui non ad Gallos victores studium continuò vertit, Hispanis vtiq; in munitas arces refugientibus: quas Gallus egrè per hyemẽ oppugnaturus esse videbatur. His reb. quæ in Brutijs & Apulia gestę fuerant

Ferdinando

Ferdinando regi in Hiſpania nunciatis, extemplò alia claſsis maioris apparatus in portu nouæ Carthaginis adornatur, quæ Meſſanam adnauiget, præerat copijs claſsique cum imperio Portocarerius è Buccanigra familia Genuæ pernobili oriundus, propterea cæteris Hiſpaniæ regulis ad id imperij decus aſpirantibus regis iudicio prælatus, quòd Conſaluo arcta affinitate eſſet coniunctus. Nam is Manricæ Conſalui vxoris ſororem in matrimonio habebat: videbaturq; coniunctis cum eo ſenſibus ab omni æmulationis certamine procul abfuturus. Portocarerio parebant Alfonſus Caruaial, Italiæ poſtea bellis clarus, qui ſexcentis equitibus præerat, et Ferdinandus Andrada, qui ex Gallecis, Aſturibus & Cantabris, ac Oceani litore circiter quinque millia peditum adduxerat. Nauiganti Portocarerio ita aduerſi fuere venti, vt ingenti tempeſtate circa Aeolias inſulas iactatus aliquãto tardius quàm volebat, ſed claſſe incolumi Meſſanam peruenerit. Verùm traiecto freto, Rhegij exponentem copias ſupremus inuaſit morbus. Is quum fatalem horam ſibi adeſſe cerneret, cõſulto Nucia Siciliæ præfecto, ad Andradam ius imperij tranſtulit, quanquam Emanuel Benauidius & Alfonſus Caruaial natalibus clari peritiq; militiæ ipſo Andrada potiores viderentur. Exercebant enim inter ſe Benauidius & Caruaial veteres ſimultates ex diuerſo factionum ſtudio conceptas, vſqueadeo graues, vt neuter alteri ex profeſſo parere vellet: ſed ambo in Andradam nequaquam ægrè Reipublicæ cauſa conſentirent. Mortuo Portocarerio celebratis exequijs iuſta perſoluerunt, numeratoq; militi ſtipendio ex Siciliæ vectigalibus, ac initis cum Vgone conſilijs Andrada copias omnes Rhegio eduxit, & tribus caſtris ad Terrænouæ campos eſt profectus. Eodem quoq; die Obegninus è Bubalina Motta ad occupandam Terramnouam venit. Sed præoccupante Aluerado, quum leui certamine hoſtium vires pertentaſſet, ad caſtrum Sancti Ioannis non procul à Semenaria deflexit, quo in loco ſeptem antè annis Ferdinandum regem, & Conſaluum collata acie profligarat. Nec longè aberant campi recenti Hugonis calamitate pernobiles, adeo vt Obegninus gemina victoria ferox, quanquam numero copiarum inferior, fatales hoſti campos ſibiq; felices oculis reuiſens, læto quodam auſpicio duceretur, vt quàm primùm tertiæ pugnæ aleam ſubiret, mitteretur q; ab eo ad hoſtes Feracutus Araldus. Is caduceatoris officio fungebatur, qui ſuperbo ore Hiſpanos tanquam non valde ſtrenuos, et planè vinci ſolitos, ad certamen prouocaret. Quibus verbis Hugo per ſe ad abolendum dedecus ardore quodam indignantis animi concitatus accipiendam pugnæ conditionem Ferracutumq; propterea argentea pelui ſcyphoq; donandum cenſuit. Ioannemq; fratrem qui non longè aberat cum pedeſtribus copijs accerſiuit. Sed milites negabant ſe progreſſuros, niſi toties promiſſa pecunia ſtipendij nomine debita ſolueretur. Verùm eam animorum contumaciam omni quod habebat auro argentoq; præbito, oppignorataq; amicorum fide facilè diſſoluit, atque ita peditatus in caſtra perductus eſt. Obegninus autem aliquot leuibus prælijs factis ſuperatoq; Petrace amne, ad oppidum Gioiam contendit. Abeuntem Andrada & Hugo motis properè caſtris ſubſecuti, eodem vado flumen traiecerunt: eo quidem ordine, vt quiſque eques conſeſſorem peditem tranſportaret. Poſtero autem die Obegninus inſtructa acie ab oppido Gioia deſcendit. Hiſpani autem conſpectis hoſtium ſignis, continuò aciem direxerunt. In cornibus

erant Emanuel'& Caruaial: mediam verò aciem tenebant Hugo, Antonius Leua, Alueradus pater cum vetere equitatu peditatuque. Hoc agmen ex modico interuallo sequebatur Andrada cum equitibus ab Hispania nuper aductis, & Galleacorum & Asturum cohortibus. Hæ gentes antiquo more Romanæ militiæ, scutis oblongis inflexisque & tragulis missilibus vtebantur. Ipse porro Obegninus in primo agmine fuit ciendæ pugnæ auidus. In secundo Alfonsus, & in tertio Honoratus Sanseuerini constiterunt, qui regulorum gentilium suorum alas ductabant. Quadrato autem agmini peditum præerat Malherba, iuxta quem erant tormenta, quibus vtrinque disploſis ab equitatu procursum est. Obegnino aduersos Solis radios vitare conanti Hispanorum leuis armaturæ ala locum præripuit: ita vt signa verteret, & in Emanuelis cornu vehementer inueheretur. Sed ardente iam prælio, & ægrè vim Scotorum Benauidio sustinente, Hugo, Antoniusque & Alueradus opem tulerunt, pugnaque tanto animorum vigore contracta est, vt Galli Hispaniq; gladijs rem gerentes permiscerentur, nec eorum quicquam de victoria dubitaret, quum Caruaial expedito consilio sinistrum cornu circumduxit: & in terga primi hostium agminis prouectus, tantum terrorem ancipiti prælio occupatis intulit, vt Obegninus dissipato suorum agmine in fugam verteretur. Alfonsus verò cum secunda acie auxilium ferentem Andradæ equites profligarent: pariqué sorte Honoratus perterrito fusoque tertio agmine profugeret, semiqué horæ momento (quod vix credibile est) trucidato ferè toto Gallico peditatu, insignis victoria pararetur. Capti sunt ambo Sanseuerini Honoratus et Alfonsus. Obegninum Scotorum globus è manibus hostium eripuit. Isque demum adiuncto Malherba continenti cursu Gioiam contendit. Sed ibi paululum moratus, quòd iam Hispani equites hisdem vestigijs insecuti aduentare nunciarentur, citato per obscuram noctem itinere, in Angitulam arcem confugit, sæpe Fortunam incusans, quæ inuictum hactenus & Britannicis Gallicisque bellis duodecies iusta acie victorem eluisset. Sequenti verò die ante alios Valentius Emanuelis frater & secundum eum Caruaial, Alueradusque filius, & Antonius demum Leua, nihil de celeritate remittentes, Angitulam peruenerunt, oppidoq; potiti, Obegninum in arce obsidere statuerunt. Nec multò post Andrada dux ipse cum vniuersis copijs superuenit, erectisque munitionibus, & circumposita cohortium statione, ne dux hostium elaberetur, in conspectu oppidi, sed extra tormenti iactum castrametatus est. Hisdem quoque diebus quibus post aduentum classis et Portocarerij mortem, Andrada nouo duce in Brutijs cum Obegnino conuersa iam planè Fortuna certabatur. Germanorum cohortes, quas Octauianus Columna à Prospero patruo, ad Cęsarem missus impetrarat, Carnicis iugis ad Tergestinum portum deductæ impositeque in naues Baroluum peruenerunt. Quarum aduentus tanta lætitia Consaluum affecit, vt spem antea de summa victoria conceptam mirificè confirmaret: nec ideo diutius cunctandum arbitraretur, quin in aciem prodiret. Septimum enim mensem Baroli angusta vrbe obsessus, quum vicina oppida præter Andriam Namurtius occupasset, cuncta belli incommoda, vna inuicti animi magnitudine superarat. Subleuante quidem fortuna spes ægras, & sæpissimè extremis obsessi casibus arridente, adeo vt nunquam de matura victoria dubitasse crederetur. Hoc inito susceptoque consilio quum omnia quæ ad profectionem

ctionem opportuna forent, præfectos equitum & peditum parare iussisset, Petrum Nauarrum, & Ludouicum Erreram propinquum suum cum ea manu qua possent, Tarento euocandos iudicauit: horum enim eximiæ virtuti plurimum tribuebat. pari quoq; consilio Namurtius coniectura iudicans hostem appulsis Germanorũ auxilijs moliturum aliquid, & Barolo protinus egressurum Andreæ Matthæo Aquæuiuæ perscripsit, vt è Conuersano Altamuram peteret, vbi erat Arsius, atque inde ambo coniunctis viribus ad se Canusium in castra peruenirent: quod in eius viri consilio ad res gerẽdas maximam spem reponeret, nec sine Arsio constanti impigroque duce quicquam sibi audendum arbitraretur. Sed dum inter se Arsius & Aquauiua de profectionis die constituunt, Nauarrus circa Tarentum Arsij literas intercepit. Qua re cognita vir acutus Aquæuiuæ transituro insidias tendit, atque ita ille improuiso malo circumuentus, dum fortissimè repugnat, confosso equo grauiter sauciatus capitur. Ioannes eius frater strenuè dimicans cadit: equitatusque profligatur, & fermè totus in potestatem hostis deuenit. Eo negocio ex itinere feliciter gesto, Nauarrus & Errera Barolum perueniunt. Consaluus geminata lætitia in risum solutus pleno ore Fortunæ obsequenti suscipienda vota pronunciasse fertur, quòd opportunissimo tempore capto prudentissimo hostium duce, viros summę virtutis et fidei magno sibi vsui futuros in castra recepisset. Iam Ver florentibus aruis, adultaque segete ad Calendas Maias inclinabat, quum fortè eo ipso die tanquam ritè auspicato maximeque felici, quò ad Gioiam profligatis Gallis victoria parabatur, Consaluus copijs omnibus Barolo eductis superatoque Ausidio ad Gerionem castra metatus est, ea mente vt admotis tormentis opportuno oppido potiretur, aut si Galli opem ferrent, æquo in campo collatis signis confligeret. Peruentum est ardentissimo Sole, æstuosoq; itinere, & maximè puluerulento, tanta totius exercitus fatigatione, vt pleriq; milites siti, lassitudineq; confecti passim interirent: humorisq; desiderio ferulas, quas retorridus præbet ager, tanquã ex rore nocturno madidas exsugere cogerentur. Quibus malis Consaluus circumductis ad singulas acies aquæ vtribus occurrebat: hos enim in eum casum ab Ausido comportari iusserat, edicebatq; singulos pedites, armatosque præsertim in tergo consessores acciperent. Id verò aliquanto benignius & alacrius equites præstabant, quòd humaniore quodam exemplo ab ipso duce receptus in equi clunes signifer Germanus veheretur. Gerio (vt antea diximus) irrito conatu Pœni Annibalis potius quàm ędificiorum frequentia nobile, tumulo insidet, & perpetuis per decliuia vinetis clauditur. Vineta autem fossa modica præcingit, intra quam Prosper atque Fabricius locum speculati, dimensique castra fecerunt, sic vt tumultuario opere fossa repurgata dilatataq;, ac educto ad labrum interius paruo aggere, quantum in ea temporis exiguitate fieri potuit, sese satis egregiè aduersus hostium equitatum permunirent. Consaluo ipso recentiores militum ad perficiendum opus cohortante, quum eodem tempore tormenta idoneis locis in fronte collocaret. Interim Namurtius Canusio profectus non procul à Gerione consedit, vt communi ducum omnium vsus consilio de ineunda puga statueret. Sed intempestiua altercatione factum est, vt deliberando diei maxima pars elaberetur, quum ipse & Formantes atque Arsius grauibus de causis pugnam in posterum diem differendam censerent. Ciandeus autem Heluetijs prępositus &

Alegria, nequaquam segni atque indecora cunctatione, sed expedito virilique impetu, vti semper fortia audentibus Gallis feliciter euenisset, victoriam omnino petendam testarentur. Qua sententia vehementer offendi nominis sui famam Namurtius intelligebat: nam paulò antè malignas de se voces ab Alegria editas audierat, quòd tanquam dux non planè peritus & strenuus vniuersi certaminis discrimen subire formidaret, & se per partes attenuatis copijs ab insidiosa gente carpi atque atteri cum labe gallicæ dignitatis, & magno virium incommodo pateretur. Nec mora non obscurè contumeliam indignatus, postquam, inquit, ita videtur, vt hodie dimicando qualemcunque fors dabit bello finem quæramus, ego certè, si non publico Galliæ regis voto, præclaro saltem priuato decori meo honesta morte satisfaciam, atque ita concitante fato pugnæ signum proposuit (quanquam vix ad sesquihoram diurnæ lucis cadente Sole supereset) triplicique agmine instructo ad hostem perrexit, nonequata quidem fronte, sed obliquo ordine per gradus promotis copijs, vt quũ à dextro cornu vbi erat ipse & Arsius procurreretur: Ciandeius à media acie vbi peditatus omnis constiterat, tormenta disploderet, consequereturque primos ex interuallo: et simili ratione Alegria tertiam aciem ad læuum Heluetiæ phalangis latus vbi esset opus concitatis equis applicaret: sic vt ternæ acies suo incessu expansæ palmæ extremios tres digitos ab inæquali longitudine referre viderentur. Ex aduerso autem Consaluus sex acies directa fronte hostibus opposuit, duæ equitum in cornibus fuerunt, vna in subsidijs post Germanos, *cui* cõherebant Hispanorum cohortes, adeo modico disiunctæ interuallo, vt procul vna tantùm peditum acies appareret, et medio equitatui ad erumpendum, si opporteret, satis spacij præberetur. Leuem autem armaturam omnem Fabricio Columna & Didaco Mendocio ducibus emisit, quæ aduentantes hostes lacessendo retardaret. Tanta autem caligo densi pulueris excitata est, vt prospectus omnis præcursoribus Gallis adimeretur. Auxit demum eam nubem emissorum tormentorum fumus. Sed eorum altè prouolantes pilæ neutram aciem perturbarunt. Quum verò iterari tormenta Consaluus iuberet, ei trepidanter et anxiè à Leonardo Aleccio nunciatum est, cados omnes sulphurei pulueris, casu an dolo incertum, concepta flamma conflagrasse. At ille tanto nuncio nihil omnino territus, præclarum, inquit, omen accipio. Quid enim nobis lætius accidere potuit, quàm prouenientis victoriæ luminaria spectauisse? Nec vanum id augurium fuit: inuectus enim in Germanos, & sinistrę alæ equitatum Namurtius reperta fossa importunè hęsit, adeo vt repulsus, dum agmen flecteret, vt nouus aditus ad irrumpendum quæreretur, glandæ traiectus caderet, penè prius quàm Ciandeius Germanos aggrederetur. Sed is eandem ab obiecta fossa fortunam tulit, quum ab iniquo loco per aggerem peruicaci impetu irrumpere conantem, Germani prætentis hastis, & ex obliquo Hispani sclopettarij occisis & perturbatis Heluetijs, in fossa quanquam humili trucidasent. In se enim vnum Ciandeius hostium manus atque oculos conuerterat, quum à prealtis albentium pennarum cristis ante omnes conspicuus pedibus depugnaret. Cæterùm cadente Namurtio, Arsius et Alegria quanquam diuersi loco, idem fugę consilium ceperunt, verùm ita casus tulit, vt hic in Samnium iter intenderet, ille verò Venusiam continenti cursu deferretur. Hos equitatus Hispanicus aliquandiu persecutus, multis interfectis, et pluribus cum Formante

mante captis, in castra rediit. Quum Sol occidens nec in semihoræ quidem spacium certi luminis finiendo prælio præbuisset. Quæres Arsium & Alegriam coniectos in obscuram noctem haud dubiè seruauit. Primus omnium Prosper in castra hostium aduolans, ipso Namurtij prętorio potitus est, vbi abachum inaurato argento instructum, luxuriosæque diligentiæ & copiæ paratam cœnam inuenit, ea sorte, vt luculenter epularetur, & in lecto interfecti hostium ducis pernoctaret, quum eum interea Consaluus atque Fabricius totam noctem frustra quæsitum pro mortuo deplorarent. Exorto autem Sole Prosper cum multo plausu risuque suorum ad castra rediit, & Namurtius inter cadauera agnoscente humeri neuos cubiculario puero repertus est, cui Consaluus celebrato funere summos honores tribuit. Erat enim ex Armeniaca familia inter nobilissimas Galliæ valde celebri: quæ non semel regio sanguini inserta veram nobilitatem præferebat. Pugnatum est ad Gerionem die veneris, quarto Kal. Maias, quum septimo antè die Obegninum ad Gioiam ab Andrada profligatum Consaluus à captiuis geminata lætitia didicisset. Sic vt nequaquam præcipiti temeritate Namurtius, sed planè non opportuno consilio inductus, in prelium festinasse diceretur, ne scilicet acceptæ cladis fama si emanaret, Gallorum animi frangerentur: hostis verò maiorum virium expectatione subnixus omnibus belli artibus pugnæ casum deuitaret. Cæsa sunt ad quatuor millia hostium tanta celeritate felicitateque, vt cum semihoræ momento res cœpta confectaque sit, nec centum quidem ex victoribus perierint. Audiui ego Fabricium Columnam dum eius prælij successum enarraret, asserẽtem eius diei victoriam nullo alio magis vel militaris industriæ, vel imperatoriæ virtutis, quàm in vno exigui aggeris et perhumilis fossæ momento constitisse. Quo postea exemplo alios qui successere duces potissimam in muniendis castris curam posuisse videmus, repetita scilicet illa antiquorum tanquam optima castrametandi ratione, quæ patrum nostrorum tempestate cum tota militiæ disciplina fœdè corrupta perierat. Eodem die Consaluus nullum moræ spacium perterritis, & fugientib. dandum ratus, Garciam Parediũ, qui Arsianos Venusiam pertendentes insequeretur, misit: Petrum verò Pacæum, & Theodorum Boccalum Spartanum, Alegriæ vestigijs insistere iubet. Sed Alegria Traiano Caracciolo Melphiæ regulo fugæ comite cũm præuolante cladis fama nullo in oppido reciperetur, & demissa canistris cibaria passim vel grandi pecunia vix impetraret, ad Tripaldam peruenit, atque inde desumpta vnius diei quiete extentis itineribus, vitataque Neapoli Auersam se contulit. Ibi certior est factus, tumultu Neapoli exorto, ipsum regij scrinij magistrum, & quæstores timore præpeditos in arcem confugisse, atque eo modo desperatis rebus præter Capuam et Suessam iter habens, superato Lyri amne, Fundos atq; Traiectum, & demũ Caietam peruenit. Altero quoq; die, qui à prelio secundus fuit, Fabricius Columna ad occupandam Aquilam Præcutinorum caput cum Restanio Cantelmo Populi comite profectus est. Prosper verò et Andreas Capua, regulus Termulanus à Consaluo dimissi, Capuam vrbem quę erat Termulano patria pulsis Gallorum magistratibus in fidem recepêre. Aperuit & demum eis portas Suessa cùm eò copias adduxissent, atque ita pulsis vltra Lyrim Gallis, donec quid fieri vellet Consaluus certius imperaret, in ea vrbe considendum putauêre. Interim ad Hispanos duces qui in Brutijs Obegninum ad Angitu-

Iam obſidebant, literæ Conſalui de parta victoria peruenerunt. Quibus ad arcem præmiſsis, Obegninus agnoſcere ſe Fortunam ſupra æquum Gallico nomini infeſtam reſpondit, propterea quum iniquæ ſorti diutius reluctari inſani eſſe & protinacis animi iudicaret, ſe protinus deditionem facturum, ſi vera eſſent quæ nunciarentur, ſpopondit: atque eo modo emiſſo Malherba, qui data fidei obſes foret, conceſſæ ſunt duodecim dierum inducíæ. Quo ſpacio Galli tres equites miſsi ad explorandum rei geſtæ exitum reuerterentur. Ii quum non multò poſt cuncta vti acciderant, à captiuis edocti, Namurtium cæſum, & profligatas eius copias renunciaſſent, Obegninus aurata in veſte, & tranquillo quidem ore prodiens ſe dedidit, ea conditione, vt reliqui ad vnum omnes liberi eſſent, ac ipſe ſolus in libera cuſtodia ſeruaretur. Ferunt Obegninum duos iuuenes propinquos ſuos, qui poſtea bello clari euaſerunt, ſeueriſsimis caſtigaſſe verbis, quòd mollius quàm viros genereque præſertim Scotos, & regio ſanguine editos deceret, aduerſum belli exitum complorarent, quaſi non meminiſſent, nunquam animum generoſis eſſe deſpondendum, ſed Fortunam nouo ſemper conatu rediuiuæ inuictæque virtutis eſſe redimendam. Interea Conſaluus Melphi in ditionem recepta, quum ex itinere cuncta oppida victoribus portas aperirent: & nuſquam tempus terere, ſed continuò Gallos perſequi vellet, ex Apulia per Samnium & Campaniam iter habens, Acerras venit. Vbi Neapolitani oratores primæ nobilitatis, quum victricem dextram apprehenderent, incruentamque victoriam gratularentur, victorem rogarunt, vt ciuitatem ex antiquorum beneficiorum memoria Aragonio nomini vehementer obligatam in fidem reciperet: iuraque eius, & antiquæ immunitatis leges tueretur, ſtudioſeque conſeruandam, ac ex fidei merito nouis honoribus amplificandam ſuſciperet. His itaque tabulis, quas domi ex ſuperiorum regum formula conceperant, Conſaluus liberaliſsimè ſubſcripſit: pollicitus ſe curaturum, vt cunctis eorum poſtulatis rex Ferdinandus de ſcripto clementer annueret. Nec multò poſt ſub vmbella regio apparatu in vrbem eſt receptus. Parata ei fuerat ſolemni cultu Salernitani principis domus, quæ longè omnium magnificentiſsima cenſebatur, aduocatęq; demum ſingulę tribus Idibus Maijs, in nomen Ferdinandi Regis ſacramentum dixerunt: militibus autem edixit priuato hoſpicio per vrbem ſuſceptis, capitalem fore pœnam ſi quenquam auarè aut inſolenter vel impudicè violaſſent. Exinde conuectis muralibus tormentis, quæ magna ex parte ad Gerionem ex hoſtili præda fuerat conſecutus, arces expugnare conſtituit, Nauarro profitente, ſe breui ſingulas in poteſtatem redacturum. Prima omnium, paruo admodum ſcopulo impoſita, quæ Vicentina turris vocatur (hæc nouam Arcem ex obliquo reſpicit) tormentis expugnata eſt, dedentibus ſeſe cuſtodibus, qui tormentorum procellam ferre nequiuerant. Inde Nauarrus apparatum omnem ad nouam Arcem conuertit, ita vt ſuperioris coronæ pinnas, & ſumma turrium tecta interdiu verberaret, noctu verò tutus in excauandis cuniculis verſaretur. Factumq; eſt paucorum dierum labore, vt ex inſtituta diſciplina coniectis ad ima fundamenta ſulphurei pulueris cadis, totum id propugnaculum, quod hortos viridariaque deſpectat, ſubdito demum igne horribili fragore conuulſum laceratumque concideret: & Hiſpani per ruinas expeditis armis celeriter irrumperent, exterioreque toto arcis ambitu multis Gallorum interfectis potirentur.

Reliquos

Reliquos verò Gallos, vti erãt inopinato malo perterriti, per triumphalẽ portam in interiorem arcis aream refugiẽtes, ita vrgerent, vt occupatum pontem, pondere degrauantes à Gallis cuſtodibus attolli prohiberent. In ea autem perturbatione Galli æneæ cælatæque portæ valuas inductis peſſulis turbæ irrumpentium celeriter oppoſuerunt, adegereq; item colubrinam ad fores, vt ea introrſus diſploſa conſiſtentium, & in ponte, & in area Hiſpanorum ſtrages ederetur. Sed admirabili caſu pila ferrea in ipſa valuarum craſsitie hęſit, non planè penetrato metallo, quæ hodie pro inſigni miraculo peregrinis arcem inuiſentibus oſtenditur. Conſaluus, quum meridianti capi arcem clamore militum edito nunciaretur, neque id plane crederet, arrepto tantùm pedeſtri ſcuto, ad arcem decucurrit, ipſoque admirante, occupata eſt area arcis interior, admirabili quadam audacia ſcandente Hiſpano, & Gallis qui in turres confugerant, trepidè ſe dedentibus. Muralis coronæ decus promeruit adoleſcens ex armigeris Conſalui pueris Ioannes Pelaes Berrius, qui pinnæ pluteum Gallo ei manum detruncante audacter apprehenderat. Milites cuncta ferè quæ erant in arce diripuerunt, vſqueadeo inſolenter, vt nec amnonam quidem ſe relicturos pernegarent, ipſo duce Conſaluo arrogantibus verbis penè violato, ſi militaris inuerecundia cum tanti viri maieſtate conferatur. Sed in ſummo omnium gaudio militib. tanta re patrata indulgẽdum eſſe iudicabat: adeo vt ſingula horrea, & ſingulas annonæ cellas à militib. parum liberaliter ea vendentib. coemere cogeretur. Dictitabant enim ſuperbo ore ea omnia ſummis periculis quæſita, optimo iure ſibi deberi, poſtquam egerrimè debita ſtipendia ſoluerent. Earum rerũ opimam publica æſtimatione fuiſſe prædam conſtat, quũ in arcẽ tãquam tutiſsimę munitionis locum, Andegauenſium partium ciues, mercatores atq; menſarij obſignatas precioſarum rerũ arcas detuliſſent. Non defuere tamẽ multi ex gregarijs qui nihil ſibi omnino ex præcioſa ea præda peruenisſe iurarent, & diris maledicendo de iniqua ſorte ſua improbè quererentur. Ad quos conuerſus Conſaluus, Itote, inquit, vt ex mea liberalitate Fortunam veſtram ſuperetis, & domum meam diripite. Quo oblato munere alacres ad eam illico conuolarunt, tanta intermixtæ plebis rapacitate, vt nudatis omni ornamento parietibus, nec cellæ quidem vinariæ parceretur. At Conſaluus repurgata cadaueribus area, eductisque captiuis, atque omni prędâ militibus exportata, arcis cuſtodiæ præfecturam Nonio Campeio, quod eſſet vir impiger, & ſibi admodum familiaris, detulit, Nauarro ad Oui arcem tormenta conuertere iuſſo. Ea eſt in inſula de nomine vnius Sirenum Megaris antiquitus vocata, qua Ecciæ montem ſpectat, & continenti ponte longo coniungitur. Succeſsit rupi Nauarrus, perfoſsisque cautibus altero atq; vigeſimo die quam nouam arcem ad tertiũ Idus Iunias ceperat, ignes ſubdidit, qui vbi ex incenſis ſenſim funiculis ad tormentarij pulueris vaſa peruenerunt, tota illa ex tremæ partis arcis prealta rupes, inter horribiles eructantis flammæ crepitus, latè diffracta concidit, & tum fortè quum arcis cuſtos vocatis in conſilium militum primoribus in deliberbro conſediſſet, nihil eius loci numine à miſeris auertente cladem, quum ſubita cadentis arcis ruina ferè omnes oppreſsiſſet. Cuſtode itaque miſerabili tumulo cum centurionibus conſepulto, qui ſupererant tantæ cladis euentu terrefacti, quin ſtatim arcem dederent, nullam deliberationi moram attulerunt. Per eos quoque dies ſeram his arcibus opem ferens Gallica claſsis, quum in

conſpectum Neapoli ſe dediſſet, deiecto conſilio, ad Ænariam vela flexit, vt vrbem Pythacuſas, quæ hodie Iſcla dicitur tentaret, ibique Hiſpanorum triremes tutam ſub arce ſtationem habentes oppimeret. Sed Conſtantia Dauala ſummæ virtutis & fidei fœmina, quam rex Federicus in arce reliquerat, ab excelſa munitione diſploſis tormentis, Hiſpanos vſque adeo egregiè defendit, vt vexillum Aragonium explicaret, & ſe cum arce vrbeque, & tota denique inſula quæ ſeptem pagis conſtat, in fide Hiſpaniæ regis futuram profiteretur. Hęc eſt Conſtantia Dauala quæ pietatis & glorię nomine inter paucas memorabilis duorum fratrum filios Piſcarium & Vaſtium, bellica laude maximis antiqui ſeculi ducibus æquatos feliciter educauit, cum ab infantia clariſsimis orbatos parentibus, vti generoſa præcellentis vitæ magiſtra, in eam viam qua ex vera virtute in cælum itur, rectiſsimè deduxiſſet. Porrò Conſaluus incredibili felicitate tribus arcibus potitus Andradæ ſcripſit, vt iuſtis confectis itineribus Neapolim cum exercitu Obegnino ſecurè humaniterque perducto venire maturaret, quòd ſibi omnino oppugnanda Caieta videretur, in quam reliquiæ Gallorum confugiſſent, & ſpe maritimorum auxiliorum ſubnixi duce Ludouico Salaſſo, ad quem ius imperij reciderat, de renouãdo bello cogitarent. Sed Andrada iam receptis Brutiorum arcibus, & nouis paſsim vti opus erat preſidijs impoſitis, præteruectus Peſtum, Veliam, & Buxentum, quę hodie Capaccium, Bucca, & Pylocaſtrum vocantur, per Picentinos aduentabat. Scripſit quoque ad Didacum Arellianum, quem recepta Melphi in præſidio reliquerat, vt Arſium Venuſia ſæpe erumpentem à ſociorum populatione reprimeret. Proſperum verò Columnam, & Andream Termulanum cum primo copiarum agmine à Sueſſa ad Pontem curum, qui eſt ad Fregellas, progredi iuſsit, ipſeque ad Sanctum Germanum, quod olim Caſinum theatro nobile oppidum fuit, per Calenum agrum eſt profectus. Inde Gulielmæ arcis oppidum eiectis Gallis in fidem recepit, ſolutoque apud Fregellas militibus ſtipendio, in Fundanum agrum deſcendens ad Caietam prolatis tormentis conſedit. Iam eò Nauarrus tria milia peditum apparatumque oppugnandæ vrbis adduxerat, conabaturque eodem artificio, quo Neapoli feliciſsimè vſus fuerat, pluteos facere, effodere cuniculis, mœnium pinnas detergere. Verùm Salaſſus & Alegria Gallorum & Vaſconum freti præſidio, Nauarrum iniquo loco talia molientem aſsiduè coniectis colubrinarum et falconum pilis perturbabant, vſque adeo violenter, vt non ſolùm qui circa tormenta atque aggeres in opere verſarentur, verùm & qui procul in caſtris eſſent, vitæ periculum adirent. Nam multis ad certos pariter atque fortuitos ictus diſcerptis, Galli peritiſsimè iaculabantur. Augebant quoque ea detrimenta apud Hiſpanos apertis in locis periculosè conſidentes Gallorum triremes, quæ ab Ænaria Prochitaque repulſæ inter Molam & Caietam ſeſe intulerant, & tormentis quo vellent emiſsis, cum multorum exitio periculoque per Formiana litora vagabantur: quibus diſcurſibus fiebat, vt propter locorum iniquitates multi ex Hiſpanis interficerentur, admoneturque propterea Conſaluus vt parceret militi inultè pereunti, tormentisque retractis ad Formianum oppidulum Ciceronis olim delicias, quod hodie Caſtellonem vocant, caſtra reduceret. Idverò aliquanto maturius quàm volebat, facere eſt coactus, quoniam præter fortiſsimos milites amplius trecentos, Rodoricus Manricus Nagerci reguli frater, Manri-

ter, Manricęque vxoris propinquus, & clari cohortium prefecti Ioannes Speſſius & Alfonſus Lopes, qui è Neapoli relicta claſſe cum ſocijs naualibus euocatus fuerat Sancius Armentales Cantaber, cum ſigniferis quatuor tormentis icti cecidiſſent, & nouiſsimè Antio Liteſtanio Germanorum duce falconis pila diſcerpto, ipſe quoque Hugo Cardonius ſummæ virtutis dux, qui è Brutijs victoriæ nuncius nuper aduenerat, reſiliente ad tormenti pilam muri fragmine genu ictus interiſſet. In eo prægraui dolore Conſaluus, & publico militum luctu ad Formianum caſtra fecit, vt incluſos & ſæpe repulſos hoſtes ſterili in vrbe tutius & latius obſideret: id verò percommodè fiebat, quòd nouis copijs eſſet adauctus. Iam enim cum Brutianæ victoriæ ducibus Andrada ad Caietam in caſtra peruenerat, quum paulo antè Obegninum reliquosque inſignes captiuos Nonio Campeio arcis prefecto cuſtodiendos tradidiſſet. Dum in eo ſalubri loco, & nobilium fontium ſcaturigine percelebri caſtra haberet, Fabricij Columnę & Reſtanij Cantelmi literis factus eſt certior, Theate in Maruccinis & in Veſtinis ad Garganum montem aliquot oppida nequaquam vi, ſed præclara voluntate in fidem conceſsiſſe. Horum exemplum ſecutos Sulmonenſes, Hadrianos, Interamnates, Pinnenſes, & qui ſunt circa Fucinum lacum Cælanenſes, & cuncta denique Præcutinæ regionis oppida, in primisq; Tallacotium, & Marſorum Albam, ipſamque Aquilam, quæ ex Amiterni ruinis creuit, totius prouinciæ caput, in ditionem veniſſe, pulſo armis Hieronymo Galeoſio (is apud Aquilanos Gallicę factionis princeps euaſerat) reiectisque obiter Vrſinis, qui duce Fabio Pauli filio, oppida Columnæ familiæ proceribus attributa, ademptaque olim Virginio Vrſino, occupare conati fuerant. Fruſtra etiam Aquilanis inhiante Fracaſſa Sanſeuerino, qui eò cum ala equitum à Pontifice miſſus, oppidanorum animos pertẽtarat. Interea Conſaluus certior fiebat, Ludouicum Galliæ regem nequaquam demiſſo animo Fortunæ cedendum exiſtimantem, vti erat indomiti & conſtantis ingenij, bellum renouare, conductis ſcilicet duabus Heluetiorum legionibus, ac exornata ad Genuam noua claſſe, imperatisque equitum auxilijs à Mantuano Ferrarienſique regulis, & à Bentiuolo Bononienſium Tyranno, Florentinisque & ab ipſo quoque Cæſare Borgia Alexandri Pontificis filio. His copijs Ludouicum Tramulium ſummæ authoritatis & gloriæ ducem præfecerat, addideratque ei collegam Franciſcum Gonzagam Principem Mantuanum quo nemo gerendo eo bello aptior videri potuit, quum propter inſitum pugnacis animi vigorem, tum propter regionum ferè omnium Apuliæ regni ſingularem notitiam, quum fama rerum his in terris feliciter geſtarum clariſsimus haberetur. His accedebat Antonius Baſleius Heduus, qui Heluetijs præerat, propter linguæ peritiam, vetus dux eius gentis, & moderator eximius. Iam Gallorum copiæ per Hetruriam aduentare dicebantur, quum ab Roma ex regij legati literis Conſaluo nunciatum eſt, Alexandrum Pontificem circiter Idus Auguſtas, lethali correptum morbo poſt quartum diem deceſsiſſe, Cæſare Borgia filio eadem rapida valetudine grauiter tentato, ita vt populus pro comperto haberet, & patrem & filium ex eadem lagena venenum quod conuiuis paraſſent ebibiſſe, fatali ſcilicet errore miniſtri, qui lagenas improuidè commutaſſet, in ea cœna quæ ad fontem in aduerſo Vaticani dorſo ambobus maximè hilaris, ſed exitu admodum lugubris fuit,

Medici quum ſenem vim eius veneni minimè ſuſtinentem ſeruare nequiuiſſent, Cæſarem filium, vti erat ætatis vigore præualidus, multis antidotis conſeruarunt. Accepi ego ab Adriano cardinale Cornetano, in cuius villa cœnabatur, ſe eodem mortifero poculo petitum, ita exarſiſſe ex ſubito viſcerum feruore, vt oborte caligines oppreſsis ſenſibus ſibi rationem excuterent, ſeſe in ſolium frigida plenum mergere cogeretur, neque prius peruſtis interaneis ad vitam rediiſſe, quàm ei extrema cutis in exuuias abiens toto corpore decideret. Id verò tanquam execrabile, totique Italiæ maximè funeſtum caput, ſi religionis cauſam amoueas, auidis oculis populus ſpectauit, ſanie lurida deformatum, ita vt plerique, inimiciſque præſertim Vrſini, ſæuitiam diri hominis merita talionis pœna vindicaſſe Superos crederent, quòd aliquot opulentos Senatores eodem veneno ſuſtuliſſet. Audita morte Pontificis Proſper atq; Fabricius à Conſaluo dimiſſi ad Vrbem conuolarunt: vti oppida quibus iniquo iure expulſi fuerant armis recuperarent, nec ea Cęſar atroci morbo, vehementique inuidia circumuentus grauatè reſtituit, ne oppugnatus ab Vrſinis, Columnios quoq; ex iuſto odio infeſtos hoſtes experiretur. Fuit ea liberalitas, quanquam extorta neceſsitate Columnijs admodum grata, quòd Neptunum in Antiate, & Genatianum in Latio, & Papeam arcem ad Algidum ſumptuoſis ædificijs, et turribus à Pontifice permunitas, nullo labore recepiſſent. Tenebat ſe Vaticano Cæſar valido fidelique ſeptus exercitu: ita vt præ metu Senatores de comitijs acturi ad Mineruam conuenirent. Res erat infamis, plenaque recentis inuidiæ, quum ſupra vetus odium ſacroſancto templo, & Vaticana ſede Senatus arceretur. Quamobrem Romani Magiſtratus in Capitolio ſuæ dignitatis eſſe ſtatuentes, liberum tutumque locum comitijs, atque omni armorum metu ſecuram Vrbem peregrinis, & ciuibus pręſtare, ſeueris obteſtationibus impetrarunt, vt eductis Vrbe copijs ad Nepe ſecederet. Nam per eos dies Vrſini Liuiano duce, Vrbem intrarant, interfectisque nonnullis Hiſpanis, Turrionis portam crematis valuis in Vaticanum irrumpere conati, magnum tumultum excitarant. Itaque pacata Vrbe Pius tertius Pontifex eſt renunciatus. Sed eo intra paucos dies defuncto, Cæſar iam ex morbo firmior in Vrbem eſt reuerſus, vt ſecundis comitijs intereſſet. Gallis enim aduentantibus fauere decreuerat, ita vt eis auxilia polliceret, & Georgio Amboſio Rotomagenſi Cardinale candidato ſuffragatores ex amicis, Borgięque domus ſenatoribus pararet. In earum occaſione Conſaluus ſatagendum ratus, cum Hiſpanis ducibus qui Borgiæ militabant opportunè tranſegit, vt poſtulato commeatu, cum ſuis alis, atque cohortib. ad ſe tranſirent, Ferdinandoq; regi fortem, et Hiſpanico nomini iure gẽtium debitã aduerſus Gallos operam præſtarent, vel ob id pręſertim quòd improuiſa arma ad Salſulas Hiſpaniæ finib. intuliſſent. Tranſiuere itaq; vel in ſpeciem non inuito Cęſare, ipſa herclè publici decoris cura ſupra pudorem priuatæ neceſsitudinis eminẽte Vgo Moncata ante alios, Hieronymusq; Olorius, & Ludouicus item Hiſcet Petrusq; Caſtrius, & ſecundum eos Didacus Chignones nobili loco nati, clariq; militiæ. Hos Conſalnus certis collatis honoribus, liberaliq; ſtipendio proſecutus eſt. Tentauitque demum Vrſinos proceres peramplis propoſitis conditionibus, vti Ferdinandi regis vexilla ſequerentur: nec conſilio quanquam mirè arduo felix euentus defuit. Quis enim credidiſſet Vrſinos & Columnios ex vetere factionum odio diſsidentes

in vna

in vna castra coituros? Dederat occasionem Vrsinis vt alienatis armis, nouam à vetereque instituto penitus diuersam rebus suis Fortunam quæritarent, Georgius Ambosius, quum Cęsari Borgiæ comitiorum causa vehementissimè faueret: adducto enim secum è Gallico carcere Ascanio Sfortia Cardinale, in eâ spem venerat, vt cum candidatus prodiret, pontificatum adsequeretur, adiutore pręsertim Borgia, cuius caput tanquam nefarij cruentique hominis Vrsini petere videbantur, vt propinquorum necem vindicarent: quum paulò antè tyrannus ille tot familiæ proceres immani crudelitate prostrauisset: ob id quoque se contemni existimantes facilè indignabantur, quòd Trantius Galliæ regis legatus, cui operam, copias & opes obtulerant, aliquanto perplexius responderet, quàm instantis belli pericula flagitarent. Gallus enim astuta sed fallaci ratione, Vrsinos vel sine præmio stipendioque sibi affuturos putabat, quando à vetere partium studio discessuri minimè crederentur, Liuiano ante alios Trantij vanitatem atque superbiam non obscura auaritia inclusam minimè tolerante, quòd tanquam explorata victoria nequaquam sibi opus esse Vrsinorum auxilijs existimaret. Igitur expedita deliberatione Vrsini omnes præter vnum Iordanem Virginij filium Consaluo sese ea conditione celeriter applicarunt, vt ad eum opima stipendia meriturí, cum duobus milibus vtriusq; armaturæ galeatorum equitum, & quatuor peditum vexillis per Sabinorum fines transirent: tempestiuè quoque in id consilium proclinaturos Prosper atque Fabricius amicissimis cohortationibus accenderant, vt optimè de matura victoria sentire vellent, eaque demum præmia se adepturos sperarent, quæ à summæ virtutis & fidei duce, ipsoque rege gratissimo expectari possent. In his pollicitationibus sese Columnij vades prębebant, spondente pro omnibus Didaco Mendocio, qui præsens egregiam promissis authoritatem afferebat. Iêrè ante alios Liuianus, & Ludouicus Pitiliani filius: Fabius item summæ spei iuuenis Pauli à Borgia necati filius: præterea Franciottus, qui postea cardinalis fuit, & Rentius Ceres Anguillarius, Iuliusque Vitellius Tiphernas. Interea Gallicus exercitus Gonzaga duce, quòd Tramulius in grauem morbum incidisset, Vrbem secundum mœnia præteruectus, Latina via ad regni fines sine maleficio peruenit: quòd Gallis se hostem futurum, si secus facerent Iulius dudum creatus Pontifex edixisset. At Consaluus cognito hostium aduentu à Formijs Casinum venit, recepta iterum ex itinere Roccha Gulielma, quum oppidani leuitate populari Tristanum Acunium satis incautè sacrorum causa ab arce ad templum descendentem intercepissent: & Gallis euocatis sese defensuri viderentur. Exterruit enim eos Nauarrus: & depulso Gallorum præsidio leuitatis, atque perfidiæ pœnas dare coegit. Supra Casinum templum est in edito monte Diuo Benedicto consecratum, degentibus ibi multis sanctioris vitæ sacerdotibus. Id tanquam tutissimam arcem Galli tenebant, qui paulò antè se præsidio excessuros datis obsidibus pepigerant, nisi intra certos dies auxilia superuenissent. Aduenerat pręfixa dies, sed Galli ex fama aduentantis noui exercitus spe subnixi, deditionem extrahebant. Id minimè ferendum ratus Consaluus copias admouit, spe prędæ milites accendens, tantáque fuit eorum vis atq; celeritas in conscendenda rupe proferendisq; tormentis, vt quum postinitum acre certamen duo fortissimi centuriones Ochea & Iordanes Artiaca, alter per appensum funem in muri coronam euasisset, alter

per anguſtum perfracti muri hiatum audacter ingrederetur, conſequentibus manipularijs, trucidatoque Gallorum preſidio, tota ea Cœnobij arce potiren tur. Verùm ea fuit in quærenda prædâ militum auiditas, vt nec à Sacrario refractis armarijs abſtinerent, quin ſacrata vaſa veſtesque altaribus dicatas diriperent: ac niſi Garcias Liſonius, qui pietate inſigni ad Rubos captiuarum fœminarum pudorem conſeruarat, intentato gladio prędantes coercuiſſet, venerabiles etiam ſanctorum patrum reliquiæ, loculis ſcilicet argenteis conditæ, profectò auaritiæ militum ceſsiſſent. Eodem quoque tempore Gonzaga ad Rochaſiccam quod eſt oppidum Daualorum, pontificijs finib. propinquum caſtra fecit, miſſo præcone qui preſidio cædem denunciaret, niſe dederet priuſquam admota tormenta murum ferirent. Præerat præſidio Villalba ingenio ferox. Is præconem liberius loquentem arripuit, & laqueo è mœnibus ſuſpenſum hoſtibus oſtendit: qua ſeuitia offenſi Galli tormenta protulerunt. Verùm bis tentato certamine acerrimè ſeſe tuentib. Hiſpanis, noctu caſtra mouerunt, quod aduentare hoſtes nunciarentur: rectoque itinere Aquinum profecti ſunt. Conſaluus enim Proſperum Columnam & Didacum Mendocium, & cum peditatus parte Nauarrum Rocchæſiccæ opem ferre iuſſerat, ſcripſeratq; Villalbæ, vt his educto præſidio iungeretur. Ipſe verò cum Germanis, totoque reliquo exercitu eadem via iter intenderat, vt cum hoſte confligeret. Verùm nocturno diſceſſu hoſtium facilè accidit vt eo die minimè pugnaretur. Subinde quoque per aliquot dies vtrinque ceſſatum eſt, propter continuos imbres Gallis maximè aduerſos, qui nunquam ſe durius hyemaſſe fatebantur: quod ægrè ad expediendos cõmeatus ſubuectiones fierent: quòd lutulenta itinera educendo equitatu, quo plurimũ valebant, peruehendisq; tormentis periniqua eſſent. Quibus rerum difficultatibus impeditos Conſaluus aggredien dos ratus, Fabricium Columnam, & cum eo Vrſinos duces qui dudum in caſtra peruenerant, ad Aquinum miſit, vt quinam hoſtium motus eſſent certius explorarent. Incidit Fabricius caſtra mouentibus, contraxitque acre certamen cum poſtremo Gallorũ agmine, vbi erat Alegria. Quo vehementer incumbẽte res eò deducta eſt, vt Fabricius impar hoſti ſeſe recipere cogeretur, et Conſaluus de motu hoſtiũ certior factus acies promoueret, vt creſcente prelio, ſi quid Galli audendũ putarent, adductis omnib. copijs intereſſet. Sed nox admodũ propinqua vtrunq; ducem ex propinquo oſtentantẽ vires facilè diremit. Galli ad Fregellanum pontẽ conceſſerunt, & Cõſaluus ad Aquinũ vnde hoſtis exierat, poſuit caſtra, pluresq; ibi Gallos et Heluetios ex morbo fame et frigore tabeſcentes in tẽplo hoſpitali repertos inſigni pietate conſeruauit, ſecus ac Prę ianes Gallus effecerat, quum pauloantè nauigium, quo Hiſpani aliquot, ex numero ſauciorum, & ægrotorum è Formiano Neapolim aduehebantur, ſupra Cumas pyratica feritate demerſiſſet. Nec multò poſt Conſaluus ab Aquino inopi deſertoque oppido Caſinum eſt reuerſus. Galli interim circa Fregellas ſeptem integros dies explicandis conſilijs conſumpſerunt: nihil enim primis eorum conatibus Fortuna reſponderat: vtpote qui ſecus ac ab initio crediderant, à primo hoſtili oppido contumelioſè reiecti per Caſinatis ſaltus fauces in Calenum agrum & Leborios campos peruadere nequiuiſſent: vetantibus ſcilicet fœdis tempeſtatibus, ac obſtante hoſtium duce, qui æquiſsimo in loco pugnaturus in acie conſtiterat. Nec deerant ex Gallis proceribus qui infirma

ſpe de

ſpe de belli euentu iudicantes ad non inane omen aduerſi ſucceſſus verterent, quòd in ipſo vix dum cœpti belli limine Alexander Pontifex non obſcurè ſocius futurus repentè concidiſſet. Tramulium verò in cuius ſpectata virtute authoritateque Galli milites ſummam ſpem reponerent, grauis admodum atq; difficilis premeret morbus: ac Vrſini principes qui fortem fidelemque operam obtulerant, pœnitendo Trantij errore, tanquam ſpreti ad hoſtes conceſſiſſent. Cæterùm Mantuanus, Salaſſo, Alegria, Baſſeio, cæterisque Ducibus in conſilium adhibitis, nihil ad rem gerendam commodius ac opportunius eſſe diſſeruit, quàm ad Minturnas deflectere, Lyriqúe amne ponte conſtrato, per campos qui ad Sinueſſanas aquas pertinent, penetrare ad oppidum Montis Draconis, quod antiquitus Petrinum fuit: atque inde per Stellates campos, qui hodie Mazzonij dicuntur, Capuam proficiſci, aut ſi aptius fortè iter ex motu hoſtium oſtenderetur, ſuperato amne, ac eo ad læuam relicto, per Caſcanum oppidum, Maſſici montis anguſtijs ſuperatis, rectà per Phalernum et Calenum agrum ad amnem Vulturum deſcendere. At Conſaluus ex profectione hoſtium, id quod illi decreuerant, vti peracutus bellicarum rerum coniectator, facilè diuinans, cum leui armatura Petrum Paceum ſecundum Lyrim miſit, qui diſcurrendo obſeruandoque aduerſam hoſti ripam tueretur ipſeque demum ſubſecutus idoneo in loco caſtra fecit, et ſua in ripa vbi vada ſtatuendo ponti idonea hoſtibus videri poterant, oblongam munitionem perduxit, ad quam cohortes excubarent, molientesque pontem Gallos miſſilibus infeſtarent. Hæc ab vtraque fluminis ripa intentè ſpeculantibus, ac vtrinque ſclopetis & baliſtis rem gerentibus Gallis & Hiſpanis, Fabius Vrſinus à Vaſcone, adacta inter oculos per apertam galeam craſſiore ſagitta, magno cum dolore gentilium ſuorum eſt interfectus. Interim Fabricius Columna Euandriam arcem Lyri imminentem adortus, vſque adeo grauem ſubito aduentu præſidiarijs terrorem intulit, vt Federicus Monfortius filium obſidem daret, paciſceretúrq; ſe dediturum arcem, niſi Galli intra quintum diem adducto exercitu opem tuliſſent. Sed Mantuanus in parando ponte vehementer occupatus, leuẽ eius arcis iacturam putauit, atque ita Monfortius portas aperire coactus eſt.

Eo quoq; tempore Galli admotis tormentis Turrem ad mare Lyris faucibus impoſitam in poteſtatem redegerunt, ea conditione, vt pauci pedites Hiſpani, ſaluis rebus & vita incolumi præſidio decederent. Ea deditio vti infamis vſqueadeo indecora Hiſpanico nomini in caſtris viſa eſt, vt qui metu mortis vitam ſeruarant, concurſu iratorum militum veluti publico iudicio damnati trucidatique miſerabilem atq; teterrimam mortem ſubirent. Nihil vtique ſupra æquum atrox id facinus vindicante Conſaluo, vt cæteri ſcilicet qui in præſidijs forent eo maximo crudeli exemplo ducerentur, ideoque ſalutem & decus in vna tantùm animi fortitudine poſitam exiſtimarent. Erat enim Conſaluus eo ſtabili decreto à natura ad decus conformatus, vt cum dignitatem tueretur ſæuerus, & planè ſæuus exiſtimari minimè recuſaret. Iam aliquot dies tranſierant, quum inter bina caſtra profluente Lyri Mantuani iuſſu conuectis ad ripam idoneis lintribus, hiſque per tranſuerſas trabes nota ratione connexis fluuius ponte iungi cœptus eſt, Hiſpanis quæ ad munitionem erant fruſtra prohibentibus; tantaque diligentia & celeritate perficiendo operi Mantuanus cum cæteris ducibus incubuit, vt quum pons egregiè latus & ſtabilis eſſet conſtitutus, Galli extemplò producta acie equites ſimul &

pedites conferti, facto impetu pertranſirent, trucidatisq; primis Hiſpanorum in ſtatione pugnantibus, cæteri tormentorum metu funderentur. Iam ſupra mille in vlteriorem ripam audacter proſpereq; tranſierant, quum exorto fremitu militum ad arma conclamantium recipientiumque ſe ad proxima caſtra, Conſaluo tranſire hoſtes, potitosque iam ripa atque inde pulſa ſtatione aduentare nunciatur. Is vt erat omni periculo impauidus & alacer, pugnæ ſignum tuba dari iubet. cæteri duces ſeſe expediunt: Nauarrus & Andrada cohortes promouent, vexilla explicantur, proditque ipſe Iberico conſcenſo equo, expeditis tectus armis, Fabriciumque ante alios nihil cunctandum eſſe proclamantem, et pugnæ auidum hortatur, vt tranſeuntes hoſtes inuadat. Ille celeriter iuſſa facit & procurrit, & quanquam tormenta hoſtium à ſuperiore inferioreque ripa, ad pontem inceſſanter emiſſa prouolantibus pilis multos proſterneret, audacter tamen inuehitur. Porrò Galli quòd tumultuaria feſtinatione tranſierant nondum in ordines conglobati incumbentium impetū egrè ſuſtinent: Fabriciana verò ala, vti permiſta Gallis minore tormẽtorum periculo rem gerit cæduntur que Galli, & plerique eorum in profluentem deturbantur, tanto concepto metu, vt quum in fugam per pontem verſi ſocios in auxilium adcurrentes retrò auerterent, multi è margine pontis decidentes præalto amne mergerentur. In ea perturbatione Galli duces qui inſtructi ad tranſeundum primis ſuccedebant, profligatis opem ferre nequiuerunt, quòd productis ab hoſte tormentis pari diligentia peterentur: & iam Fabricio alij atque alij duces cum turmis & cohortibus acceſsiſſent. Fabricius tanto facinore edito, quo dimidia pars Gallorum ex his qui tranſiſſent aut trucidata aut merſa amne perierat, præcellentis inuſitatæque virtutis laudem confeſsione omnium tulit: laudatus quoque eſt publico præconio Ferdinandus Hileſca ſignifer Hiſpanus, qui rapiente ei dextram tormenti pila, imperterritus vexillum læua manu ſuſtulit, & in hoſtem ire perrexit. Hunc poſtea Conſaluus eiusque liberos virtutis cauſa ex regio vectigali annuis aureis quingentis donauit. Accepi ego ab Vgone Moncata qui huic multisque alijs terra mariq; prælijs interfuit, in nullum vnquam ſe terribilius conſertæ pugnæ diſcrimen incidiſſet, quòd equis paſsim virisque diſcerptis aduerſus tormenta ad non dubiam mortem procurrere minimè dubitarent: & Fabricium parcè de ſua laude mecum loqui ſolitũ, intrepidi, verè ingentis animi ducem tam neceſſaria quàm felici audacia repræſentaſſe fateretur. Galli conſilio depulſi, & tanto in oculis affecti detrimento, nihilo ſecius, vt generoſos veteresque duces decuit, hiſdem in caſtris conſtiterunt, ea mente, vt alterum quoque pontem ſubuectis à mari onerariarum nauium ſchaphis inſtituendum curarent. Scilicet vt vno ſimul tempore impermiſti ordinatique pedites & equites ſeparatim ſuo proprio ac expedito ponte in vlteriorem ripam deferrentur, lunatamq; munitionem lato ambitu ad pontium caput contra hoſtes perducerent, in qua validi roboris agmina, expectato ſubſequentium tranſitu ſeſe tutò colligere confirmareque ad erumpendum defendentibus tormentis poſſent: quorum apud eos tanta erat copia vt ſuperioris inferiorisque ripæ margines, ipſaque vlterior inſtituta munitio facilè munirentur. Dum hæc dijs inuitis pararent, Mantuanus Gallis odio, & mox contemptui eſſe cœpit, quòd ſingula à malis initijs cœpta, ſecus ac putarant, tractatu dura euentuque aſpera proueniſſent, erratorumque omnium culpam in

Ducis

Ducis vel enixè fortis & ſtrenui cunctationem referrent. Plerunque enim bello accidit, vt cum tentatæ res proſpero ſucceſſu caruerint, vel felicium antea ducum exiſtimationem facilè comminuant, adeo vt Galli natura pugnæ auidi omnisque moræ & longi laboris intolerantes, vel iniqua conditione prælium exoptarent, cuius vel aduerſo exitu, bello pariter et tot incommodis, aliquis omnino finis afferretur. Proptera nonnulli ſparſis per contubernia ſermonibus, Tramulium ex graui morbo nondum receptis viribus Romę decumbentem, cogitatione atque oculis requirebant, cuius felici ductu, ſi affuiſſet, iam partam victoriam, & confecto bello receptam Neapolim crederent: illum enim prompto nobiliq́ue iudicio diſcuſſurum fuiſſe nebulas intempeſtiuę cunctationis, rectamq́; et expeditã viam, vti antea inſigni cũ gloria ſemper feciſſet, victorijs aperturũ. Erat inter duces, qui cum Tramulio è Gallia venerant, Sandricurtus bello quidem egregiè fortis, ſed quoniam eſſet ſpurius, ab inſolenti ſermone, ingenioq́ue valde turbulentus. Is in corona militum immodicè loquens: Iure optimo (inquit) viri Galli mulctamur à Fortuna, poſtquam eò deuentum eſt, vt bugroni Italo parendum exiſtimemus, quaſi non multi ſint ex noſtra gente, noſtroq́ue ordine potiores, qui bellica virtute prædĭti, his difficultatibus nos explicent, & continuò vbicunque ſint hoſtes, ad certam omnino victoriam vincendos quærant. Ea verba vtpote quæ plures audiſſent, extemplò ad Mantuanum delata in eius pectus altiſsimè deſcenderunt, quanquam obiecti probri contumeliam omnino inanem duceret. Erat enim mos apud milites (quòd minimè prætermittendum videtur) vt ioco ſerioq́ue ſeſe mutuis contumelijs ex propria vulgariq́ue gentium nota prouocarent & inceſſerent, cum eſſent acies in conſpectu, & leuibus prælijs certaretur. Nam Gallos Hiſpani Borracios, id eſt ebrios, et ex temulẽtia vinum meientes vocabant: Galli autẽ Hiſpanos à furaci manu latrones laqueo ſuſpenſos appellabant: ſicuti Heluetios Germani ad exprimendam gentis ignobilitatem Couamelos hoc eſt, vaccas in ſtabulis mulgẽtes, vocare erant ſoliti, Germanos verò Heluetij Smocharos, quæ vox Germanicè ſpurcos nebulones indicat: Itali verò ab alijs Bugrones, hoc eſt, puerarij vocarentur. Cæterùm Mantuanus qui vim imperij cuius læſa & planè conuulſa erat maieſtas in Gallos minimè exercendam rebatur, eò animum iniuriæ indignitate percitum flexit, vt ſeſe imperio protinus abdicaret, vel ob id præcipuè, quòd ab initio in Apuliam eundum eſſe grauiſsimis rationib. fruſtra cenſuiſſet: quòd pauci eius imperijs obedirent: quòd pleriq; cohortium præfecti falſum militum numerum referre, ipſiq́ue demum rei frumentariæ curatores auertere pecuniam crederentur. Itaque ne imminenti calamitati cum iactura dignitatis intereſſet, excedere infelicibus caſtris, & domum redire conſtituit, præſcriptis vtique tabulis, ac his multorum fideli teſtimonio confirmatis, quæ conſiliorum actionumque omnium rationes continerent, & Ludouico regi mitterentur, atque ita imperio ad Salaſſum ętatis honore vſuque militiæ potiorem delato, Mantuam eſt reuerſus.

FINIS SECVNDI LIBRI.

DE VITA ET RE-
BVS GESTIS CONSAL-
VI FERDINANDI CORDVBÆ
COGNOMENTO MAGNI.

LIBER III.

BEVNTE Gonzaga, quum cæteri Gallorum duces neque ægri animis, neque corporibus fessi de geminando ponte, & proferenda munitione diligenter agitarent, eaque omnia per brumales dies omnium breuissimos tardius & difficilius molirentur, tota hyems oborto graui Austro in prædensas iugesque pluuias sese exoluit, tãta quidem iniquitate infesti cœli, vt quum inter bina castra intumescens Lyris ab vtraque ripa campos inundaret, nec vim decidentis aquæ lintea tentoria sustinerent, viri iumentaq; cœnoso in solo extrema incommoda paterentur. Sed iniquiore in id commune malum Hispanorum conditione, quòd tota ea planicies quæ ad Sinuessana balnea porrigitur, hyemalibus aquis obsessa fœdaque in perpetuam paludem abitura crederetur. Quibus rebus adductus Consaluus suorum omnium hortatu castra subducere ad montes, & Suessæ hyemare constituit: quanquam id ægrè esset impetratum, quòd ad Montis Draconis arcem nauigia ad conficiendum pontem occultè construi iusserat, vt pari ausu & superiore quidem loco traiiceret, aut traiecturi ad terrendos distinendosque hostes speciem præberet. Per eos quoque dies aut perfringere hostium pontem, aut iniecta flamma incendere fuerat conatus, irrito, vti casus tulit, vtroque incœpto, quum ex superioribus locis deiecta materia, quæ violenti fluminis impetu raptata ponti incideret, partim hæsisset ripis, partim ab hoste intercepta longurijs, ad pontem minimè peruenisset. Nauigium porrò onustum arida materia, varijs sulphurei pulueris, & resinæ picisque fomentis intermistis, ad corripiendam flammam, quum dimitteretur, ignis aliquanto celerius quàm ex mensura temporis putassent excitatus, ita absumpsit, vt priusquam ad pontem accederet ad carinam vsque cremaretur. Eo quoque Consaluus maiore securitate, & quod plurimum intererat, incolumi dignitate castra mouit, quòd hostes paribus incommodis conflictatos, neque transire amnem, neque si transissent humentibus campis progredi, aut omnino consistere posse intelligebat. Suberant etiam Natalitiæ feriæ, quæ militem varia perpessum incommoda, ex tabernaculis ad tecta proxima reuocarent. Volebat enim, vti pium deceret, nequaquam in campestri tentorio, sed in sacrato templo religiosius & apparatius Dei Christi natalem diem celebrare, quod & facturos quoque hostes rebatur, qui solennia sacra facere, et per eos festos hilarius tanquam saturnales, ideoque geniales dies, ex indutijs quodam sacro iure conceptis, conquiescere à bellicis operibus, remittereque animos, & corpora curare consueuissent. Verùm Consaluus biduo tantum sacris solennibus concesso, ad easdem conficiendi belli cogitationes redierat: agitabatque

gitabatque interdiu noctuque in vnam intentus curam, quibus modis transgredi amnem, hostesque propter continuos imbres ad tecta relictis castris confugientes, opprimere posset. Galli enim mouente castra Consaluo, illum pluuias fracto animo ferre nequiuisse, relictaque amnis ripa retro sese vt pugnam deuitaret, à conspectu ipsorum imminentium ponti auertisse dictitabant, quum ipsi vel iniquo in loco egregiè tuentes pontem, paratique semper ad pugnam perseuerantia militari superiores euasissent. Verùm ea verborum iactantia vsqueadeo ipsa hybernæ tempestatis asperitate frangebatur, vt quum ex conscientia in præduram coniecti hyemem miserè algentes cùm præsentia, tum ea quæ imminebant incommoda, nequaquam læta cogitatione prospicerent, tot pluuias tanquam exitio futuras, fato dari existimarent: plerique enim veteres milites & cuncti ferè duces memoria repetebant, quale cælum summa fidelique serenitate Carolum regem paucis antè annis excepisset, florentibus passim & vernantibus campis per totam Italiæ longitudinem eadem regnare petentem, à quibus demum ipsi rerum omnium commutata fortuna, & dijs procul dubio iratis arcerentur. Placuit Salasso & ceteris, vt manentibus castris magna pars equitatus, ne equi nobiles iam planè horrida macie deformes conceptis morbis interirent, in oppida proxima & vicos Minturnensis Fundaníque agri duceretur. Heluetij porrò & reliqui pedites, sub traiecto partiti inter se stationes, castra frequentarent. Sed iam multi ad producendam vitam pecunia egentes, & secundum perpetuos imbres consumpta veste, qua frigus arceretur, confecti tetra illuuie, in malè sartis tugurijs expirabant: quum præfecti annonæ & quæstores, nec commeatus ea fide & diligentia, nec pecuniam in stipendium (vti opus erat) expedirent, vel abundè etiam suppetente publica pecunia, quæ summa prudentia Ludouici regis curata transmissaque in omnes belli casus in classe seruabatur. Corcutus enim quæstor, & Bailiuus Cadomius, quorum erat in eo negocio singularis authoritas, quòd stipendiorum rationes interuertere, ac annonam malignè flagellare accusarentur, auaritia infames euaserant: nec ferebat miles, vt priuato eorum scelere publica salus turpissimè proderetur. Hæc omnia explorante Liuiano, suadenteq;, Consaluus construendi noui pontis consilium cepit, non dubiam ex dispersо torpenteq; hoste victoriam ominatus, postquam Liuianus peritus belli ardentiq; ingenio fortia aggredi solitus, se ante alios transiturum polliceretur. Itaque Liuianus quæ animo agitaret, parare atque exequi iussus, supra Gallicum pontem in spacio quinquaginta stadiorum conuectis noctu consertisque nauiculis, quibus vinaria vasa interposuerat, pontem constituit: traductisque copijs, alam equitum, Normanorumque cohortes ad Sugium oppidum hybernantes improuisus adoritur. Liuiano succedit Nauarrus: hunc Prosper atque Mendocius cum graui armatura subsequuntur, ipseque demum Consaluus reliquum equitatum & Germanorum legionem adducit, Andrada qui terga tueretur subsequi iusso, equites Galli Normanique pedites inopinato hostium superuentu cæsi fugatique dispalantur: ad Gallica castra defertur clamor: duces arma expediunt: & dispersas vndique suorum turmas accersunt: nulla tamen certa manus cogitur, quæ aduetantes sustineat. In ea rerum iniquitate Salassus tormenta maiora, quòd his conuehendis iumenta deessent, lintrib. imposuit: summum enim admitti scelus Galli existimant, si tormenta deserantur, &

præcipiti cursu fugientib. omnibus, ad Caietam iter intendit. Nec multo post leuis armaturæ equites, & secundum eos Nauarrinæ cohortes in deserta castra perruperunt. Ibi quum nemo ferè armatus occurreret, multi capti direptisque tentoriis, aliqui semianimes et rigentes gelu immani Cantabrorum sęuitia trucidati sunt. Nulla vnq̃ ab hominum memoria fœdior & miserabilior fugæ facies fuit: permisti enim pedites & equites sese cursu atque impetu proculcantes cum nec signa nec imperia cuiusquam agnoscerent, nec in persequentẽ hostem ora conuerterent, per Appiam viam ad Scauros atque inde Formias ferebantur. Nec prius sisti fuga potuit, quàm non amplius centum viri fortes cohortante Bernardo Adurnio Liguræ summæ virtutis equitum præfecto conglobata turma in ipso Formianæ aquæ lapideo ponte constiterunt, propulsantes inde hostem acerrimè: & socijs addentes animos, qui vndique in id oppidum ex proximis vicis confluebant. Itaq; crescentibus vtrinque auxilijs commissa est tumultuaria pugna initio aduersa Hispanis, quòd in ea Bernardinus Torteſilla Consalui cubiculo præpositus, atque ideo fide & gratia insignis cecidisset, prostrato vulneratoque etiam Consaluo Daualo leuis armaturæ equitum præfecto. Sed quum retro renunciaretur Gallos duces Molæ constitisse, retentaque suorum fuga, sese oppido ponteque tueri, propugnareque inde statuisse, proclamante Consaluo, vt quisque eò contra hostem festinaret, tanta vis peditum & equitum ad pontem incubuit, vt Adurnius qui fortissimè aliquandiu pontem defenderat, extemplo deiectus sit, et à Germanis interfectus: quo cadente, nemo fuit qui non terga daret, et Caietam versus cursum intenderet. Hos Petrus Pacæus & Nauarrus persecuti per montes Formianos viæ breuioris vsi compendio vt iter præciderent, celerrimè peruenerunt ad biuium eius viæ stratæ, quæ ab Appia Caietam ducit, vt sic multi ex Gallis intercip-erentur, et quędam turmę equitum ab oppido, cui Iter in Appia via nomen est, et è Fundanis pagis descendentes tanquam vrbe exclusæ, hęsitantesq;, præmetu sese sponte dederent. Ea nocte Consaluus Formijs castra fecit, deditque operam, vt sub lucem & suburbanis tectis Nauarrini & Orlandio item monte potirentur. Is Caietæ imminet, marmoreo Munacij Planci sepulchro insignis. Eum Nauarrus secus ac putarat incustoditum ab hoste, penitusq; desertum facilè cepit. In eiusque cacumine minora aliquot tormenta militum manib. proiecta constituit. Tum verò Salassus tanta obrutus calamitate conuertens se ad duces, Deus, inquit, Max. diuiq; omnes, tum præclarè viros fortes adiuuant, cum ij vel serò sapiunt. In aduersis siquidem neque animos despondent, neque suprema sæuientis fortunæ vulnera pertinacius expectanda existimant. Mihi propterea in animo situm est, nihil vltra audendum sperandoq; vltimam belli sortem experiri nolle, sed ex tanta clade seruare quamplurimos, quod ex matura pactione nobis obuenturum sperauerim. Extremæ nanque dementię fuerit, toties damnata fatis arma resumpsisse, vt demum necessitate quæ fractis opibus nobis imminet, miserè subacti, ab irato victore tanquam hostiæ mactemur, scilicet vt iustæ inferiæ persoluantur Cardonio & Manrico, cæterisque eorum ducibus, qui nuper à nobis tormentis interfecti, ante hęc mœnia cecidерunt. Nos herclè strenuè si non feliciter pugnando nostram operam regi probare sæpius conati sumus. Sed sicut in proferendis malis fortuna peruicax, cuncta consilia funditùs euertit, ita hoc reliquum quod est in nostra potestate

eripere

eripere non poteſt, quin liberrimè de ſalute noſtra ſtatuamus. Placet itaque ſi vobis vtile videatur victoris hoſtis animum experiri, qui ſi moderata victoria contentus eſſe velit, vt hinc terra mariq; in Galliam proficiſcamur, Caieta dedita facilè concedet. Salaſſo peroranti nemo adeo ferox et pertinax fuit, vt tanquam omnium parenti agendas gratias non putaret, quòd ſaluberrimo omnium inducto conſilio id vnum reſpiceret, vt ſalute incolumi finis cladibus imponeretur: nam eos quoque noui infortunij nuncius magnoperè terruerat, quòd nauigia tormentis onuſta, abſorbente procelloſo mari, in ipſis Oſtij faucibus cum tota militum & nautarum multitudine perijſſent. In his fuit Petrus Medices Magni Laurentij filius, decennio antea Florentiæ dominatu pulſus, ea quidem ignobili morte indignus, niſi Petrum Leonium ſummę doctrinæ & claritatis Medicum, qui infelici euentu Laurentium patrem fatis ſe ereپturum promiſerat, in Caregianę villę puteum deieciſſet. Emiſſus itaq; eſt Alegrianæ alæ præfectus, cui Sanctacolumba nomen erat. Is Conſaluum inter duo templa quæ ſunt in ſuburbanis ædificijs caſtra habentem adijt, Paratosque eſſe Gallos duces Caietam tradere profeſſus, facilè impetrauit, vt cum grauiſsimis ducibus de conditione coràm ageretur: ſequentique die in caſtra venerunt Alegria pro Gallis, pro Heluetijs Antonius Baſſeius, & pro Italis Theodorus Triuultius. Ii non multis diſputationibus re extracta tranſegerunt, vt Galli tradita Caieta quæ publicæ munitionis eſſent, tormenta & commeatus in arce relinquerent, ipſi terra mariq; vti luberet in Galliam proficiſcerentur, ea conditione vt equites ſuis vecti equis abirent, pedites verò nihil armorum præter gladios & exarmatas haſtas ferrent, & captiui vtrinque dimitterentur. Sed à Conſaluo impetrari non potuit, vt Neapolitani proceres qui bello capti in cuſtodia erant, confectæ pacis beneficium ſentirent. Obegnino enim Palicia & Formante Tornonioque et reliquis bona fide liberatis, Andreas Matthæus Aquauiua indignus ea calamitate, & Honoratus, ac Alfonſus Sanſeuerini teterrimo in carcere qui appellatur Foſſa miliaria adi mam turrem nouæ Arcis ſeruati ſunt. Gallorum autem pars multo maxima claſſem conſcendit, reliqui pedibus Romam profecti, vſqueadeò duræ hyemis ſæuitiam, & cunctas fortunæ acerbitates ſenſerunt, vt hoſpitales ſacræ domus quæ in Vrbe miſeris gentium omnium patent, ægrorum & inopum multitudine complerentur, multiq; ignobiles circa ſtabula ſenatorum frigore rigentes interirent: quanquam Iulius Pontifex inſigni cura pietateque oblatos et conquiſitos, conueſtiri, alique, & demum nauigijs imponi iuberet. Duces quoque parem ferè ab infenſa Fortuna contumeliam tulerunt: Salaſſus enim inter nauigandum concepta ex dolore rei malè geſtæ tabifica febre Genuæ deceſsit, magnificeque funeratus eſt. Sandricurtus autem ſuperbi animi pœnam veritus, adeo vitam contempſit, vt cum circa alpes ex morbo decubiſſet, vltrò in fata feſtinaſſe diceretur. Corcutus verò Bailiuusque Cadomius maiore inuidia deflagrantes, ita gradu pulſi ignominiaque notati ſunt, vt à capitali ſupplicio non procul abfuerint. Baſſeius autem cum ei alæ equitum præfecturam rex ademiſſet, quanquam ea Gruerio fratri traderetur, adeo grauiter id tulit, vt exundante atrabile ad inſaniam verteretur: fruſtraque depoſcens vt ſibi dicturo cauſam regię aures paterent, nec aditum impetrans, inter delyria deficeret. Cęterùm Conſaluus & ſummæ prudentię et moderationis eximiæ laudem ex ea

pactione cõsecutus est, vtpote qui vel in multa spe opulentioris victoriæ militum suorum sanguine abuti noluerit, ratus omnino parcendum esse deditis, qui virtutis & clementiæ suæ testes Consalui nomen in prouincijs celebrarent, tantã verò, vt inuiolati, benigneque habiti dimitterentur, curam, diligentiamque adhibuit, vt quum Heluetio prætereunti Hispanus miles torquem rapaci manu detrahere conaretur, re cognita Hispanum vel in mare fugiẽtem persequutus adacto equo sua manu grauissimè vulneraret. Consaluus Caieta potitus, Ludouico Erreræ propinquo suo arcis vrbisque custodiam ita attribuit, vt in eius locum Tarenti Petrus Nicossa succederet: Liuianum verò Petrumque Pacęum in Apuliam misit, vt Arsio bellum inferrent. Is valido firmatas præsidio Venusiam, Atellã et Altamuram tuebatur. Didacum Arellianum Melphiæ obsederat, expugnatisque aliquot oppidis expectabat earum rerum euentum, quæ à Mantuano Salassoque ad Casinum & ad Lyrim traducto bello gerebantur; vt copijs adauctis, excitisque ad rebellandum Andegauensibus bellum priore grauius in Apulia renouaret. Sed virtute Liuiani intra paucos menses Arsius multis affectus detrimentis, quanquam Caietanę pactionis conditiones abnueret, eò deductus est, vt desperatis auxilijs vrbes tradere, regnoq; excedere cogeretur. Pari quoque vsus diligentia Pacæus, quicquid Gallorum aut Andegauẽsium nomini fauentium supererat, ex Salentino agro expulit. Indicus quoque Daualus, qui cum Constantia sorore (vt diximus) ab Iscla classem Gallorum repulerat, Salernitana arce admotis tormentis est potitus. Sed non diu ea re bene gesta lætari potuit, quum intra paucos dies pestilenti correptus febre, in ipso iuuentæ flore decesserit, relicto infante filio Alfonso Vastio, quo nemo ducum ętatis suæ, aut formæ dignitate, aut magnitudine liberalis animi, aut denique bellica virtute superior euasit. At Consaluus vbi ex Caieta ad paratum meritumq; triumphum Neapolim est reuersus, longo vti credi par est militię labore in grauissimum incidit morbum, vsque adeo a vehementi impetu periculosum, vt nisi supplicationes per omnia delubra à sanctissimis sacerdotibus sacratisque virginibus ritè susceptis votis factæ maturam opem attulissent, humanæ facultatis remedia ad salutem omnino sera crederentur. Vbi verò receptis viribus incolumis ex Capuana arce vbi decubuerat prodijt, vt in nouam Arcem tanquam salubriorem digrederetur, vix salutantium & gratulantium turbæ per septem dies dispensata humanitate satisfecit. Venerabãtur enim eum omnis nobilitas & populus vniuersus, quum quisque pro ingenio, sicuti studium ferebat, aut excelsæ staturæ & probi oris decus, aut imperatoriam grauitatem vrbana conditam comitate laudarent: alij porrò iustitiam admirabili seueritatis & clementiæ temperamento præcellentem suspicerent: omnes verò liberalitatem non modò potentiæ, sed superbiæ regiæ æquandam mirarentur. Ducibus enim vrbes & oppida dono dederat, equitum verò prefectis et centurionibus domos, villas, fundos, arciúmque præfecturas diuiserat: & quum militi commune donatiuum dedisset, singulos item qui spectatę virtutis nomine insignes euasissent, annuis premijs fuerat prosequutus, tanta quidem in recensendis meritis memoria, tantoque in dispensandis muneribus iudicio, vt ęstimatione rectissima, neminem vel gregarium militem prætermisse, neminemque nisi larga manu donasse vel inuidi testarentur. Didaco ante alios Mendocio Miletum, Liuiano Sancti Marci vrbẽ

in Brutijs,

in Brutijs, & Nauarro Oliuetum in Præcutinis, Ioanni Cardonio Vgonis defuncti germano fratri Auellinum in Samnio: præterea Andradæ, Caruaiali, Alberado, Emanueliq́ue, ac Antonio Leuæ, & Andreæ Capuæ Termulano insignia oppida tribuerat, quum duo Columnij Prosper atque Fabricius receptis his oppidis quæ Gallico bello amiserant, amplissima præmia retulissent. Io eo enim homine exquisitis virtutibus exaggerato, ita iudicium ratioq́ue vigebant, vt mirum esset, quum ei vel mediocres Latinæ literæ deessent, quòd ea tempestate in Hispania proceribus ad arma natis damnarentur; earum tamen laude celebres vsque adeo admirabatur, vt ab his non ineptè perennem gloriam affectaret, prosequereturq́ue peramplis muneribus poetas, qui ipsius res gestas Heroico carmine celebrandas suscepissent. In his fuere Cantalitius & Carmelita Mantuanus sacrati viri, qui quum alacri animo, sed subagresti musa aliquot poemata delicatis ingenijs insulsa publicarent, Petrum Grauinam Neapoli summę dignitatis vatem perpulerunt, vt nobiliora, digno tanto Heroe carmina factitaret. Pontanus enim paulo antè, ipso Caie tam oppugnante, valde senex è vita decesserat, cum Actius Syncerus eiectum regno Federicum regem in Galliam secutus, ob idq́ue dolore Aragoniæ domus funditùs euersæ, & odio in externos factus amarior, aliquanto condendæ Satyræ quàm pangendis Heroicis aptior haberetur. Excelso nanque ingenio quantum decoris ad non interituram laudem scriptores benignè conciliati afferre possent, facilè intelligebat. Quum alioqui ex ipsa liberalitate, qua vna vel maximè vitiorum labes obscurantur, gloriam peteret. Eam verò ob id certius, atque liquidius assequebatur, quòd in vita eius nihil absurdum aut impium, quòd imperatoriæ virtutis aciem hebetaret, ab austero vel maligno censore notari posset: nullam enim vnquam Neapoli matronarum pudicitiæ ex vero maculam insperſit, quanquam summa comitate apud clarissimas fœminas sæpissimè iocaretur. Stultum enim esse dicebat viro principi ex parua fugaciq́ue voluptate sempiternum & prægraue odium parare, quum nec planè casto principatus ipse sine iniuria cuiusquam varia in eam voluptatem instrumenta suppeditaret. Non procul enim ab immani perfidia scelus esse iudicabat amicorum, vt plerunq; fit, vxores attrectare, ne scilicet integris familijs & propinquitatibus, nihil reticente fama dedecus afferretur. Sed in ipso supra reliquarum virtutum admirabilem concentum, veræ pietatis specimen eminebat. Nihil enim ei erat antiquius, quàm in omni bellica ciuiliq́ue actione religionis decus omnibus commodis anteferre, templorum iura tueri, punire impios: & denique enixè dare operam vt milites suo exemplo rerum omnium prouentus atque victorias ex disciplina christiana expectandas existimarent. Neque enim dubium videri debet, quin eum his moribus arma tractantem diui diuæq́ue omnes, qui cum Deo Maximo cœlesti aura perfruuntur, subleuandum, prouehẽdumq́ue susceperint: nullo quidem certiore miraculo, quàm quòd in multis & penè innumerabilibus prælijs atque periculis versatum, nemo eum vnquam ceperit aut vulnerarit. Sed ne integra rerum omnium felicitate potiretur, ineuitabile malum vrgentis inuidiæ vitare non potuit, quanquam id incredibili magnitudine constantiaq́ue animi superaret. Confecto enim bello partaq́ue pace hilaritatis ac opulentię plena, multi quum in Hispaniam redirent, famam eius varijs calumnijs oneratam apud regem (vt mox dicemus) lacerãdam susceperunt; quãquam ea omnia quæ

Consaluus militibus dediſſet rex ipſe liberaliter approbaret, diplomatibus ſcilicet ex formula beneficiarij iuris ab Hiſpania ſicuti Conſaluus prę ſcripſerat tranſmiſsis, vt benefici gratique regis opinionem atteſtatione celeri tueretur. Sed in arcano aliquid reſidere credi poterat, quòd animum occultè perſtingeret, ad largitiones extendendas nequaquam procliuem, poſtquam totius benignitatis penè integra laus ex alieni iudicij decreto prærepta, aut certè deflorata ſpectaretur, ob idque regi pudendum videri poſſet, ei vni ab omnibus haberi gratias, qui cuncta pro libidine, tanquam ex alieno facilè prodigus, prę occupato domino, vel ignotis donanda cenſuiſſet: propterea ferunt, regem aliquando ad quoſdam libellos ſupplices pro adipiſcendis præmijs porrigentes reſpondiſſe: Cur mihi ex tanti regni acceſsione magnoperè lætandum, ſi non video, vt maiores quàm ſim ſolitus, ſumptus facere poſsim, quando ille qui Regnum nomini meo quæſiuiſſe videtur, nequaquam mihi, ſed ſibi atque alijs id pepererit, poſtquam inſigni virtute parta ab inconſulta demum & præcipiti liberalitate dilabuntur? Hiſdem ferè diebus quib. Galli bello victi Neapolitani regni finibus exceſſerunt, Cæſar Borgia cognomento Valentinus Alexandri Pontificis filius, ſub fide Conſalui Neapolim venit, pauloque poſt cuſtodię eſt traditus, vt in Hiſpania, ſicuti paulò antea Ferdinando Aragonio Federici regis filio ad Tarentum euenerat, triremibus adueheretur. Sed quoniam Magni Conſalui decus quod ad fractæ fidei famam aliqua ex parte læſum videri potuit, quibuſdam omnino defendendum videtur, operę precium exiſtimaui pauca tranſcurſim de Borgiæ conſilijs factisque, ſicuti ab his qui interfuerunt accepimus, enarrare, quanquam ea diffuſius in hiſtorijs noſtris referantur. Igitur Cæſar ex Vanoctia Romana alioqui proba muliere, quam nouimus, genitus, vbi adoleuit, patris ampliſsimi ſenatoris diligentia, ad capiendum ingenij cultum Piſas ſe contulit, vbi tum optimarum artium Gymnaſium florebat, adeoque profecit, vt flagranti ingenio, præpoſitis in vtroque iure quæſtionibus eruditè diſputaret. Qua iuuenis indole lætatus pater, vbi demum arridente Fortuna pontificatum eſt conſecutus, Cęſarem legit in Senatum: natu enim maiorem Franciſcum Candianum principem propagandæ ſtirpi, & magnis imperijs amplificandisque familiæ opibus deſtinabat. Verùm Cæſar quòd purpurei galeri honos ingenti animo, ſpeque ſua inferior videretur, Candianum fratrem quo cum hilariter cœnarat noctu iugulari iuſsit: ita vt ad obeliſcum campi Martij in Tyberim deijceretur, eumque biduo quæſitum piſcatores extraherent. Nec multò poſt Cæſar abdicata purpura, deſumptoque militari ſago, Princeps et dux copiarum creatus eſt: patre quidem ex atrocitate tanti ſceleris vehementer attonito, ſed poſtquam Candianus ab inferis excitari non poterat, cuncta indulgentiſsimè concedente. Nec multum inde Cæſar Pontifice cum Ludouico Galliæ rege in exitium totius Italiæ conſpirante cum Carlota Alibreta, Ioannis Nauarræ regis propinqua, authore Ludouico rege, ſponſalia fecit. Ex eo fœdere Cęſaris ſpes ſuas enudare, immoderato ſęuoque animo magnę partis Italię dominatum affectare cœpit, vſqueadeo dira cupiditate, vt in vexillis titulum præferret, AVT CÆSAR, AVT NIHIL, quaſi nihil animo mediocre, ſed immoderata, & longè maxima cupere videri vellet. Ante omnia proceres Romanos Columnios & Vrſinos tollere conſtituit: poſtquam inter eos bellum aliquandiu fruſtra aluiſſet, vt vtraque pars

mutuo

mutuo ferro concideretur. Nam illi post id ciuile bellum, Borgiæ artibus intel lectis, sese pace facta conciliarant. Columnij nihil sibi fuga exilioque potius rati, paterna oppida Borgiæ reliquerunt: Vrsini stipendijs allecti, & in fide Tyranni hæsitantes, ad vnum ferè omnes teterrimo supplicio necati sunt, Baptista Cardinali in mole Hadriani gentilium suorum necem præeunte, quum Vitellocius Tiphernas, & Liberottus Firmanus ad Senogalliam: in agro autem Perusino Paulus Vrsinus Latini Cardinalis filius, & Franciscus Vrsinus Grauinæ princeps eandem necis sortem tulissent. Caietanæ quoque familiæ proceres qui Sermonetam oppidum in Latio, iuxta Priuernum obtinebãt, Iacobus, Nicolaus & Bernardinus alio atque alio modo interfecti, arces & opes Borgiæ concesserunt. Camertes quoque reguli antiquæ nobilitatis, Iulius Cæsar, Venantius, Annibal & Pyrrhus principatu exuti strangulatique sunt. Astorem Manfredum Fauentiæ principem sub fide deditum, necatumque immaniter Tyberis excepit. Catharina Sfortia quæ Foroliuij et Forocornelij vrbibus imperabat, expugnata tormentis, captaq́; Romam tanquam ad triumphum perducta est. Pandulphus porrò Malatesta, Ioannesq́; Sfortia, et Guido Vbaldus Feltrius ipsorum ditionis vrbes Ariminum, Pisaurum et Vrbinũ inuadenti relinquere quàm interfici arrepta fuga maluerunt. Cesit et impotenti Tyranno Iacobus Appianus oppidũ Populonium in Etruria. Sed dum hac cruenta via in alienos principatus grassaretur, etiam Aragonium adolescẽtem Biselij principem ac Alfonsi regis filium, et (quod referre pudeat) Lucretiæ sororis suę maritum in atrio Vaticani templi vulneratum: & quoniam spes esset curari posse in ipso cubiculo, lectoque nuptiali sororis mactari iussit. Borgiam quoq; iuniorem cardinalem, quòd Candiano faueret, veneno sustulerat. Ioannem demum Cerbellionem virum domi militiæq́; nobilem, quòd pudorẽ in fœmina Borgię domus seuerius custodiret, noctu à cœna redeuntem crudeliter interfecit. Ab eo quoq; capitali supplicio affectus est Iacobus Sanctacrucius præclaræ nobilitatis Romanus ciuis, quo nemo ipsi Cæsari amicior & familiarior fuit, nec aliam ob causam, q̃ꝫ quòd validam promptissimorum hominũ manum ex factione Vrsina subitò cogere, & ad omne audẽdum faciñus impellere posset. Cæterùm ex tanta propagandi imperij dira libidine sitiq́;, quum venenum (vt diximus) cum patre bibisset, eiq́; demum ex Nepe in Vrbem reuerso, secus ac ipse crediderat, ex comitijs res euenissent, à Iulio Pontifice custodię traditus est. Is enim ab eo togatę Gallię arces repetebat, eoq́; vehemẽtius, quòd Veneti Ariminum & Fauentiam tam cœca q̃ꝫ pernicioſa inducti cupiditate, productis à Rauenna copijs occupassent. Dabat Pontifici verba Cęsar, ac indies deditionẽ extrahere conabatur, quum se in Galliam togatam proripere cogitaret. Ibi enim non defutura sibi hominum studia existimabat, ea præsertim spe, quòd vtriusq; factionis Duces Ioannes Saxatellus & Guido Vainius liberalib. stipendijs & beneficij præoccupati, apud eum in honore essent, ideoque simulatas & inanes ad præfectos literas scriberet. Quamobrem accidit vt Petrus Ouedius cum his literis à Pontifice Cesenam missus à Didaco Chignone de muro præcipitaretur, eoque atroci facto vehementer commotus Pontifex Cæsari acerbiora minaretur, nisi continuò Hispani præfecti repetitas arces dedidissent. Ab hac Põtificis iracundia territi Borgia et Remolinus Cardinales propinqui Cæsaris, & Borgiæ familiæ inserti, Neapolim perfugerunt. Verùm in id de-

mum vtrinque conuentum est, vt Cæsar si dimitteretur, secretiores tesseras de dedendis arcib. ad præfectum missurum, promitteret. Eius autem rei præstandæ conficiendæque vas fuit Bernardinus Caruaial cardinalis, ea conditione vt interim Cæsar in arce Ostiensi sibi custodiendus traderetur, donec promissi fide impleret. Interim duo cardinales qui erant Neapoli, id expetente Cæsare à Consaluo impetrarunt, vt Cæsari sub fide Neapolim venire, atque inde proficisci ex arbitrio liceret. Id Consaluus summæ dignitatis viris nequaquam grauatè tribuit, diplomaque manu sua subnotatum, peculiariq; obsignatum gemma, Ostiam transmittit. Nec diu post quum Didacus Chignones & Consaluus Mirasontes conspectis tesseris Cesenæ & Foroliuij arces pontificijs præsidijs dedissent, Cæsar à Caruaiale cardinale statim dimissus, conducta repente nauicula Neapolim peruenit, lætus admodum, quòd præter spem antiqui hostis manus effugisse videretur. Tum verò Neapoli cum cardinalibus, & veteribus amicis suis Hispanis ducibus nouandarum rerum consilia agitare cœpit: nequaquam enim animo se dimiserat, quin antiquæ spei totus inniteretur, et centuriones milites que sibi notos & ignotos vndiq; conquireret, nauigiaque pararet quibus Pisas adueheretur. Erat enim fama edita in vulgus eum Pisanis auxilio profecturum, qui libertatem suam aduersus Florentinos iam nonum annum constantissimè defendebant, verùm in arcano erat à Pisano litore per Lucensium agrum & Calphurnianos saltus transcendere Apenninum, & per Mutinensium fines rectà ad Æmiliæ vrbes penetrare: auctus scilicet copijs *studio* Alfonsi Atestini Ferrariæ principis, cui Lucretia soror nupserat: sperabat beneuolos suos veteres clientes affuturos sibi, vt passim propensissima omnium voluntate reciperetur. Hæc vbi eum moliri Iulius didicit, nihil sibi cunctandum ratus, quin cœptis obuiam iret, ad Consaluum perscriberet, seuerè admonens, ne hominem cruentum, audacem, maximoq; Italiæ malo natum, & sæuam tyrannidem ditionis suæ populis importantem, furere & grassari iterum pateretur. Hac eadem quum per legatos regios qui Romæ erant, & per suos qui in Hispania regem sequebantur, cum Ferdinando grauissimè & vehementissimè sæpius egisset, literæ regiæ ab Hispania Consaluo allatæ sunt, quibus Cæsarem comprehendere iubebatur, quòd graui principum omnium incommodo, suspicioneque res nouas moliri, impiaque arma aduersus Pontificem parare diceretur, atque ita Cæsar quum in exornanda classe scribendisque militibus occupatus, vti necesse erat, alloquendi causa sæpe in arcem ad Consaluum iret, à Nonio Campeio dum egredi vellet, humaniter retentus, et custodiæ traditus est: nec quisquam suorum, edito ingenti suspirio, fortunam incusanti, frustraq; se sub fide proditum querenti, opē ferre potuit. Nec multò post iubente rege in Hispaniam à Liscano deuectus est. Sic vt aliquandiu Concilię, & demum ad Medinam vrbē in arce cui Motta nomen est, duos ferè annos custodiretur: ea tamen sorte, vt deceptis custodib. fune demissus, suppeditante equos Pigmentellio Beneuentano Principe ad Ioannem Nauarræ Regem perfugeret. Is tum cum Alarino regulo qui à fide defecerat, bellum gerebat. In eo armorum motu quum egregiam operam regi nauaret, conserta ad Mendauiam pugna, victor occubuit, eo euētu vt nequaquam agnitus detractis armis nudus relinqueretur. Sed scutifer eius cadauer equi ceruicib. impositum Pompelonem retulit; haud dubiè rapiente fato ad eam vrbem cuius antistes antea

fuerat:

fuerat: neque enim quisquam ferè repertus est, qui quum sese susceptis semel sacris abdicarit, tranquillum vitæ exitum tulisse censeatur. Sed quis Consaluum vt id faceret regis imperio coactum non excuset? quum & paruisse iubenti regi, & æqua postulanti pontifici necesse fuerit obedisse? ne scilicet graui scelere regi parum fidelis, & grauiore piaculo erga sacrosanctum Pontificē inimicus & impius euaderet: in ea re præsertim, quæ superioris regij sacramenti fidem respiceret, ac humani demum atque diuini iuris religionem includere censeretur. Verùm ob id quoq; honestiore de causa maioreque ratione à fide data discessisse videri potuit, ne Italiam dudum sublatis bellis tranquilla pace fruituram vnius nefarij impotentisq; tyranni immanis audacia perturbaret: proinde etiam gratum facturus Vrsinis pariter atque Columnijs de se optimè meritis, qui à pestilentissimo homine summas auaritiæ et crudelitatis iniurias retulissent. Sed id pro tuenda Consalui dignitate minimè tacuerim, quod à clarissimis ducib. Didaco Mendocio Antonioq; Leua me accepisse profiteor. quum enim apud eos amanter inuitatus Bonię cœnarem, quo tempore Carolus Cęsar à Clemente Pontifice coronatus est, multosque sermones sereremus de virtute Magni Consalui, qui amborum imperator, & militaris disciplinæ magister fuerat, prędarè testabantur, neminem eo viro pace belloque meliorem extitisse: sed ei maximorum ducum exemplo prorsus euenisse, vt in extremo vitę actu tanquam semiexul non planè felix moreretur, quanquam sæpissimè diceret, se nullius improbè facti pœnitentia offensum lętissimè ex hac vita fuisse migraturum, nisi Ferdinando Federici regis filio, & Cæsari Borgiæ Valentino fidem suam improuidè dedisset, vt ea demum à rege cum sui nominis sugillatione violaretur. Subiungebat adhæc duo Consaluus se tertij quoque grauioris facti maximè pœnitere, quòd tamen prodere nollet. Id autem Leua atque Mendocius non inani fortè coniectura interpretantes esse putabant, quòd regijs pollicitationib. è Neapoli Italiaque se abduci in Hispaniam permisisset, in qua multi rerum nouarū cupidi, eum in spē noui principatus, maximarumq; rerum bello gerendarum retinere conarentur. Sub id tempus quo Borgia Cæsar captiuus in Hispaniam est perductus, Isabella regina desperata salute decumbebat: enatum enim erat in pudendis vlcus sęua serpigine mortiferum, ita vt tantæ victorię gaudio exhilarari nequiuerit, Prosperum tamen Columnam vel occupata supremo morbo humanissimè susceptit. Is cum aliquot nauigijs militariter instructis Liscanianæ classi cohortante Consaluo sese adiunxerat, vt triremibus præsidio foret, ne Borgia, vti in longa nauigatione accidere posset, à Gallis vel à prædonibus eriperetur. Eum tamen Romana grauitate, neque alloqui, neque oculis spectare sustinuit, ne scilicet atrocissimi hostis calamitate lætari videretur. Nec multis inde diebus Regina fato concesit, incredibili cum dolore atque iactura Consalui: nam ab ea tanquam alumnus, ac in eius regia educatus, cuncta quæ exoptari possent virtutis & dignitatis incrementa adeptum fuisse fatebatur, rege ipso quanquam minus benigno parumque liberali nunquam reginæ voluntati reluctari auso. Id verò prædarè tanquam verissimum apparuit, cum rex elata statim regina aures minus æquas, & supra alieni meriti pondus proclinatas, obtrectationibus præbere cœperit. Non defuere enim qui hominem multo gloriæ fulgore inuidorum oculos perstringentem grauissimis calumnijs onerarent. Multi enim quāquam

regnum insigni eius virtute quæsitum faterentur, id tamen profusa & planè astuta largitione diuisum, atque distractum ab eo fuisse prædicabant, vt præreptа occasione regiæ benignitatis, nisi præscriptis annuisset, regi demum ingrati illiberalisq; animi contumelia cõflaretur. Ipse porrò nihilo secius à suis quos maturę beneficentiæ destinasset, tanquam non abse, sed à rege prætermissis, beneuolentiam cum regis inuidia vindicaret. Nec deerant, qui dicerent, eum victoria superbum, magnisque regni prouentibus opulentum delegisse sibi ac amicis atque beneuolis clariora ditioraque oppida, regi porrò nihil opimum & integrum præter gestandæ coronæ decus, & inane noui tituli nomen reliquisse. Verùm alij diuersa incessentes via, omnem eius authoritatem conuellendam susceperunt, ex Hispanis Ioannes Nuccia Siciliæ prefectus, Valentius Benauidius, Franciscus Sancius, qui erat regis dispensator: sed multo omnium malignius ac atrocius Nonius Campeius, qui ab ea delatione ingratissimi nomen tulit. Hunc enim parum nobili loco eductum prætoriæ cohorti præfecerat: ac demum ei magno beneficio honoreque nouæ Arcis custodiam attribuerat. Ferunt etiam Prosperum Columnam scisciante rege, cum de Aragoniorum regum ingenio disciplinaque, & publicis ac priuatis institutis differeret, vtpote qui eorum omnium auspicijs post Alfonsum primum ab adolescentia militasset, de Consaluo sermones intulisse vsqueadeo aculeatos & graues, vt regis animum nequaquam vanis iniectis suspicionibus perstringerent. Quandoquidem ingenuè nisi malignè ex vero Consaluum illis omnibus authoritate prudentiæ, splendore vitæ, militum studio, & populari gratia præstare fateretur, adeo vt nihil iam in eo qui cuncta nutu fastuque regio iuberet & regeret, præter titulum deesse videri posset: ad quem si aspirare vellet, tot eius beneficiarij, qui diadema capiti imponerent minimè defuturi crederentur. Hæc maiestatem respiciebant, admonebantque regem vt maturè caueret, ne omnia indulgendo confirmandoque, ex duce præsideque regni consortem efficeret. Verùm Nonius adiuuante Ioannes Baptista Spinello Neapolitano, aliquãto criminosius in Consaluum inuehebatur, vtpote qui sagacissimè sumptuum & vectigalium omnium rationes excuteret: docuitque eum nihil ærario, nihil fisco reliqui fecisse, vt incondite largiendo maximè liberalis famam aucuparet. Qua demum ostentatione priuatæ opes tegerentur, illæque præsertim diuitię tot spoliorum totque munerum, cùm signati auri, argentique ęlati, tum nobilium gemmarum & sericorum aulæorum, quæ essent supra regij census æstimationem sedulò congestæ, astuteque repositæ à nemine viderentur, nescilicet inuidorum curiosorumque oculis conspecta, non abreiam natam inuidiam concitarent. Hæc verò singulari malignitate delata, tametsi aut falsa magna ex parte, aut minora vero putarentur, eius tamen animum moderatione & parsimonia gaudentem magnoperè permouebant, eo quidem altius atque vehementius quòd in rege non multum pecunioso, nec vnquam in apparatu & conuictu sumptuoso, tanti auri & tantarum rerum non iniqua cupiditas accenderetur, ita tamen vt eam facilè restingueret summa æquitas, summaque prudentia, quæ in rege nunquam precipiti, nec vnquam temerè ingrato, præclarè vigebant. Multa enim & perampla vel supra modum exæquatæ rationis concedenda iudicabat: cùm eximiæ virtuti, tum naturæ liberali eius viri, qui tot rebus feliciter gestis regnum cum magna laude cepisset, maioreque

reque defendisset: & tantum denique bellici decoris & gloriæ Hispanico nomini peperisse censeretur. Ea tamen omnia in profundum demissa pectus, tanta dissimulatione conseruabat, vt Consaluo nullam conceptæ offensionis speciem præberet, delatoribusque tantum secretò ageret gratias, palàm verò de Consalui actionibus honestissimè loqueretur. Cæterùm Prosper cum multis nobilibus equis quos Petrus Corduba Plegoi oppidi Marchio suopte ingenio liberalis ipsius Consalui patrui monitu dono dederat, Neapolim reuersus, nequaquam priorem amicitiæ locum reperit. Nonius verò Campeius, cum ab Hispania rediens in Italiam peruenisset, veneno, vt fertur, à quodam satellite, cui grauem antea iniuriam intulerat, sublatus est: merita herclè pœna si diuini iudicij vim spectemus, postquam alio turpissimo ingrati animi scelere, in optimum virum ducemque suum ac authorem omnis eius dignitatis venenum effudisset. Interim Consaluo gratia incolumi, existimationeq; amplificata, Neapoli gubernacula moderante ex Ferdinandus cum Ludouico Galliæ rege pacem fecit fœdusque percussit, multis herclè de causis, quas hîc commemorare non est necesse, cum in Historijs nostris accuratissimè referantur. Affinitas quoque superin ducta est, vt concordia quæ ex tantis odijs egrè sperari potuit, validiore vinculo firmaretur. Ferdinandus enim quanquam esset in flexu ætatis, Germanam ex sorore Ludouici regis genitam vxorem duxit. Paternum ei genus præclarum erat in Aquitania ex domo antiquissima Fusiorum comitũ, quos Foisseios Galli corrupta voce appellant. Huius Germanæ reginæ frater erat Gasto, qui auunculi indolem præferens aliquanto pòst maximis rebus breui curriculo gestis, ad Rauennam memorabili acie victor interijt. In ea conficienda pace Ludouicus regno cedens id impetrauit, vt proceribus Gallicum nomen secutis, quæ ante bellum possedissent, vrbes & oppida redderentur. In his erant Besennianus & Salernitanus reguli, Traianusque Caracciolus, & Honoratus Caietanus, & ij ante alios qui carcere educti, & libertatem & patrimonia, & honores cum cæteris recuperarunt. Verùm pòst celebratas regales nuptias non defuere præpotentes vlterioris Hispaniæ reguli, qui Philippum Maximiliani Cæsaris filium Belgis imperantem ad capessendum regnum in Hispaniam euocarent, existimantes sub florentissimo iuuene rege aliquanto liberius atque licentius ipsorum potentia fruituros, quàm sub austero et parum liberali, vt aiebant, sene Catalano. citerioris enim Hispaniæ Tarraconenses reges tanquam opibus tenues, & præcario ferè in liberis ciuitatibus regnantes, vlteriores Hispani, quorum erant amplissima regna, aut oderant, aut contemnebant. Nec diu Philippus amicorum suorum studio votaque frustratus, vt sua regna ex arbitrio administranda susciperet in Cantabriam Oceano deuectus, peruenit in portum qui vocatur ad Columnas, fortasse quòd ibi quoque alteræ Herculis Columnæ, sicuti Gadibus positæ fuerint, quum eo extremo litore terræ Hispaniæ finis Oceani fluctibus terminetur. Ferdinandus vt generum exciperet ad Columnas est profectus: quò ferè omnes reguli conuenerant. Ab his Philippus summos honores, suaque spe augustiores tulit, ita vt ineundi administrandique regni, inusitata cupiditate deflagraret, nec omnino iniquum aut parum honestum arbitraretur, si excluso socero rege, ea regna perciperet, quæ ab omni nobilitate vltrò deferrentur, & ad se optimo iure maternæ hæreditatis pertinerent. Itaque vno ante alios Ioanne Manuele qui diu

in Belgis legationem obiuerat, Philippi ingenium deprauante, res eò deducta est, vt gener in conspectum nequaquam familiariter socero se daret, amboque ex equis ad paruum spacium prodeuntes, hic Gallico, ille Hispanico sermone, & paucis admodum verbis, nec mutuo quidem intellectis, sese salutarent, colloquio properè ab ipso Manuele dirempto, ne rex iuuenis rerũ imperitus calli dissimi senis artibus caperetur. Nec mora (quod vix credi par est) proceres, regulique ferè omnes Ferdinãdum nullo pudore deseruerunt: quisq; enim in spes suas pronus & expeditus commodo seruiendum, & orientem Solem potius, quàm occidentem adorandum esse dictitabat. Vnus omnium Federicus Toletanus Albæ Regulus in vetere suo studio constantissimè permansit, nec vllis omnino pollicitationibus permoueri adducique potuit, quin summa fide præcellentiq; obsequio excolendum sibi regem susciperet. At Ferdinandus vti profunda prudentia hominem decuit, eius turbulentæ tempestatis procellam artificio dissimulationis vitandam ratus, graui opportunoque consilio excedere Hispania & Neapolim nauigare cõstituit: ne scilicet alienati generi dicta factaq; oculis ac aurib. exciperet, quæ statim vbi maiestatis nomen offendissent, tanq̃ demissè tolerata in contumeliam verterentur, postquam ab ipso tot proceres noui regis studia secuti aut odio, aut vanitate iudicij defecissent. Igitur Federico Albano viro summæ grauitatis atque prudentiæ, quòd paulo antè integerrimæ fidei præclarum specimen dedisset, in tutela regni constituto, ductaque secum Regina, cum viginti triremibus è Barchinone soluit. Aderat ei nauigationis comes honoris causa adscitus antiquæ nobilitatis Bernardus Roscius Deniæ regulus: sed illustres honestique citerioris Hispaniæ equites regium comitatum exornabant. Paucis autem diebus quum Gallici Liguſticique maris litora legendo, Delphini portum tenuisset, certum de Philippi generi morte nuncium accepit. Id quanquam intimos sensus non obscuro aut leui gaudio perfundere posse videretur, nihil tamen indignum ea necessitudine quæ filiæ dolorem, totque nepotum orbitatem respiceret, in grauissimo rege expressit, atque ita abiectis ornamentis, sed nequaquam pullata prætoria Neapolim initio hyemis est peruentum. Arserat paulo antè circiter Idus Septembres luridus cometes, in ea cæli plaga quæ vertitur ad Corum ventum, ita vt Belgis imminere diceretur. Philippum enim nondum expleto vigesimoquinto ætatis anno, Belgico more epulantem, importunisque exercitationibus deditum, diuerso sub cælo atrox inuasit morbus & eripuit, cum præter reliquam sobolem septennem ferè filium reliquisset nomine Carolum, quem hodie Imperatorem virtute animi & felicitate rerum gestarum Augusti cognomine dignissimum veneramur. At Consaluus vbi regem Miseni promontorium superasse, aduentareque nunciatum est, obuiam bireme profectus, in regiam triremem prorepsit, tanta quidem ex animi conscientia frontis hilaritate, vt eum nihil vnquam de optima regis erga se voluntate dubitasse appareret: nonnulli enim ex inuidorum numero paulo antè dixerant, eum nequaquam esse commissurum, vt conscensa regia trireme incertæ regis fidei se crederet, quum ille simulator & dissimulator eximius decreta animi ad occasionem depromenda egregiè tegere didicisset. Nec vllum ei maius omnino periculum quàm in triremem imminere dicerent, quum terra tantis stipato satellitibus nihil omnino quod vim afferre posset, foret timendum. Rex itaque ligneo ponte ad molem

constructo

conſtructo exornatoq; ſolemni cæremonia à Neapolitanis ſuſceptus, multa in adulationem parata, vti noui regis aduentus petebat, ſingulari modeſtia renuit: celebrauitq́ue Generi exequias atratus, vt mox ad legatos principum regniq́; proceres regio cultu prodiret, et iuxta eum Conſaluus in honore ſemper et conſpicuo quidem loco ſpectaretur. Eo enim præcipuo teſte monſtratoreq́; virtutis & fidei, quiſque vel infimi ordinis miles & ciuis produci ad regem, agnoſciq́; magnopere cupiebat, quando ipſe nemini deeſſet: nihil enim ei erat iocundius quàm officio benignè præſtito, quamplurimorũ voluntates promereri, idq́; eo ſplendidius, & ad gratiam parandam cumulatius fiebat, quòd ſæpiſsimè non rogatus, quos conſpexiſſet pudore cunctabundos, vel ægrè quicquam ſperantes, vltrò nominatim appellaret, commendatosq́; mirificè ad oſculandam regis dextram producere conſueſſet, vſqueadeo vt accepti demum beneficij gratia, vnum Conſaluum reſpiceret, quo auſpice, mora omnis in rege nequaquam expeditè munifico citiſsimè tolleretur. Rex enim ab æquitate atq; iuſtitia famam quærebat: ille verò anhelabat ad gloriam ingenti virtute partam, quæ diu ſtare, manareq́; ad poſteros non facilè poſſet, niſi prealtis grati et liberalis animi radicib. niteretur. Quamobrem rex æquo animo ſecum reputans, quale quantumq́; regnum Conſalui virtute captum atque defenſum ſibi obueniſſet, facilè tolerabat, vt nõ fruſtra quicquam Conſaluus peteret: quanq̃ regni recenti bello attriti facultates, tot conceſsis immunitatibus & præmijs eneruari & penè conuelli prouideret. Nolebat enim exiſtimari omnium ingratiſsimus. nam ea quæ admiſiſſet Conſaluus, aut de affectatione regni cogitaſſet, in arcano erant: quum eius merita ex tot victorijs toto orbi notiſsima, in ipſa hominum fama ſpectarentur. Eluſerat & per eos dies Quæſtorum & inuidorum diligentiam, ſibi admodum grauem, et regio nomini parum decoram; nam quum ad Quæſtorum menſam tanquam ad tribunal vocaretur, vt ſumptuum bellicorum et vectigalium rationes in aduerſarijs codicibus erarij & fiſci annotatas agnoſceret, quoniam expenſi acceptiq́; ſummæ inter ſe comparatæ, magno exceſſu diſpares, ſupputationi minimè congruiſſent: tam ſeuerè q̃ lapidè reſponderat, ſe priuatas tabulas publicis fideliores continuò prolaturum: quibus multo plus impendiſſe, quàm accepiſſe præclarè oſtenderet, teſtaturq́; ſe id totum quod ex iuſta ratione ſupereſſet, tanquam iure debitum ab ærario regio, vel ſi pertinaci lite opus foret omnino repetiturum. Protulit autem ſequenti die libellum grauiſsimo titulo, ita vt Quæſtoribus ſilentium, pudorem regi, cunctis verò qui non eſſent impudentes, multum riſum exprimeret. Ante omnia Deo Maximo, diuis deabusque omnibus ad parandam victoriam propitiandis, erogata ſcilicet in egentes, cucullatos, pioſque ſacerdotes et ſacratas virgines qui perpetuis ſupplicationib. vacarent, aureorũ nummũm ducenta millia ſupra ſeptingentos & triginta ſex, & regales argenteos nouem, expenſa ad indicis caput appoſuit. Secundo autem loco ſubiecit, ſexcenta millia, ſupra quadringentos & nonaginta quatuor ſecreta manu ſpeculatorib. data, quorum beneficio exploratis hoſtium conſilijs, multas victorias, & deniq; liberam tanti regni poſſeſsionem eſſet conſecutus. Intellexit argutiam Ferdinandus, infamique negocio ſilentium impoſuit. Quis enim occulta manu expenſæ pecuniæ numerum, requiſitis nominibus, niſi maximè ingratus, & planè ſordidus à tanto imperatore poſtulaſſet? Præterita ſiquidem omnia Con-

ſaluo condonare, & quæ ille dediſſet tanquam optimo collata iudicio, rata habere ſtatuerat, atq; item obliuiſci totius ſuſpicionis de affectato regno, quæ à delatoribus iniecta videretur, vt eum benignè admodum, ſed callidè, magnis inuitatum pollicitationib. ſecum in Hiſpaniam abduceret: conſtitutoque nouo præſide, toto noui regni fructu atque integra poſſeſsione potiretur: poſtquam Philippi generi diſſentientis æmulatione liberatus, ad eadem totius Hiſpaniæ regna maturè ſibi redeundum eſſe iudicaret. Itaque conſtitutis rebus, et Andegauenſium partium regulis, qui confectæ pacis beneficio carcere educti fuerant, reſtitutis oppidis quę bello amiſiſſent, ac his omnibus in gratiam receptis, Ribacurſioque præſide conſtituto, quintum poſt menſem, ex quo Neapolim venerat, cum regina claſſem conſcendit, Conſaluum ea ſpe inductum ſecum aduehens, vt quum in Hiſpaniam peruenissent, Compoſtellani ordinis equitum Magiſter crearetur. Is eſt honos primus à rege cum ſumma potẽtia coniunctus: vtriuſq; enim Hiſpaniæ nobilitas ferè omnis, honeſtata equeſtri dignitate, ditataq; peramplis perpetuisq; redditibus vni magiſtro paret. Signãtur autem equites bello paceque purpurea cruce, quę ante pectus militaris ſpathæ capulum exprimit. Id inſigne religioſo ritu ſuſpicitur, in honoreque eſt: nec niſi præclaro merito à Magiſtro aut Rege impetratur, ſcilicet vt militibus pro Chriſti nomine aduerſus Mauros operam nauantibus ſacrati redditus præmia perſoluant. Cęterùm Magiſtri nomen authoritatemque ab aliquot annis Ferdinandus & Iſabella Hiſpaniæ reges, indulgente Romano Pontifice ſuſtulerunt, quòd tanti ordinis magiſtri, regio nomini potentia atque opibus æquarentur: obidque formidabiles euaſiſſent, vti ſuperioribus annis Aluaro Lunæ accidiſſet, qui immodicæ potentiæ ſuæ ſuperbiæque reus Maieſtatis factus capite pœnas dederat. atque ita euenit, vt quum tantus honos nemine ſuffecto penitus vacaret, ſummæ dignitatis prouentus omnis, & libera creandorum equitum facultas regis arbitrio ſeruaretur: ſicuti & reliqua duo eiuſdem opulentiæ magiſteria, Colatrauæ ſcilicet & Alchantaræ ordinum vſurpatione perſimili paulo antè conceſſerant. Erat igitur is honos ſponte præſertim oblatus omnium qui concedi poſſent ampliſsimus: ſic vt eum facilè Conſaluus anteferret tot vrbibus atque oppidis quibus Neapoli potiretur. Fuerat enim donatus à Ferdinando iuniore Aragonio Terranoua in Brutijs: à Federico autem rege ad Garganum montem Veſtinorum vrbe, quæ à Sancto Angelo nomen ducit. Poſtremo ab ipſo Hiſpaniæ rege Ferdinando Sueſſa Aurunca pernobili Campaniæ vrbe, quibus opulentiora quoque oppida quatuordecim præter minora caſtella, & vicos acceſsiſſent. Sed vir peracutus & grauis, vix adduci poterat, vt planè crederet tenaciſsimum Regem quicquam ſecum de ea re liberaliter conceſſurum quãquam prolixæ pollicitationi etiam regia manu ſyngrapham adieciſſet: ſcilicet vt honeſtius atque validius nequaquam ex animo Neapoli decedentem ad nauigandũ pelliceret. Verùm Conſaluus non ſtatim diſcedentem regem eſt conſecutus: volebat enim humaniore officio amicos ciuesque omnes, illuſtresque præcipuè fœminas familiariſsimè complecti, ſatisfacereque item dignitati ſuæ, creditoribus omnibus per præconem ad Quæſtoris menſam citatis, vt nemo vel ex opificum cupedinariorum que infimo ordine relinqueretur, qui ſe vel obolo fraudatũ queri poſſet: eandem quoque vt fidem mercatoribus præſtarent, milites ducesq; ſuos fuerat obteſtatus,

multis

multis benignè pecuniam præbens dissoluendo debito, coemendisq; rerum omnium ornamentis, vt instructissimi cultissimique in patriam redirent. Delegerat enim sibi comitatum ex vario genere insignium virorum, si numerum eorum cultumq; respiceres, regio superiorem. nam dum Neapoli Rex fuit, per petuis conuiuijs atque largitionibus tantos sumptus fecerat, vt astrictæ frugi regis disciplinæ famam obrueret, quum numeroso famulatu, cultuque domus & splendore lauticiæ, Magni cognomen præcellenti virtute partum, omnino tuendum arbitraretur. Tantum porrò sui desiderium cunctis ordinibus relin quebat, vt conscensuro innumerabiles matronæ ad portum sese effunderent, nec sine lachrymis soluenti demum coram, felicem nauigationem, maturúmque reditum precarentur. Nec multò post Ferdinandus consequente Consaluo, Genuam peruenit: donatusq; est duabus aquarijs peluibus aureis, & copioso recentiq; nautico commeatu. Et quanquam Sauonam ire properaret, prius tamen sanctum Cratera spectare tractareq; voluit. Id vas in sacrario templi maximi religiosissimè custoditur, refertq; immensi precij smaragdum hexagonam escariæ patinæ modo cauatam. partum id fuit antiquitus ex Syriaca victoria, & ad publicum ciuitatis decus Diuo Laurentio consecratum. Venerat Ludouicus Galliæ rex Sauonam, vt Ferdinandum reginamq; sororis suæ filiam inuiseret: paulò enim antè Genuenses pulsa nobilitate rebellantes armis subegerat, vt erepta libertate validam arcem ad Pharum ceruicibus eorum imponeret. In eo congressu nihil Consaluo clarius atque spectatius fuit, quum cœnantes reges eum præcellenti eximiæ virtutis merito tertium conuiuam adhibuissent: vsqueadeo laudante admiranteq; Ludouico, virum graui proceri corporis gestu, excelsoq; ore, antiqui Herois decus præferentem, vt iure optimo postquam tanta staturæ atq; animi dignitate præstaret, Magni cognomento, quod ex rebus gestis retulisset, verè dignum esse fateretur. Cæterum eo colloquio constat, ambos reges multum de Venetorum cupiditate inter se conquestos statuisse ea armis repetere, quæ sibi adempta, aut nequaquam sponte concessa viderentur: nec deerat Iulij Pontificis legatus Antonius Pallauicinus Ligur, qui in id consilium per se inflammatis Regibus opportunas faces admoueret. Iulius enim æquo animo ferre non poterat, Ariminum Fauentiamq; vrbes Pontificiæ ditionis per interregnum à Venetis occupatas, quum Gallus Cremonam, Bergomum, & Cremam Brixiamq; Mediolanensi imperio detractas, Hispanus porrò Apulorum et Salentinorum vrbes, Veneto parêre vehementer indignaretur. Diremptum autem est colloquium circiter Calendas Iulias, abeunteq; ad alpes Ludouico, vt in Galliam rediret, Ferdinandus secundissima nauigatione Barchinonem peruenit. Tum verò vtriusque Hispaniæ reguli certatim ad mare descendere, regem modicis itineribus progredientem excipere, ei maturum & felicem reditum gratulari, notareque eius oculos irati aut pacati animi indices. At ille prealta dissimulatione offensionum omnium se penitus oblitum ostendere, singulos hilariter complecti, certissimamque apud omnes clementis animi speciem præferre: idq; tanta arte, vt multos se ad pœnam reseruari arbitrantes, suspicione et metu liberaret, eoque certius atque syncerius, quòd occurrenti Antonio Cueuæ illustri genere orto, & si aulæ mores respiceres, viro prorsus eleganti, facetè in eum iocatus dixerat: Et tu quoq; Antoni ad Columnas me dereliquisti? Is enim ante alios ad Philippum adu-

lationè præpropera ſe contulerat: ad quod ille promerendam veniam repentè diſertus, Ita eſt, inquit, Rex domine, nec inficior. Quis enim iuuenem xxiiij natum annos firmiſsima membrorum compage & roſeo viuidi oris colore florentem, triduo moriturum credidiſſet? Tum verò iocundè arridens tanquam reſponſo libero delectatus Rex ſubdidit. Non te falſum vtique, ſi non equo leuiorem ciuem intempeſtiui conſilij euentus fefelliſſet, ſi clementem legi timumq; regem diu viuere & feliciter regnare poſſe putauiſſes. Ea verba perurbanè prolata exceptaque à circumfuſis cum voluptate, & mox recitata alijs, apud omnes pudorem, & metum facilè diſſoluerunt. Rex enim in vtraq; Fortuna ſemper grauis, temperatoque ingenio flectere, & moderari ſuorum animos aſſuetus, leniſsimè cunctis pepercit: ſic vt Ioannem Manuelem quem maximè atrocem inimicum fuerat expertus, Manrico Hagereo regulo condonaret. Cæterùm fermè omnes à rege ſtatim ad Conſaluum ſalutandum ferebantur. Is aliquanto poſt regem moleſta febricula retardante Valentiam appulerat, exceptusque fuerat ab vniuerſa ciuitate ſingulari cum plauſu: quum omnis ætatis ſexusque ordines ſpectandi ſtudio ad mare ſeſe effudiſſent: Seraphinus autem Centellia Oliuę comes, Valentinorum equitum princeps, eius hoſpes, tanto ornatu, tantaque omnis lautitię magnificentia ſuſcepiſſet, vt rex ipſe neque apparatius, neque luculentius excipi potuerit: mitterenturque ad claſſem tot inſignes equi, mulæque phaleratæ, vt nemo ferè ex tanta militum turba pedibus vrbem intraret. Paucis diebus ad quietem datis, quibus ſe ex nauſea, totoque nauigationis incommodo comitatus omnis ſeſe reficere atq; exornare poſſet, ad vrbem Burgos, quo rex peruenerat contẽdit: tanta quidem frequentia, vt nequaquam vnum iter omnibus pateret. innumerabilis enim multitudo exercitui penè parem ſpectantibus ſpeciem præbebat, tot ſcilicet veteranis ab Italia deportatis, totq; clientibus ac amicis qui officij cauſa vndique ad contingendam victricem dextram confluebant, ita vt neque hoſpicia tectáue, neque commeatus vel ante prouiſus, tot agminib. ſufficerent. Mirabãtur autem incolæ noui ſplendidique cultus, coccinea ſaga, ſericas interiores veſtes, capitum porrò integumenta aureo emblemate, & varijs criſtis exornata, fortiúmque centurionum ceruices aureis torquibus honeſtatas. Præterea mirè proceros & acres equos grauibus frenis & protectis ferro ephippijs Italorum & Gallorum more inſtructos. Quibus de rebus fiebat, vt quorundam oculos liuore occupatos offenderet: mereretur autem multum plauſum, & veram laudem à popularibus, qui eum non Magni modò, ſed Maximi cognomento dignum carmine edito decantabant. Propterea Gironem Oronium regulum ad ea omnia ſtupentem, vti erat vir acuto, et hac in re diuino iudicio præditus, dixiſſe ferunt, ſibi Conſaluum ingenti onerariæ naui perſimilem videri, quæ prealto mari indigeat, vt æquora ſulcet, aliter neceſſe ſit vt humilibus in vadis hæreat. quaſi diceret tantæ moli ferendæ Hiſpaniam Ferdinando regnante minimè ſuffecturam. Nec multò poſt vſu euenit, vt Conſaluus non modò hæreret in curſu, ſed ſeuiſsimis inuidiæ fluctibus alliſus ſcopulis penè mergeretur. Aduentanti Burgos rex ipſe honoris cauſa obuiam egreſſus, quum antecedentes milites vario luculentoque habitu exultos miraretur, ipſeq; Conſaluus omnium poſtremus, ad appetendam regis dextram ex modico interuallo ſequens accederet,

deret, his Rex inquit (longam militum seriem digito ostendens) vt video Consalue, quod debebas optima fide persoluisti, quum toties bello te prę euntem se quuti sint, nunc demum parta pace commutato vtiq; ordine vt te antecedant æquissimo iure concedis. Perurbanè quidem nec obscurè eum laudans, quòd ante suorum aciem Dux intrepidus prima pugnæ pericula sæpissimè subijsset. At Consaluus aliquot dies frequentandæ aulæ, & priuatis officijs impartitus, quum à Rege, vt Compostellanus equitum Magister crearet, frustra per multos dies expectasset, idq; tanquam ex fide, & syngrapha promissum instantius flagitaret, senescente sensim gratia à rege pro amplissimo munere grauissimũ odium retulit. Is enim verba dare, & inanes moræ causas nectere solitus, ita se ab ea liberalitate auersum ostendebat, vt Consaluus apud amicorum præcipuos contumeliæ dolorem, ægritudinemq; animi generosè detegeret, & se deceptum traductumque vehementissimè quereretur, apud vnum præcipuè Bernardinum Velascum (is erat totius Hispaniæ equitum Magister) qui eo quòd Regi assideat, Comestabilis hodie vocatur, in vrbeq; Burgos authoritate atque opibus potens, & Consaluo ex hisdem factionis studijs iureque hospicij amicissimus, tanta ob id libertate inter se consilia communicabant, & mutua fide, intimisque sensibus iungebantur, vsqueadeo vt Consaluus fide accepta dataq;, Heluiram filiam Velasco desponderet. Is enim vxorem paulo antè amiserat, quæ erat filia Regis ex damnato coitu suscepta, refrixeratque obiter generi amor erga socerum, quòd Velascus cliẽtis & familiaris sui capitali supplicio damnati, vitam à rege socero impetrare nequiuisset. Eam autem connubij sponsionem ægerrimè rex tulit: Heluiram enim nepoti suo qui erat Cæsareę Augustæ Antistitis filius vxorem destinabat, vt Consalui opes substantiáque omnis hæreditate certissima in regiam domum conferrentur. Ob id quoque Regina Germana subaustero oculo Velascum compellans, dixerat; An tu qui non es insulsus, & degener non dedecori fore existimas, si tibi cum filia Consalui nuptias omnino faciendas putes, quum regis filiam in matrimonio dudum habueris? Ad id verò Velascus, quum se præclarum in ea re exemplum quod sequeretur habere respondisset, vt eius suscepti consilij minimè dispuderet, non obscurè Reginæ animum pupugit, quę nequaquam Regis filia, magni tamen regis coniugium meruisse videretur. Ex eo mordaci sermone regem cum regina vsqueadeo offensum ferunt, vt Consaluus qui dignitatis & præcellentiæ causa, prodeuntem in publicum Reginam subiecta ad lacertum dextra subleuare, equitantemque lateri adhęrens comprehensis mulæ habenis, deducere erat solitus, prę occupante Federico Toletano, Albano regulo ab eo officio & munere penitus arceretur: & Velascus regiæ affinitatis gratiam prægrauante odio proculdubio totam amitteret: nec multo post, vti erat turbido liberioreque ingenio, à nimijsque opibus suspectus & inuisus, properante fato moreretur. Paulo etiam antè secus ac volebat Ferdinandus Francisci Xymenis Archiepiscopi Toletani patrocinijũ susceperãt. Is opinione religionis ex humili cucullato pannoso q;, vtpote qui ligneis soccolis calciatus nodoso fune cingeret, ad opulentissimum totius Hispanię sacerdotijũ Isabellæ Reginæ studio peruenerat: ita vt tantas opes ex arbitrio ad Christianæ pietatis disciplinam dispensaret, inuidente quidem Rege, deposcenteq;, vt id sacerdotium cum eius filio Cæsareæ Augustæ Antistite permutaret. Quam rem tanquam

impotenter à Rege tentatam ac infamem, Velascus & Consaluus deprecante iniuriam Xymene, vehementer improbarant, quod ea permutatio summæ iniquitatis Isabellæ Reginæ iudicium syncerè innixum pietati offensura videretur. Ipseque Xymenes robusto constantique ingenio diceret, si paululum vrgeretur, sese statim abdicata mitra cum lituo pastorali ad veterem cucullam esse rediturum. Eò enim Regis consilia tendebant, vt filio summæ diuitiæ parārentur: ipseq; vbi necesse foret, in bellicos sumptus sacris prouentibus vteretur, sicuti de tribus sacrati ordinis Calatrauæ, Alcantaræq; & Compostellæ equitum magisterijs regię personę contributis effeciſſet. Itaque rex negocium cum magna inuidia inchoatum statim omisit, aliquanto iratior factus Velasco & Consaluo, qui rem impedijssent, quam Xymeni, qui pro sua dignitate ac amplitudine contendisset. Sub id quoque tempus Fortuna, quæ vbi obortæ inuidiæ ianuam pandit, impendentis mali causas accumulat, grauiore offensione Consaluum perculit. Petrus enim Alfonsi fratris filius è Corduba Burgos venerat, vt tum primùm ab Italia redeuntem patruum inuiseret. Hic cum eum animo ægro reperisset, quoniam ab rege promissi honoris fides minimè præstaretur, vti erat ingenio libero, & ad perferendam contumeliam insolenti, indignatus ingratum regem Cordubam se recepit, vbi perpetua quadam authoritate ab auo patreq; tradita princeps ciuitatis vel inuito rege colebatur. Erat Petrus ab eo insigni Cordubensium studio, ab eaque illustri potentia regi grauis & inuisus, vsque adeo vt eum Cordubæ regnare nollet, mitteretq; ad senatum Cordubensem Lucerum inquisitorem, id est officialis nomen, qui prælata virga, lictoris regij & fascium supremę potestatis ac imperij nomen refert. Hunc qui violet, maiestatis reus efficitur. Hic senatui denunciabat, non placere regi vt Petrus in vrbe Corduba diutius esset. Sed iret ad paterna oppida, sicuti reliqui Cordubæ gentis reguli, & multo quidem ipsorum commodo facere consueuissent. Ea res ab amicis senatoribus ad Petrum defertur, continuoque superbum eius ingenium vehementer exagitat. nec mora, precipiti ira concitus, Lucerum à satellitibus suis comprehendi iubet: impositumque equo, & vinctum Mondelliam ducendum equitib. suis tradit. Id erat oppidum ab auo Petro validis mœnibus cinctum, auctumque arce munitissima, quæ marmoreis ornamentis erat insignis, aç omnium inter Bæthicas longè pulcherrima. Tantum verò admissum facinus Ferdinandus grauissimè ferens, quòd suæ dignitatis intererat, armis vindicandum statuit, postquam Petrus non obscuræ rebellionis nomine damnatus, lege publica censeretur. Sed parantem arma Regem Consaluus & Velascus deprecãdo, ea conditione exorarunt, vt iuuenem feruidiore ingenio in id scelus prolapsum supplicem se ad pedes perducturos pollicerentur. Nec multò post Petrus patrui atque Velasci authoritate perductus ad regiam venit. Sed eum Rex veniam petentem non admisit, ita vt eum relegaret extra aulam ad decem miliaria, neque ei fas esset longius abesse, quàm vt itinere vnius diei, acciri reuertique posset. Addidit quoque grauiore decreto, vt Mondellia funditus euerteretur, vt æquata solo, apud turbulentos proceres regiæ seueritatis testis foret. Nec Consaluus vel maximis precibus impetrare potuit, quin paternæ virtutis monumentum tantis sumptibus ædificatum, quod esset ipsius natale solum, & totius Bæthicæ maximè decorum, & celebre, deleretur. Quanquam Galliæ regis legatos molliendo regi

deprecato-

deprecatores adhibuiſſet, qui equum eſſe cenſebant, vt qui centum vrbes infinitaque oppida pro rege cepiſſet, is mutuo munere paternum oppidum impetraret. Sed Rex obſtinatè manſit in decreto, ea tamẽ moderatione, vt pro Montellia totius Bæthicæ concurſu intra paucos dies funditus euerſa, Loxam vrbem Conſaluo poſsidendam dono daret, ſcilicet vt iniuriæ atrocitas eo munere leniretur. Ea vrbs à Granata decem millibus paſſuum diſtat, peramœna valle poſita, quæ prealtis montibus includitur. Addidit quoque Rex tanto muneri benignioris animi ſpem, quòd Loxa ad hæredes eſſet peruentura, ſi Conſaluus Compoſtellanæ ſyngraphæ renunciaret. Verùm ad id generoſo dicterio reſpondit, ſe adeo infulſum videri nolle, vt de iure Regiæ promiſsionis temerè decederet, quũ iuſtiſsimæ querelæ titulum præferre, quàm iniqua compenſatione accepta creditum, diffiteri mallet: eminebat ſiquidem in ſermone eius, reſponſisque præſertim grauitas excellens vrbana iocunditate condita, quum improuiſus & peracutus lepor in eludendo peſtringendoq; eruditi ſalis acrimoniam referret. Sed Hiſpanicæ elocutionis argutias ex amphibologia facilè naſcentes, Latinæ linguæ ſimplicitas non aſſequitur. Quo fit, vt multa maximè feſtiua ſcommata omittere cogamur, quæ quum inexperrectis ſalſiſsimæ gentis ingenijs riſum ac admirationem excitare poſsint, translata demum tanquam exuta dignitate, vti languida vel obtuſa Latinis auribus non arrident. Hæc tamen minimè prętermittenda videntur, vt illud Garciæ Paredio fortiſsimo equiti, quum ad Lyrim Gallis per pontem tranſire conantibus pilæ vndique hoſtilium tormentorum cum ſtrage equorum & hominum peruolarent, & Conſaluus imperterrito animo hortabundus in diſcrimine verſaretur, accurrenti ſoliciteque monenti, vt è periculoſo loco ſe ſubduceret: Non ne tu (inquit) vir improbus & ineptus hodie mecum es Paredi? cum in omni vitę diſcrimine nullus vnquam te metus occupet, vt ego pauorem admittam importunè ſuadere contendis. Quum oppidum Montilia (vt diximus) iuſſu regis diflueretur, fruſtra deprecantibus Gallorum legatis, vt ei oppido parceret, quòd eſſet Magni Conſalui natale ſolum, qui ad ducentas vrbes, & ſeptingenta oppida Hiſpaniæ regnis adieciſſet, nunciaretur que homines ad opus coacłos ex agreſtibus incolis ſupra centum in ſubruti & repente procidentis muri ruina oppreſſos, miſerabiliter interiiſſe. Hinc præclarè liquet, Conſaluus inquit, quàm fortiter viua & incolumis Montilia ſeſe defenſura fuerit, quando damnata planeque mortua, tot editis contra ſe molientium funeribus ſuum decus pertinaciſsimè tuetur. Eo die quo Galli in Formiano litore longa variaque pugna victi, intra portam Caietæ compulſi ſunt, quum Cerbellio è citeriore Hiſpania nobilis eques ad nauandam operam ſerius quàm oportueretſe expediſſet, confectoque iam peælio, partaque victoria armatus in nauicula concitatis remis ad victores ſocios appropinquaret, & multis è litore ſpectantibus quiſnam eſſet qui thoracatus aduentaret, Didacus Mendocius ſciſcitaretur, repente ad eum Conſaluus, reſpondens inquit: An adeò tibi hebes eſt oculus vt Sanctum Hermum non agnoſcas? Sancti enim Hermi ſydus Chriſtiani nautæ vocant, quod ex turbulenta tempeſtate tranquillitatem pronunciat, quum in antennis apparet, non ſecus ac antiqui de Caſtoris & Pollucis ignibus crediderunt. Agnouere aſtantes lepidiſsimè dictum, quum tarditatem Cerbellioni ſalſus imperator exprobraret, qui cõfecto

prælio, & pacatis rebus armatus aduentasset, tanto omnib. exorto risu, vt Cer bellionem è nauicula descendentem Sancti Hermini nomine salutarent. Idq; ei postea cognomentum inter milites æternum fuit. Quum Galli Caieta dedi ta Regno excederent, & à Consaluo multis terrestri itinere abeuntib. equi da rentur, Obegninus eorum imperator alacri ore renidens, Consalue (inquit) te obsecro vt validos nobis & robustos equos dari cures, vt abeuntibus & citò re dituris nobis sufficiant, quasi se renouaturum bellum non obscurè promitte ret. Agnouit Consaluus vafrè dictum: statimque respondit, Reditote vt lu bet, nam hæc eadem quæ vobis lubens præsto vestes, equos, diplomata, quum reuertemini ex clementia liberalitateq; mea facilè impetrabitis: aperté denun cians, eos si redirent, eandem omnino belli fortunam subituros. Bernardinus Velascus qui fuit equitum magister, vir apprimè nobilis & elegans, puellam ex Reginæ aula vehementer adamabat, & more Hispanico studiosissimè per colebat. In ea Velascus, quum venustatem impensè laudaret, nihil ad absolutę formæ dignitatem deesse prædicabat, præter plenioris succi habitum: erate nim gracilitate virginali. Hęc, vti fit, in aula amanter ad bonę spei significatio nem viridi colore argumentum amatori Velasco dederat, quo is in cultu fami liæ vteretur. Prodeunti itaque Velasco, et pueros seruosq; à pedibus viridi co lore indutos ostentanti, Consaluus occurrit: laudataque eius cultus nouitate, Rectissimè sapis (inquit) Velasce, cum hoc enim viridi proculdubiò pingue scet. Iocatus scilicet in strigosam eius amicam, translato dicterij sale à pastione mularum: nam Hispani recentis graminis & herbæ medicæ farraginem viri dis nomine appellant, qua adulto verè mulas enutriunt, vt vberrimè pingue scant. Quo scommate nihil lepidius viri eius aulæ elegantes existimarunt.

Quum ad Tarentum è castris maleficum seditiosumque militem ad supplicium duci iussisset, illeq; multum reluctatus se iniquissimè damnari vocifera retur, & proinde Consaluum ad dicendam causam ad Dei Max. tribunal ma gna voce citaret, Vade, inquit Consaluus, festinaque confisus optimo iudici, & causam instrue, nam ibi pro me aderit qui opportunè respondeat Alfonsus frater, qui nuper è Serra vermegia in cælum contendit. Tum enim Consaluo nunciatum fuerat fratrem à Mauris circumuentum dignam forti pioque du ce mortem oppetisse. Cæterùm Consaluus (vt vnde discessimus reuertamur) in Vrbem Loxam indignabundus se recepit, ex tot repulsis ac offensionibus, tranquillum ocium quærens, donec inuidia decederet, & Ferdinandi animus iam planè auersus, dum ipse abesset, veterum beneficiorum recordatione æq quiora consilia verteretur. Itaq; Consaluus veluti iustam vacationem nactus, biennium Loxæ Granatæque transegit, suis herclè opibus, quæ erant multo maximæ, & sua denique gloria contentus, nisi ea vt plerumque accidit æmu lorum immodico liuore premeretur. In ea vitæ tranquillitate modicè corpus exercebat, alebat autem animum susceptis multorum patrocinijs, collatisque officijs, sic vt omnes qui egestate oppressi, aut impliciti litibus aut aliquo peri culo circumuenti essent, opemque implorarent, enixissimè subleuaret. His actionibus existimationem tuebatur, & singularem tota prouincia gratiam ab omni genere hominum comparabat: à Maranis præsertim, & à Mauris. Maranos Hispani eos vocant, qui Iudaica stirpe nati, quum semel ad Christia na sacra transierint, rursus ad antiquæ legis ritus relabuntur. Id autem quum

capitale

capitale ſit, ſpeculatores eis ſubmittere ſolent, qui dicta factaque eorum, & arcana religionis diligenter explorarent, ſuſpectosque præſidibus accuſent, expoliandos quidem primò opibus, ac igne demum concremandos. In id genus hominum quãquam ĩj extrema ſupplicia mereantur, ſecretis & ſæpe malignis indicijs delatum ſacrati iudices, vt preclarius pietatis ſtudium oſtendant, per acerba quæſtione deſæuiunt. Id verò Conſaluus quantum incolumi religionis iure poterat pro æquitate humanæ lenitatis defendebat, vt miſerè circumuenti, pre metu ſolum vertere cogerentur, deſertaque Hiſpania ad Turcas confugerent, apud quos transfugientium Iudæorũ tutiſsimus erat receptus, quòd homines ingenioſi mireque induſtrij fabrilium operum, & lanificij præſertim artifices, & quod mirum in modum reipublicæ Chriſtianæ nocuit, æneorum tormentorum magiſtros attuliſſent. eadem, ſed alia via Mauri qui in Bæthica remanſerant, tanquam opportuni iniuriæ patiebantur: quibus cum clementiſsimè agendum eſſe multis de cauſis exiſtimabat, ne gens repentina, ſeuiq; imperij inſolens, ac animis ad reſumenda arma paratiſsimis, erecta, vbi reliquum conceſſæ libertatis eriperetur, demigraret in Africam, aut inde auxilia aduerſus noſtros tanquam acerbè dominantes accerſeret. Non multis enim ante annis, vno Ferdinandi regis edicto tam pio quàm poſtea multis importuno Iudæorum infinita propè multitudo, quæ antiquitus in Hiſpania conſediſſet, quòd Chriſtianas leges abdicatis Moſaicis recipere nollet, exuta bonis, ac Hiſpania pulſa per totum terrarum orbem profugerat: ſic vt eorum pars Theſſalonicam nobilem Graciæ vrbem, quam Amurates vi captam deformarat, coloniam concederet, magno Turcis emolumento futuram, ita vt Baiazetes, ſicuti à Gritto venetorum principe audiuimus, diceret, Ferdinandum Hiſpaniæ regem, qui Chriſtianorum prudentiſsimus haberetur, minimè ſibi ſapientem poſſe exiſtimari, quòd Iudeos ſuis regnis expuliſſet, quos ipſe in Græcia cupidiſsimè reciperet, quando vna hominum frequentia diteſcere amplificariq; regna viderentur. Nec multum ad Rempublicam referret, ſi coloni inter ſe religionibus diſſentirent, modò quiſque ad commune æquiſsimi iuris honeſtique moris officium tuendum, colendamque iuſtitiam ſummi Dei rerum omnium opificis numen adoraret: qua vna in re ipſi Mahometani cum Iudæis & Chriſtianis præclarè conſentire crederentur. Erat enim Baiazetes tantæ doctrinæ philoſophus, vt Auerrois placita ſecutus nequaquam totas Mahometis Prophetæ fabulas admitteret: in hac perſuaſione Mahometi patri diſsimilis, qui quum duo tantùm numina Virtutẽ & Fortunam viris colẽda prædicaret, religiones omnes exploſiſſet. Cæterùm ſub id ocij tẽpus Conſaluus Xymeni Toletano Antiſtiti in Mauritaniam traiecturo non defuit, quin vno maximo conſilio, milite ducibusq; iuuaret. Is enim pio nobiliq; præſtãtis animi decreto, vt inuidia ex multis ampliſsimi ſacerdotij opib. enata deleretur, parata ducentorũ nauium claſſe in proximã Mauritaniam trãsfretabat, conductis ſuo ære peditũ & equitum quatuordecim millibus, quib. præerat Nauarrus à Conſaluo tanq̃ bello optimus Xymeni traditus. Is ea felicitate eſt vſus, vt magno portu qui appellatur Mazanchibir in poteſtatẽ redacto, Oranum nobile emporium, quod olim Vasbaria fuit, expugnaret, & eodẽ curſu rex Tremiſeniorum acie victus regno pelleretur. Nauarrus porrò Xymene cum victoriæ laurea in Hiſpaniam reuerſo Buzeam antiquitus Vzicatã in Holchachite ſinu opib. & Gymnaſio

liberalium disciplinarum celeberrimam Numidiæ vrbem manu caperet, duobusque secundis prælijs Numidas profligaret, & demum Magna Lepti, quæ hodie dicta est Tripolis, terra mariq; fortiter expugnata potiretur. Quæres à duce militibusque Consalui disciplinæ assuetis egregiè atque celeriter gestæ non dubiam laudem ad ipsum felicis militiæ magistratum referebãt. Per hunc modum Loxano in secessu, quanquam non procul ab honesto exilio videretur, nihil vnquam de magnitudine consilij remittentem illa excellens virtus qua tantùm glorię sibi pepererat nusquam deserebat. Erat enim ingẽtis animi robore aduersus omnem inuidię contumeliã adeo permunitus, vt secunda pariter ac aduersa vno indomitæ mentis tenore metiretur. Percunctanti enim Girone Oronio à quodam, qui à Consaluo ad regiam veniisset, quàm altè oneraria illa ingens nauis Consalui magnitudini, vt suprà diximus comparata, *in* Loxæ vadis subsideret, idque Consaluo referretur: Oronio dic, inquit, nauem firmis lateribus æstum maris expectare vt attollatur, et vela det ventis qui non semper aduersissimi perflare consueuerunt. Nec perurbano responso euentus defuit: non toto enim vertente anno, quum Rauennatis cladis nuncius Regem magnoperè perculisset, vnus ante alios omnes Consaluus, qui res perditas restitueret, non secus ac alter dictator Furius Camillus à Romanis contra victores Gallos ab exilio reuocatus est. Ea siquidem funesta acie magna pars veteranarum legionum quas ab Africa Nauarrus antea transuexisset, interierat, supraque triginta sex aut illustres aut noti duces ceciderant, Raimundóque Cardonio imperatore fuga elapso, captoque Ioanne Medice legato cardinale, Fabritius Columna ipseque Nauarrus in potestatem hostium deuenerant. Qua calamitate obrutus Iulius Pontifex multorum perfidia in Vrbe circumuentus de fuga cogitabat. Fœderatique omnes principes vnum maximè Consaluum quem superandis Gallis fatalem ducem crederent, postulabant. Itaque rex ingenti cura anxius misso in Cantabriam Federico Albano, qui pulsum regno Nauarræ regem reprimeret, Consaluum imperatorem delegit, qui primo quoque tempore in Italiam proficisceretur. Pontifici opem ferret, daretq; operam ne quid detrimenti res Neapolitana pateretur. Parabatur classis ad Malacam: eò innumeri equites & pedites confluebant, tantusq; erat equorum & armorum apparatus, vt homines minimè dubitarent, quin Consaluus Gallos ab eo vinci solitos Italia depulsurus esset, & nouum de ea gente triumphum in Hispaniam relaturus. Iam multæ omnis generis naues vndique ab Oceano Gadibusque præsertim Malacæ conuenerant, paratusque erat commeatus, delectique milites, & equites nominatim in maiora nauigia distributi, vt conscenderent idoneam tempestatem expectabant, cum ad repentinum inexpectatæ victorię nuncium ex regis literis cuncta refrixerunt, sic vt consternati dolore milites qui prędia & decus ex ea profectione concepissent, de Fortuna magnopere quererentur; & Consaluus ipse tanquam inauspicatò creatus imperator, quòd donando profundendoque priuatas opes exhausisset, ad tantæ illusæ spei incommodum plurimum angeretur. Sed quomodo eam laudis atque victoriæ spem Italici belli euentus interpellarit, operæ precium est paucis enarrare, vt quæ fortuita videri possunt ad diuinæ mentis iudicium referantur. Non toto vertente biennio, ex quo reges ad Sauonam colloquutos inter se memorauimus, funesto Italię icto fœdere in Venetos conspirarunt, vt

conuulso

conuulso eorum dominatu, quæ sibi erepta putabant, veteribus ipsorum imperijs redderentur: atque ita factum est, vt quum à Gallis ad Abduam, duce rege ipso, vna victi acie, profligatique cunctas vrbes amisissent, intra Paludes vrbemq; Venetias compulsi à Iulio Pontifice veniam supplices impetrarent. His enim Heluetio milite non modò Fauentiam Ariminumque, sed Rauennam & Ceruiam multis antè annis à Venetis occupatas receperat. Ex Abduana porrò victoria Ludouicus Cremona, Crema, Bergomo, Brixiaque fuerat potitus: quum eodem cursu Veronenses, Vicentini, Patauini, Feltrenses, & qui ad Carnicas alpes vergunt populi, Maximiliano Cæsari deditionem fecissent. Apuliæ autem vrbes sine vulnere Ferdinandus receperat: Atestinusque Alfonsus in Rodigina peninsula fuerat receptus. Cæterum ab Alfonso Iulius tanquam beneficiario Pontificij imperij salinarum iura quę sunt in Paduſis ad Comaclum repetebat. Eius salis vectigal Alfonsus, quòd sibi magno esset emolumento, armis defendendum existimauit, fretusque Gallorum auxilijs non vno in loco Pontificis copias cæcidit. Qua iniuria permotus Pontifex Alfonsum diris interdictoque persequitur: Ludouico regi denunciat, nisi auxilia reuocet, eum pro hoste habiturum: additque nequaquam sibi defuturos reges qui Pontificiæ dignitatis iniurias defendant. Illudens Ludouicus contempsit anathematis diras tanquam inanes metus: promotisque copijs Pontificem Bononia expulit, Conciliumq; Pisis indixit, ex cuius censura excussis Iulij moribus pontificatu pelleret. Ea res acerbius ac arrogãtius quàm deceret à Ludouico suscepta reliquos reges permouit, Henricumque ante alios Britanniæ regem tuendæ religionis maximè studiosum, ita vt magnis classibus Armoricas vrbes inuaderet. Nec Henrico genero religionis causa iusta Gallis arma inferenti Ferdinandus defuit, postulante præsertim opem pontifice, cui deesse non poterat, eoque libentius, quòd accita in Cantabriam Britannica classe, Iohannem Nauarræ Regem Gallorum socium, ideoque hisdem Pontificis diris execratum regno depellebat. Iulius quoque adiunctis iam sibi Venetis Ferdinandoque in societatem facilè ascito (quòd huic ex iure pontificio Neapolitanum regnum adijudicasset) conductisque Heluetijs, graue bellum Gallis vndique concitarat. Cuius belli is demum exitus fuit, vt commisso ad Rauennam cruentissimo prælio, Galli quidem victores euaderent, sed tanto accepto detrimento, vt incumbentibus Heluetiorum Venetorumque copijs intra septuagesimum diem Italia pellerentur. Quod dux ipse Gasto Foisseius cum Alegria vetere nobilique duce, præfectisque alarum & cohortium ferè omnibus interfectis, in ipso victoriæ limine cecidisset. Neque enim Palicia Gastoni suffectus, quanquam id nouorum hostium aduentus flagitaret, reparare copias potuit, pernegante Quæstore Normandio, se in ipsa victoria regijs pecunijs abusurũ. Itaque desperata pecunia, secundi consilij rationem secutus, equitatum incolumem in Galliam perduxerat, vt terrę patriæ opem ferret, quæ maritimo bello à Britannis, terra verò ab Heluetijs, qui in Heduos penetrassent, grauissimè premeretur. His rebus in Hispania nunciatis, quum per omnia templa supplicationes agendis gratijs haberentur, belloque finem impositum, ex ea celeri victoria Ferdinandus existimaret, ad Consaluum continuò perscripsit, vt institutum cohortium turmarumque delectum intermitteret: classeque dimissa nobiles equites, quos euocasset, aut qui sponte nomina dedissent, domum remit-

teret, gratiasque publicè Deo Maximo & Diuis omnibus tota Bæthica agen-das arbitraretur, qui Italia metu liberata, maturiorem opinione hominum admirabilemque victoriam Sacrosancto Pontifici aduersus execrabiles dirisque implicitos hostes tribuissent. Nullo vnquam acerbiore nuncio Consaluum mente perculsum ferunt, nulloque milites, vel aduersi casus, vel acceptæ cladis perturbatione magis consternatos dux quisquam vidit, vt profectò mirum videri posset, eum virum quem nulla vnquam pericula, nullique aduersæ fortunę impetus ex arce consilij deiecissent, priuatum animi dolorem publica lętitia lenire nequiuisse. Id enim expectabat vt occasione tanti belli quo haud dubiè supremo virtutis conatu edito, pręstantissimam operam esset nauaturus, emulorum animi subacta inuidia frangerentur. Constat enim inter primos sermones suspenso ore dixisse adastantes. Ergo secus ac ipse putaram Gironius Gronius præclarus vates euadet? Quando vti perurbanè figurabat, meam nauem secundo ęstu mirificè subleuatam, obortus opportunè ventus, qui iam vela inflabat repentè concidens, sulcantem mare destituat. Nec multò post ad Anticheram, quod est oppidum medio ferè itinere inter Granatam & Malacam, ad milites, euocatosque omnes, concionem habuit summæ grauitatis, eos magnificè consolatus, vt æquo animo perferrent, si elusi à Fortuna ostendendæ virtutis & parandæ gloriæ concepta spe decidissent: æquum enim esse, vt publica vota priuatis anteponerent, et vti fas esset communi victoria lætarentur, se verò daturum operam, vt ipsos neque studij sui erga regem quod præclarissimum extitisset, neque damnorum & itinerum quæ amore sui nominis & spe laudis suscepissent, omnino pœniteret. Reliqua autem sperarent ex regia liberalitate: vnum enim quenque se per literas mirificè commendaturum apud regem, nec dubitare quod esset æquissimus, quin munera viritim daret, quibus suscepti emensique itineris, & rerum omnium sumptus benigna manu sarcirentur. Demissa autem concione, vbi ex foro domum est reuersus, pronunciauit se cunctis donatiuum triduo daturum. Id constabat partim signata pecunia, quæ gregario præsertim militi præberetur: tum verò argento elaborato, auro textili purpuraque, et fericæ telę omnis generis, colorisque in vestes copia ingenti, equis item nobilibus, pictisque tentorijs, inauratis armis, & castrensibus lectis, quę tot tantaque fuerant, quòd ea omnia mercatores lucri causa tanquam ad nundinas Corduba, Hispali, Medina, Valentia Granataque attulissent, vt centum millium aureorum nummûm summam superasse credantur. Ea verò tanta liberalitate diuisit, vt nec domesticæ suppellectili parceret, ipseq; iam multorum fœneratorum malum nomen fore putaretur, quum oppignoratis aliquot oppidorum redditibus ex graui vsura planè decoqueret, ridentibus æmulis quòd inani sumptu, vt regiæ opulentiæ odiosum specimen præberetur, domum suam rebus omnibus exhauriendam superbè temereque suscepisset. Ferunt regem ab occulta malignitate Consaluum eneruatis opib. existimatione spoliare cupiuisse, propterea iniecisse spem, vt primo Vere insequentis anni, eodem apparatu in Italiam enauigandum foret: scilicet vt discedentium militum voluntates munere ingenti redimere cogeretur. Sed quanquam id à clarissimis Hispanię regulis acceperim, nequaquam tamen adduci possum, vt id ex omni parte verum putem, ne prudentis & maximè compositi regis fama temerè sugilletur. Quid enim nisi temerè de Consalui animo

atque

atque opibus ei timendum fuit, qui pacatissimis Hispaniæ imperijs nouum Nauarræ regnum adiecisset, victorque in Italia pacis & belli arbiter crederetur? Verùm non multò post Consaluus ex suprema liberalitate incomparabilem gratiam meritus, in Loxam se condidit, ex eo hercle seipso beatior, quòd nemini suo nomine fidem fefellit, rectèque & fortiter factorum conscientia lætus obuenientem vltrò gloriam adsequeretur. In eo itaque ocio, quod ad biennij spacium sese extendit, tanquam occupatus in præcellenti erectæ mentis negocio versabatur: animum enim magnâ semper & excelsa petentem, maximarũ rerum cogitatione recreabat. Insigni nempe curâ sumptuque institutum habebat in omnibus vrbibus quę principatum nomen præferrent, non in Europa modò, sed in Asia atque Africa, vt per certos idoneos homines, quæ bello paceque gesta essent, ad se accurata fide perscriberẽtur, sic vt facilè singulis propè diebus accideret, vt de grauissimis admirandisque rebus certior factus, cuncta vti accidissent, præsentibus amicis recenseret, & his qui longè aberant officiosè communicaret. In eo duorum annorum curriculo quo eius vita finita est, stupendæ rerum omnium commutationes inciderant, cum secus ac multis antea seculis accidisset, totus planè terrarum orbis ingenti armorum motu quateretur. Audierat Iulio Pontifici vita functo, quo nemo in tuenda augendaque pontificij imperij dignitate, vel maior, vel constantior fuit, Leonem Decimum qui ingenijs faueret, aureæque pacis mores inueheret, successisse: desumptaque triplici corona, eodem die redeuntis anni, eodemque in equo quo ad Rauennam in acie captus fuerat, sub vmbella triumphasse. Paucos quoque post dies didicerat Tramulium atque Triuultium summos Gallorum duces ad Nouariã à paucis Heluetijs eruptione profligatos: Transisse autem in Morinos cum ingentibus copijs Henricum Britannię regem, qui cum Maximiliano Cæsare coniunctus, intra paucos dies fuso fugatoq; totius Galliæ equitatu, Terouanam Morinorum, et Tornacum in Neruijs, insignes vrbes in potestatem redegisset: ijsdemque diebus Iacobum Quartum Scotorum regem ab Hauardo Surreio ad Tuedum deleto Scotorum exercitu acie victum, ac interfectum, indeque nec transacto quidem mense, Venetos ad Vicentiam à Cardonio Prosperoque Columna luctuoso prælio superatos. Sed his quæ partium studijs Ferdinandi regis voto secundissima euenerant, externa quoque nostrorum & Barbarorum regum prelia ampliore cum voluptate miscebantur: nam confecta pace inter Gallos atque Britannos Ludouicus rex deducta in matrimonium Henrici sorore, imbecillus senex, in ipsis nuptijs fato concesserat, Frãciscusque gener Rex fuerat declaratus. Vladislaus porrò Pannoniæ rex consternatis ad arma viris agrestibus, periculoso circumuentus bello, Bornamissa duce, rebelles acie victos, meritis supplicijs affecerat. Constantinus item Ruthenus Sigismundi Sarmatiæ regis auspicijs innumerabiles Moscouitarum copias ad Smolenchum supra Borysthenem memorabili acie superarat. Ipsi verò ad orientem Selymus Turcarum, & Sophus Hismael Persarum, maximi Reges, inter se armis contendebant: eoque deducta res fuit, vt ad Artaxatam Armeniæ vrbem, Calderanis in campis, cruentissimo prelio certaretur, victo re quidem Selymo, quum vulneratus Hismael, ex prima acie ad interiora Mediæ se recepisset. Sed honestiora iocundioraque videri poterant, quæ interim de Lusitanorum victorijs scribebantur: eos enim extremum Aethiopiæ pro-

montorium ad Antarcticum magnis classibus transcendisse, subactisque totius ferè Indiæ regibus, præter Arabicum & Persicum ingentes sinus ad Melaceam aureæ Chersonesi, ipsamque demum insulam Taprobanam peruenisse, aromatumque omnis generis natale solum reperisse constabat, conterritis passim earum gentium innumerabilibus copijs & classibus, quum tormenta ænea displosissent. Pari quoque cum voluptate, & maiore quoque Castellanorum gloria incogniti orbis efferæ gentes, & Antropophagi dirum genus narrabant, quum Ferdinandi regis classes alterum & propè immensum terrarum orbem pernauigato ad occidentem Oceano reperissent, vnde tantum fossitij auri, et margaritarum gemmarumque in Hispaniam augendis publicis priuatisque opibus referretur. Dum in istis oblectationibus nequaquam ingenita, sed accersita iocunditate vitam traduceret, in duplicis quartanæ morbum non quidem natura difficilem, sed seni, præcipueque ex euentu rerum minimè læto planè mortiferum incidit, traductusque à Loxa Granatam climacterico ætatis anno, in complexu vxoris, Heluiræque filiæ, susceptis Christianæ disciplinæ sacramentis expirauit, postridie Calendis Decembris anno à partu Virginis supra millesimum & quingentesimum decimo quinto, quum vixisset annos lxij, menses tres, & dies vndecim. Tumulatus est circumpositis ad sepulchrum centum vexillis in æde Diui Francisci, parentarunt que ei iustis exequiarum honoribus adhibitis, Inicus ipse Mendocius, Tendilius Granatæ prefectus, & reliqui Cordubeæ gentis proceres. Manricam porrò vxorem, quæ ex testamento in tutela rerum omnium remanserat, rex Ferdinandus humaniore epistola congestis in defunctum innumeris laudibus est consolatus, ita quidem vt ipse paucos post dies Magnum cœlestis itineris ducem consequeretur. Intra enim quadrageſimum diem rex ipse apud Madrigaletium vicum excesit è vita. Interijt autem Consaluus ijsdem diebus, quibus Franciscus Rex Galliæ Heluetijs ad Mediolanum ingenti prælio superatis, vt cum Leone Pontifice de republica consultaret, Bononiam peruenit. Ferunt nonnulli quibus integram fidem minimè tribuerim, Consaluum paulo antequam moreretur, cum præpotentibus suæ factionis regulis conspirasse, eo animorum decreto vt Ferdinandus vlterioris Hispaniæ regno repentina ipsorum manu extrusus, ad Tarraconenses suos redire cogeretur, restituta quidem eius filia, quam pater astuto consilio vti mente commotam in ignobile oppidum curandæ valetudini coniecisset, Carolumque subinde eius ex Philippo rege filium è Belgis euocaret, qui iam quindecim annorum adolescens, præclaram administrandi imperij indolem preferret: cuius auspicijs, quòd paternos amicos de nomine iampridē agnouisset, vindicare iniurias, & aduersæ factionis opes deprimere cogitarent, supra verò conceptū facinus Consaluus multo maiora moliretur, Ferdinando scilicet Aragonio Federici regis filio, ex Setabæ arcis custodia erepto, vt præstita fide q̄ adolescenti temerè dederat, animum iusiurandi religione exolueret, ac ei paternū regnum redderet, ea conditione, vt pēso annuo tributo Hispaniæ regū beneficiarius esset, Heluiramq; ipsius filiam vxorē duceret, dotisq; nomine ea oppida atq; vrbes, quas ipse possideret, ad antiqua regni iura reuerterent. Tantum enim poterat odium ex repulsa Compostellanæ dignitatis conceptum, vt hæc quanq̄ supra æquum peracerba alienaq; ab eius ingenio videantur, non omnino temerè credi possint.

Fit enim

Fit enim plerunque apud ſummos principes, vt ingentis beneficij merita, vbi modum exceſſerint, quòd iuſtis præmijs exæquari nequeant, inſigni demum iniuria perſoluantur. Tum hercle liuor & odium pro gratia maximè vigent, quum non planè generoſi principes alieni meriti magnitudine obruuntur, isque falſæ rationis viam inuenit, vt turpiſsimo nomine ingratus euadat. Sed hoc clariſsimis ducibus fatale videtur, vt in vltimo vitæ actu circumuenti inuidia imminutaque dignitate in ipſo contumeliæ dolore moriantur. Quid enim aliud (vt antiqua exẽpla Coriolani, Alcibiadis, & Narſetis omittamus) quàm hic dolor Borbonium atque Nauarrum præcipites egit: vt hic contra gentis ſuæ nomen damnata arma ferens in carcere eius arcis, quam manu ceperat, mi ſere interiret: ille verò et ſuæ patriæ proditor ſceleſtus, & communis impius euerſor in limine diri facinoris pœnas daret? Sic vt Conſaluum quanquam prealtè à rege alienatum nequaquam crediderim eò progredi auſurum fuiſſe, vnde nullus ſine inexpiabili dedecore receptus foret. Quòd ſi animo ex quartanæ febris atra bile cõmoto, id omnino ſcelus patrare concupiuit, hoc vno, quòd nihil extra cogitationem vetere ſua fide atque prudentia indignum admiſerit, ſeipſo beatiorem exceſsiſſe vita fatendum eſt. Quid enim veræ gloriæ tropheis onuſto optatius atque felicius accidere potuit, quàm vt integra nominis fama ſublimis ille animus in cælum, vnde venerat, euolaret?

EPITAPHIVM CONSALVI
Ferdinandi Magni Ducis, per Phaernum Cremonenſem.

Parta ducum tumulis aliorum ex hoſte trophæa
Quæſitique inſcribantur virtute triumphi.
Nos Conſalue tuo nec fortia facta ſepulchro,
Nec magna imperia, aut actos ſcalpemus honores
Non Gaditana exactos trans æquora Mauros
Atque aſſerta tuo regna olim Bæthica regi:
Nec duce te adiutos ab eo ſelicibus armis
In Turcam, Venetos, Cephalænum gente recepta,
Nec Calabros motus, aut Parthenopeia bella,
Atque redundantem Gallorum ſanguine Lyrim:
Quippe etenim hos titulos, atque hæc monumenta, tibi olim
Virtutes poſuere tuæ, quæ ſparſa per orbem,
Perque aures, perque ora virûm mentesque repoſta
Nomine cuncta tuo, vtque æterna laude replerunt.
Quare hæc ſufficiat memorando inſcribere buſto,
CONSALVI; *Magnique ducis, qui nomina geſſit*
Hic iacet, illud ei pater, hoc dedit inclyta virtus.

PAVLVS IOVIVS NOVOCOMENSIS EPISCOPVS NVCERINVS

IOANNI BAPTISTÆ CASTALIO

apud Carolum Cæsarem castrorum Magistro

S. P. D.

Circumspectanti mihi cuinam libros de vita & rebus gestis Ferdinandi Piscarij in publicum prodeuntes commendarem, tu solus ante omnes occurristi, qui dignus eorum patrocinio viderere. Opus enim vt facilè prospicio, multorum obtrectationi expositum, aduersus liuidos malignè pleraque interpretantes, luculentissimo indiget defensore: nec quisquam hodie superest è tot ducibus, qui te ipso consiliorum omnium rerumque gestarum locupletior atque viuidior testis esse possit, quem ab ineunte ætate in eius præstantissimi ducis contubernio perpetuaq; amicitia clarus, quòd alæ equitum præesses omnibus bellis, & singulis prope expeditionibus interfueris, scilicet vt mirificæ eius virtutis sedulus & felix æmulator euaderes, vnde tibi postea & insignes tituli, & decora probatæ virtutis ornamenta ad perennem laudem obuenerunt, quæ modò vel per se satis speciosa, inuictissimi Cæsaris iudicio castrorum Magister effectus, peracta latè Germania, partis nouis insignibus cumulasti. Debes itaque hoc supremum defensionis munus memoriæ tanti viri, à quo tot documenta exactæ disciplinæ te didicisse profiteris. Quòd enim aliud Piscarij manes vsu nobilius officium expostulant, quàm eius gloriæ obtrectatores, si fortè existant, ea fidei constantia refutentur, qua viuum et meriti triumphi laude florentem coluisti? Liquet enim apud omnes quum in manibus tuis expiraret suprema voce nihil tibi potius delegasse, quàm vt pro virili totius Daualæ domus decus tuerere: hoc idem quoque à te exigit Victoria Columna æquatis virtutibus eo coniuge dignissima, quæ à te omni tempore studiosè culta, nuper æternæ lucis auida, ex his terræ tenebris ad superos euolauit. Neque tu propterea huius officij operam remiseris, quòd ea gloriam contemnere Christiana pietate videretur, quum eam sponte venientem dissimulare potius quàm spernere ineptè existimari posset, secus ac de ipso Alfonso Vastio suspicari fas erat, qui modò cum multis nostris lachrymis immatura morte ereptus, vti Piscarij patruelem, & tantarum opum imperijque militaris successorem decuit, veræ laudis erat cupidissimus, quum excelso ingenio cunctas belli & pacis actiones ad decus reuocaret. Sed vtrunque nostrum ex mœrore approperati eius obitus assiduè lugentes mirificè consolari potest, hic ipse Vastij filius summæ spei adolescens, ab illustri indole dignus hoc bene auspicato Piscarij cognomento, qui dudum officij causa ad Philippum Hispaniæ regem designatum nauigauit: nihil enim in eo plus optauerim, quàm vt te militarium & ciuilium morum lectissimo formatore atque magistro, id quod facilè speramus cùm patris, tum patrui absolutæ virtutis specimen referat. Quantum verò ad me attinet, ita huius ingenij laboris famam improbè fugillantes despiciam, vt meorum rectè integréque scriptorum conscientia fretus, et in vita, & post mortem eos omnino contemnendos putem: præclara enim veritas supra calumniæ nebulas facilè emicat, et qui fide integra bonos mortuos colit, viuos conciliat. Vale.

PAVLI

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI IN LIBROS DE VITA & rebus gestis Ferdinandi Dauali cognomento Piscarij Præfatio.

AD VICTORIAM COLVMNAM eius vxorem.

QVID est, Victoria Columna, in prȩcipuis honestissimæ vitæ tuæ votis, quod ad summam felicitatem vel dij maximè propicij, vel mortales longè gratissimus cumulatè tribuere possint, id vnum esse arbitror, vt Piscarij viri tui memoria fidelibus nec ineptis literarum monumentis ad posteros transmittatur, vt quæ tua est virilis atq; eximia pietas non inanibus lachrymis, sed ȩternis honoribus inusitatę admirabiliq; virtuti illius inuictissimi ducis debita prȩmia persoluantur, habeatq; interim posteritas tuo maximè munere, ad solidæ veræq; laudis exemplum, quod domi militiȩq; feliciter imitetur: & discat, vt nequaq̃ ambitioso rerum inanium titulo, verùm factis illustribus, non adumbratę, sed certissimæ gloriæ fructus quęratur: nam sicuti sepulchra marmorea, & æneas equestres statuas, quæ sum̃um liberalitatis & pietatis nomen magnificè paras condidisse, nimis operosum videtur, & nequaq̃ pro merita laude diuturnum, quando ea ignauis etiam & imbellib. contigerunt: ita hæc ad veram perpetuò victuri nominis effigiem scripta, & expressa diligenter, vti extra temporis vel hominũ iniuriam posita omnem prorsus vel maximè sumptuosorum operum nobilitatẽ antecedent. Id nos si non felici (vt speramus) alacri certè fideliq; labore prȩstare sumus adnixi, quũ eorum hominũ qui simul et egregiè possent et vehementer vellent, in hoc difficili munere operã collocare, magna penuria esse censeretur. Scripsimus hęc ea fidè qua vniuersam horum temporũ historiam condidimus, admiratione ingenij & virtutis tuæ ducti: cui sicuti in hoc funesto seculo, cùm priuato tum publico literatorũ nomine plurimũ debemus, ita Piscario vlla in re peculiari beneficio nos obligatos esse diffitemur: quanq̃ ille nos bello & pace non iniucũda sȩpe familiaritate cõiunctos habuerit, vti nunc hereditario quodã iure, in amicitia Alfonsi Vastij patruelis imperatoris optimi, lætissimè floremus. Probauere noñulli erudito iudicio insignes, vt hæc dũ ætate integra, ac in hac prȩclara Romana luce prȩcellentium hominũ censura frueremur, vel præcipiti iudicij libertate in publicũ ederentur, scilicet vt cum aliqua pudoris labe existimationi seruirem meę, cum integritatis & diligentię famã cunctis eloquentiæ laudibus anteponam, idq; vnum tanq̃ in historia prȩcipuum magnoperè spectem, vt inconcussa scriptis fides astruat: hæc enim fortasse me mortuo ab imperitis vel inuidis, veluti certissimo teste sublato, improbè refelli posset. Itaq; si hæc eo animo quo scripta sunt accipies, iam tota ingenui laboris merces vel sperata impudẽter, vel benignè debita cumulatè referetur. Quum enim virili ingenio vsq; eò excellas, vt præter solutæ orationis laudem, poeticis etiam numeris cum prȩcellentibus vatibus contendas, gratiaque regum & fortunę amplitudine plurimũ prȩstes, si de his rectè vel potius indulgenter (quòd maximè cupio) iudicaueris; etiam sola vel mediocris laudis commendatione cuncta persolues Vale.

FER. DAVALVS

SI præclaras corporis atque animi virtutes cum perpetua rerum geſtarum felicitate conferamus, proculdubio Ferdinandus Piſcarius, non æquales modò ſuos bellica laude, ſed ſuperiores etiam duces anteibit. Nam ſi eos qui manus cum ipſo contulerunt, enumerare velimus, liquidò conſtabit, fermè omnes aut cæſos, & captos ab eo, aut inſigni accepta clade fuiſſe profligatos. Porrò ſi quis eorum famam excuſſerit, qui ſecum in Cæſarianis partibus arma tractarint, ad uerſam profectò fortunam aliquando ſubiiſſe reperiet: quum ipſe omnib. bellis ſemper inuictus nullam ab iniquo Marte iniuriam acceperit, niſi quum ad Rauennam primis ſtatim ſtipendiis dux pariter & miles, cruenta illa acie dimicauit: tum enim Fortuna, quæ mox benigno vultu ſe conuertit, viſa eſt omne id totum quod fuerat fatalis odij reliquum, egregia fide conſumpſiſſe. Ortus eſt Ferdinandus ex familia Daualain vlteriore Hiſpania prope Toletum, vetuſta

vetuſta potius quàm illuſtri, ſed cui Rodoricus proauus magnam claritatem attulerit. Is enim ingenio excelſo, & vi ingenti corporis, quum iuuenis adhuc prouocantem Luſitanum equitem ſpectante vtroque exercitu, ſingulari certamine confeciſſet, tantùm ſibi ſtudium ab omnibus militum ordinibus, tantamque apud regem beneuolentiam illo clariſsimo facto comparauit, vt non multo poſt Magiſter equitum ſit effectus: qui honos militiæ ſummus vnis antiquæ nobilitatis regulis demandari erat ſolitus. Ex hoc Rodorico natus eſt Inicus, qui auſpicia Alfonſi regis Aragonum ſecutus, in Italiam venit, prælióque nauali ad Pontias cum ipſo Rege eadem in naui à Liguribus captus eſt. Is ex armigeris pueris intimus erat Alfonſo ob indolem ab omni virtutum concurſu gratiſsimam. Nec multò poſt, quum Philippus Vicecomes præclara ingẽtis animi liberalitate, Alfonſum libertate donauiſſet, magnisq; auctum muneribus ad recuperandũ Neapolitanum regnũ dimiſiſſet, ab rege impetrauit, vt Inicus apud ſe Mediolani relinqueretur: namque is adoleſcens eruditis moribus & ſuauitate oris Philippi animum ita oblectabat, & ceperat, vt inter cariſſimos emineret. Mortuo autem Philippo, ad Aragonios rediit, optimarum literarum, & diſciplinæ militaris ornamentis vehementer excultus, vnde mox cunctis, & Regi in primis charus, vxorem promeruit longè omnium nobiliſsimam, atque ditiſsimam ex antiqua Aquinatum regulorum familia, è qua D. Thomam natum eſſe conſtat, inter Chriſtianos profeſſores pietate, ac ſacrarum literarum ſcientia præcellentem. Huius vxoris præſenti dote, ac demum inſigni multorum oppidorum hæreditate Inicus fortunas ſuas opportunè ſtabiliuit, præfectura etiam ærarij & totius cenſuræ rationum regiarum atque item perampla domo in qua ſeptemuirale iudicium exerceretur, à Ferdinando rege liberaliter honeſtatus. Vixit multos annos in perpetuo quodam Regalis vitæ ſplendore, & ob id in ſumma ſemper familiaritate Ferdinandi regis, qui in vtraque belli Andegauenſis fortuna fortem eius fidelémque operam fuerat expertus. Vltima verò ſtipendia (vti pium decuit) in publica Chriſtianorum cauſa aduerſus Turcas iam ſenex apud Hydruntem exoluit, Alfonſo ſecundo militiæ comes datus. Nec multò poſt confectum bellum Neapoli moritur, tres ante alios relinquens impuberes filios maternæ pariter ſubſtantiæ & paternæ virtutis hæredes, Alfonſum ſcilicet, Rodoricum & Inicum. Alfonſus natu maximus ab Aterno Apuliæ oppido amneque fatali caſu Magni Sfortiæ claro, quod hodie Piſcaria dicitur, Marchionis Piſcarij cognomen adeptus, huius Ferdinandi pater fuit, vir omnibus fortuna naturæque muneribus inſignis. Etenim quum Ferdinando iuniore à teneris annis educatus, corpus atque animum armorum & literarum ſtudijs pariter exercendo excolendoque facilè Neapolitanorum procerum præſtantiſsimus euaſerat. In hoc ſiquidem iuuene omnia ſumma inerant, ſcilicet ſupra viuidum, atq; habile corporis robur, incredibilis animi vigor, literæ, prudentia, diſciplina: quibus fretus in adminiſtratione Gallici belli quod in Æmilia via geſtum eſt, facilè Triuultio & Petiliano eximijs ducibus æquabatur. Neapoli verò quum Galli Alegria duce ab arce in portum erupiſſent, diſiectisque munitionibus cuncta cædibus atque terrore compleuiſſent, vnus ante omnes Alfonſus incredibili virtute pedeſtri protectus ſcuto, repreſſa ſuorum fuga, per interiores ſcalas in molem euolauit, contemptoque omni tormentorum periculo, Gallos

ita repulit, vt multis cæsis, aut ex fuga in subiectum mare præcipitatis, Phariq; turre subinde recepta, populus Neapolitanus eum illo die Seruatorem patriæ appellarit. Verùm non multò post per hunc modum cunctis in locis Ferdinando strenuè operam nauantem & summo omnium studio ad militarem gloriam prouectum immitis fortuna deseruit. Dum enim circumuallatis in arce Gallis, cum seruo natione Mauro incendendæ classis cõsilium agitaret, & ex condicto pretium perfidiæ deferens, noctu ad summum hortorum parietem scala peruenisset, perfidia serui adacta per guttur lunata sagitta crudeliter est interfectus. Nunquam ab vlla hominum memoria aut rex vllus amicum & propinquum, aut vllus exercitus ducem, aut vlla ciuitas ciuem suum morte sublatum vel grauiore mœstitia, vel vberioribus lachrymis honestauit. Eandem quoque fortunam tulit Rodoricus frater vir impiger & fraternę virtutis æmulus, qui secundo bello Gallico, quum pedestribus copijs præesset, apud insulam Arpinatis agri vicum, Sclopetto caput ictus interijt. Neque eadẽ vis fati plus iusto Daualis proceribus infensa, Indico diu pepercit, iâm bellica laude insigni & iuuenum omnium longè pulcherrimo. Is post exactum regno Federicum Aragonium, cùm de finibus Lucaniæ Galli atque Hispani inter se decertarent, perosus Gallorum nomen vti Daualę familię funestum, Hispanis adhæserat, Ænariæque insulæ præfectus cum Gallis terra mariq; contenderat, ad extremum Salerni arce cum singulari Magni Consalui commendatione fortiter expugnata, dum ad id bellum properat, quod ad Lyrim amnẽ Hispanus victor cõfecit, pestifera febre paucis dieb. absumptus est, eo acerbiore omnium dolore, quòd illustrẽ familiam summę spei, summęq; laudis ducib. orbatam videbant, quorum nemo ad trigesimum ætatis annum incredibili Fatorum iniuria peruenisset. Moriens Indicus Alfonsum filium, quem hodie omni bellica laude florentem Cęsarianis in castris imperatorem videmus, in cunis reliquit. Cæterùm ab Alfonso qui Punica seruilique perfidia cecidit, hicipse Ferdinandus paterno cognomine Piscarius admodum puer est relictus, qui intermortuum familiæ nomen, maximis rebus gestis (vti mox dicemus) ad nunquam interituram Daualorum memoriam egregiè reparauit. Natus est Neapoli Ferdinandus, matre Cardonia apud Siculos illustri, quæ quatuor insignium bello ducum soror fuit. Infans cùm primum materno vtero editus in lucem prodibat, ex tenui membrana vestem amplissimam secum extulit, veluti militare quoddam paludamentum ex paterno maternoque semine haud obscuro iuræ hæreditatis tantæ indoli destinatum. Habuit in Genesi circa cœli verticem sydus Martis directo cursu sua in sede constitutum, & quo felicius victoriæ pararentur, salutaribus Iouis radijs delinitum: vnde Pontanus supra eloquentiæ laudem, etiam syderalis scientiæ peritissimus, inspecto themate victorias & lætissimos triumphos puero sit pollicitus. Itidem etiam monens vt faciem aduersus vulnera diligentissimè præmuniret, quasi ex ferro Mars alioqui benignus, honesto ori deformitatem, vti postea euenit, manifestè minaretur. Puer vt primùm ingredi firmiter & loqui distincte cœpit, adeò multus & assiduus fuit in ludis & simulachris rerum bellicarum, vt iam nequaquam obscura eius inusitatæ virtutis indicia præberentur. Puerili etenim cupiditate parua currulia tormenta effingendo & grauiter concionando, præferendoque vexilla sequentibus pueris, &

ris, & multiplices pugnas committendo, cuncta munia imperatoris imple-
re videbatur, obsecrante sæpe Musephilo præceptore, vt ingenium ab his i-
nanibus ludis ad literarum Latinarum studia reuocaret: sed ille quum esset
literis studendum, historijs potius & fabulosis carminibus vernacula & præ-
sertim Hispanica lingua conscriptis oblectabatur, quibus heroum & fortissi-
morum equitum admiranda facinora celebrantur. Erigebat enim animum ad
gloriam anhelantem in spem consequendæ laudis. Agebat autem sextum deci
mum ętatis annum, quum Ferdinandus rex Hispaniarum Neapolim venit, vt
Magnum Consaluum affectati regni suspicionibus obnoxium, in Hispaniam
secum adueheret. Eius aduentus summo studio Neapolitanorum est celebra-
tus, & in primis matronæ omnes quæ forma & dignitate cæteras anteibant,
in amplissimo conuiuio regijs oculis ostentatę. Ministrabat fœminis ornatissi
ma iuuentus, quæ mox remotis mensis choreas duxit. Quo in ludo Piscarius
ante alios, tanta arte, tantaque numerosi incessus grauitate omnes saltationis
modos adimpleuit, vt rex ipse prudentia & iudicio maximè insignis, quum o-
culos in vnum Piscarium conieciſſet, palam diceret ad proximos proceres di-
gito Piscarium indicans: Ille adolescens ex gestu certaque oris indole supra
hos omnes, magnus quidem imperator esse videtur: & si me opinio nequa-
quam fallit, omnium euadet longè præstantissimus. Hoc de se tanti regis iu-
dicium nequaquam elatis aurib. accepit, præfatus, regem qui se adolescentem
immatura laude honestare voluisset, grauissimum pondus teneris humeris im
posuisse, quando sibi magnopere bello & pace foret desudandum, si promere-
ri eam laudem vellet, quam sibi rex iusto propensior adeò benignè obuentu-
ram esse prędiceret. At Piscarius rege in Hispaniam reuerso in paterna oppida
cõcesit, quæ sunt partim in Ferentanis & Samnio, partim in Campania & Pi
centinis, vbi auditis populorum controuersijs, ac inspectis Quęstorum & Prę
torum rationibus, summa ęquitate & moderatione singulas rerum difficulta-
tates solertissimè dissoluit. Quibus actionibus apud omnes qui in ditione eius
erant singularem grauitatis, & munificentiæ laudem est consecutus. Nec mul-
tò pòst regio apparatu nuptias cum Victoria Columna celebrauit. ea enim
vixdum trima Ferdinandi iunioris Aragonij regis auspicijs, ipsi Piscario ætate
fermè pari fuerat desponsata, quum Fabritius Victoriæ pater, vigente Gallico
bello ad Aragonias partes transiuisset: initaque cum Alfonso Daualo amici-
tia, in gratiam regis etiam vinculum affinitatis addendum esse censuisset.
Quasi tum Piscario in cunis adhuc vagienti, quando vnicus ætatis suæ fauen-
tibus castris futurus esset imperator, eam vxorem fortuna desponderet, quæ fa
tale Victoriæ nomen, vti dotale munus, in mariti domum ferret, & ipsa vna
omnium pietate, forma, literis, nobilitateque lectissima, viro inuictissimo ra-
ra quadam mutuæ sortis felicitate iungeretur. Nec multum inde Piscarius
quum aliquandiu frustra à fuscipiendis liberis operam dedisset, ad nobile il-
lud Gallici belli classicum excitatur: incredibili nanque armorum cupiditate
semper incensus, nihil magis quàm bellum quo virtus enitescere posset, exo-
ptabat. Erat tum Iulij pontificis dignitas maximis Gallorum iniurijs deforma
ta, & penè conuulsa radicitus: eam Ferdinandus Hispaniæ rex, vti pium & ve-
rè catholicum decebat, tuendam amplificandamque susceperat, disruptoque
demum fœdere Cameracensi, Henricus Britanniæ rex, & Heluetij bellica vir-

tute metuendi in partes trahebantur: nam cunctis fermè totius Europæ principibus Gallorum vires secundis successibus in immensum adauctæ formidini esse cœperant: ceu Ludouicus rex Gallus immoderata cupiditate Italiæ imperium affectaret, vtpote qui opulentissimo Mediolanensium imperio in potestatem redacto, subactis Liguribus, Venetis ingenti prælio superatis, nihil demum sacrosancti Pontificis maiestate permotus, dum Alfonsum Atestinum pontificis beneficiarium pertinacius defenderet, Bononiam Pontificiæ ditionis occupasset, & Bentiuolis veteribus tyrannis possidendam tradidisset. Igitur qum Bononiam armis repetere statuissent, Nauarrus vir sine vlla familiæ commendatione propter singularem belli peritiam summos militiæ honores promeritus, legiones ex Africa transuexit, & Iulius pontifex exercitum magna celeritate reparauit. Certatim quoque Neapolitani reguli sese militaribus equis, & speciosis armorum insignibus exornarunt. Ante alios verò Piscarius sagula, cristas, equorumque tegumenta Phrygijs & acu pictis operibus, ex auro & purpura ad singularem elegantiam maximè sumptuosa parauerat. Is quanquam ferè imberbis propter mirificam indolem & patris patruorumque memoriam totius leuis armaturæ equitum præfectura dignus omnium iudicio existimatus est. Nam Fabritius Columna socer, & duo auunculi è gente Cardonia, Ioannes Auellinus & Antonius Paduli us, quorum in exercitu singularis erat authoritas, efferre iuuenem, & perpetuis durissimi eius muneris laboribus implicare cupiebant: quando ad parandum nomen Ducis strenui, prompti, vigilantis, nulla certior aut rectior via famæ cupidis ostenditur, quàm leuem armaturam cum imperio ductasse, quoniam per eam cuncta aspera & tumultuaria conficiantur, & nocturnis atque diurnis expeditionibus ductores exerceantur. Lætus hoc honore Piscarius, vexillum prætulit, in quo scutum Laconicum erat depictum, cum titulo seueræ matris Spartanæ, tyroni filio, aut cum hoc, aut in hoc redire iubentis: quasi idem animi decretum exprimeret, quo testaretur se domum nisi victorem non esse rediturum. Neque hominum opinionem fefellit: nam vbi coniunctis exercitibus Pontificij ac Hispani duces ad oppugnandam Bononiam peruenerunt, & magna vi tormentorum effossis etiam cuniculis mœnia quaterentur, Piscarius totum id munus quod leuis armaturæ equitibus imponitur, adeò diligenter obibat, vt in stationibus atq; vigilijs, et in quotidianis frumẽtarijs expeditionibus, vnum eius vexillum conspiceretur, quòd turmarum præfecti peculiaria signa aliâs explicare soliti, ad præclaram honoris concessionem obseruabant. Cæterùm Gasto Foisseius admirandæ virtutis adolescens imperator, repressis semel apud Comum, atque iterum ad Mediolanum Heluetijs, quos Iulius in auxilium euocarat, incredibili celeritate Bononiam cum expeditis Gallorum copijs aduolauit, solutaque obsidione & Hispanis metu cedere coactis, in Venetos vim omnem ac impetum conuertit. Nec multò post Fortuna feruidi iuuenis ausibus intemperanter aspirante, auxilia Veneta in Veronensi ex itinere profligantur, Brixia per arcem capitur, cęsoque præsidio, & ciuibus insigni clade affectis, summa Gallorum & Germanorum crudelitate diripitur. Vertuntur inde Gallorum signa trans Padum, & rectà per viam Æmiliam ad Rauennę mœnia deferuntur. Ibi Foisseium conatu ingenti sed valde funesto mœnia quatientem Fortuna destituit, quæ leuis et infida lubrico

brico veſtigio illuc vſque ſubſecuta, eum ad fatalis pugnæ locum pertrahere videbatur. Commiſſo igitur illo ex omnibus quæ in Italia à multis annis acciderint, prelio valde memorabili, Piſcarius nulla in parte vel præfecti vel æquitis officio defuit. Sed afflictis & penè perditis rebus, eò vrgente fortuna perductus eſt, vnde aut maturè fugæ ſaluti eſſet conſulendum, quorundam etiam inſignium ducum exemplo, qui pugnæ ſe non ſenſim explicabant, aut (vt dignũ erat Dauala familia) inter armatos & planè victores hoſtes, omnino concidendum. Nauarrus enim inſana quadam elati animi obſtinatione inductus, non modò totum penè Gallicum equitatum, ſed ipſas quoque Germanorum cohortes abſque vllo impedimento amnem tranſire permiſerat, veluti certiſſimam atque pleniſsimam ea die de hoſte victoriam concepiſſet, confiſus ſcilicet peditum virtuti, quos depreſsiore in loco pronis corporibus humi ſtratos, vt prætreuolantes pilas euitarẽt, magis ac magis continebat, fruſtra reclamante Fabritio, & dirum pugnæ exitum denunciante. Itaque Nauarrus dum funeſto conſilio cunctatius rem gerit, decora illa Hiſpanorum & pontificiorum equitum agmina tormentis Gallicis conſternuntur, et miſerabili accepta clade, toto campo diſsipantur. Raimundus imperator & plerique alij duces effugiunt: Fabritius verò ad non dubiam mortem inuectus in confertiſsimam hoſtium aciem vulneratur, & capitur. Eo modo dum Mars violentus horribili cruentoque tumultu cuncta permiſcet, Padulius qui medio agmini præerat, priusq; vniuerſæ copiæ perpetua tormẽtorum procella delerentur, conandum ſibi aliquid conſertis manibus eſſe iudicauit, monuitque Piſcarium conglobatam ſuorum aciem in proximo continentem, vt in latus hoſtium cum omni leui armatura illatis ſignis audacter incurreret, ſicuti ipſe cum cataphractis recta fronte aduerſam aciem eſſet inuaſurus. Nea mora, Piſcarius auunculo paret, ſuos in vnum coactis alacri animo cohortatur, vt meminerint eos eſſe hoſtes quos ſuperioribus bellis in fugam ſæpiſsimè conieciſſent. Erant attributi Piſcario veluti nutritij militares, Paulus Romanus ciuis, Fabritij ſoceri veteranus, vir fortis & apprimè bello ſagax, & Theodorus Boccalus nobilis Lacedæmonius cum ala Græcorum patrijs artibus ad eludendos hoſtium conatus maximè inſignis: itemq; Albaradus Hiſpanus cum turma cataphractorum, vt validiore eo præſidio leuis equitatus ad ſuſtinendam Gallorum vim in prima acie firmaretur. Sed Padulius quum per iniquum locum foſsis & vepribus impeditum ſuos induceret, & ob id vix cum tertia equitum parte ad mediam Gallorum aciem perueniſſet, puncto temporis eſt repulſus, & diſsipatis turmis in fugam coniectus. Ipſe quoque Piſcarius eandem ſubijt fortunam: nam Galli cataphracti nihil temerè ordines excedẽdo, ſed modica tantùm equorum conuerſione in proruentes inclinando haſtas, totum eum leuis armaturæ impetum facilè ſuſtinuerunt: opportunè etiam à tergo Gallici agminis magna vis leuis armaturæ equitatus protinus erupit, qui in peramplam alam curuatus, vniuerſos feré cùm Piſcarianos tum Padulianos equites à tergo circumuenit: ita in medio concluſi vndique propelluntur atque cæduntur. Padulius gladio per oculum recepto capitur: Ambroſius vir impiger Fabritianæ turmæ præfectus, Albaradusq; et Guliermus Sacca Siculus, vir ſpectatæ virtutis ante Piſcarium cadunt. Nomicicio nobili ſignifero multis grauato vulneribus Piſcarij vexillum eripitur; ſolus Boccalus Græco aſtu feliciter euadit. Interea Piſcariũ

insignibus armisque fulgentem vndique circumuentum, promptissimi Gal-
lorum certatim petebant: ille generosum agilemque equum huc & illuc inci-
tabat, gladioque impigrè rem gerendo, obuios ita propellabat, vt bis coro-
nam circumfusorum prementium; hostium multis acceptis illatisq; vulneri-
bus perrumperet. Hærebat eius lateri Placidius Sangrius, nobilitate virtuté-
que eques insignis. Is paulo antè animaduerso imminentis cladis periculo con
uersus ad Piscarium, non virilis (inquit) est animi mactè virtute iuuenis, sed pe
nitus insani, tam diu cum infesta Fortuna colluctari, quin potius dum integer
equus viresque sufficiunt, te morti eripis, & melioribus fatis reseruas? Ad hæc
ille parerem, inquit, fidissimè Sangri, salutari consilio, si tam decora quàm
tuta suaderes: lugeant me potius amici honesta morte defunctum, quàm ego
ex turpi & ancipiti fuga, tot funera magnorum ducum domi cum ignominia
defleam, Hæc dicentem Placidius reliquit, eluctatusque per medios hostes sese
certamine explicuit. Sed in eo tumultu multis clauarum ictibus collisa galea,
post aliquot dies interijt. Interea Piscario equus per ilia gladijs lanceisque con
foditur: ipse corruit, extemploque veste aurea picta & auratis armis exutus,
pro mortuo inter tot super ingesta cadauera relinquitur. Erat ora & totum si-
num cruore puluereque fœdatus, & penè quidem ex animis, quum eum attol-
lentem manus & nomen profitentem Galli duo gregarij equites erexerunt, &
ad prætorium Federici Sanseuerini Cardinalis, vt ibi quæsito medico curare-
tur, deduxerunt: à quo nequaquam humaniter est receptus: quoniam in Bo-
nonien si agro quadam in villa ex itinere diuertenti, Piscarium cum equitibus
insidias sibi tetendisse cognouerat: & certè ea victoria plena funeribus multo-
rum animos ab humanitate & misericordia penitus auertebat. Sed eum miri-
ficè recreauit socer Fabritius incolumis ab Alfonso Ferrariæ principe conser-
uatus, atque item Auellinus auunculus, & Homicicius vexillifer, quanquam
grauissimè vlnerati, quos in acie cecidisse crediderat. Nec multò post quum
Gastonis imperatoris cadauer (is enim parta victoria ceciderat) excipientibus
id passim populis, triumphali verius quàm funebri pompa in speciem perpe-
tui funeris Mediolanum deferretur, eò etiam Piscarius cum multis nobilibus
captiuis est perductus. Inter eos fuêre Ioannes Medices Cardinalis legatus,
qui postea non toto vertente anno Pontifex est creatus, & Nauarrus tanti no-
minis dux, qui ad cohonestandas victoris exequias inter capta vexilla Hispa-
niæ regis atque pontificis, feretri lecticam præcedebat. Cæterùm Piscarius in
interiorem arcem portæ Iouis coniectus, satis honesta custodia seruabatur:
nam eum Triuultius Hippolytæ Daualæ amitæ maritus, Gallis vehementis-
simè commendabat, à quo & ab vxore eius certatim vti calamitas ferebat, reb.
omnibus accuratè & liberaliter iuuabatur. Ipse verò ante omnia prudenti con
silio in pretium redemptionis extemplò sex millia aureorum nummûm equi
tibus Gallis, quibus ad Rauennam sese dederat, est pollicitus. Verebatur e-
nim, ne Ludouicus rex Daualæ familiæ nomine offensus, quæ omnibus bellis
aduersus Gallos acerrimè dimicasset, se arctius & diuturno quidem in carcere,
in vlteriore Gallia custodiendum iuberet. Sed Triuultius qui vel apud ira-
tum regem summa erat authoritate, facilè impetrauit, vt persoluto equitibus
pretio liberè dimitteretur, tanquam tyro imberbis, & ne iterum temerè arma
resumeret, à fortuna tot acceptis vulneribus egregiè castigatus. Lege etenim

regia

regia cautum erat, ne quis dux, præfectus aut miles, vllum paulo clarioris nominis captiuum inconsulto rege dimiteret, vt edito nomine integrum regi arbitrium relinqueretur, quem vellet persoluta militi certa pecunia, publico in carcere reseruandi. Ita Piscarius singulari Triultij beneficio carcere est eductus. Dum esset in arce vulneraque curaret, nec exercendi corporis vlla daretur facultas, ingenium literis amœnioribus ex doctrina Musephili præceptoris haud mediocriter imbutum, ita exercuit, vt paucis diebus summæ iucunditatis dialogum de Amore ad Victoriam vxorem conscripserit, qui libellus adhuc extat cum grauibus tum exquisitis salibus atque sententijs, ad admirationem eius ingenij refertus. Iam enim animum per se constantem & inuictum cùm metu, tum grauibus curis exoluerat, & seipsum frequentibus propinquorum nuncijs in spem gerendarum rerum erigebat: nam Fabritium socerum, Alfonsi Atestini liberalitate dimissum fuisse, et Padulium auunculum corrupto gregario equite Gallo, è custodia feliciter effugisse audiebat, simulque ferebatur Iulius pontifex ingentes Heluetiorum copias in auxilium euocare, quorum aduentum & impetum Galli minimè laturi dicerentur. nec multis inde diebus Heluetiæ legiones, adiunctis sibi Venetorum copijs, duce Paulo Baleono, à Verona per patentes campos in torrentis morem effusa, Palicia Gallorum ducem à ponte Mincij depulerunt, receptaq; ex itinere Cremona, ad oppugnandum Ticinum conuolarunt, quo Palicia cum omnibus copijs properanti agmine se receperat. Verùm ille peditatu impar, cùm ab hoste qui traiecto Ticino amne, Insulam occupare contendebat, præcludi sibi exitum animaduerteret, ponte lapideo sese effudit, et continenti agmine desertis, Germanorum auxilijs, incolumi equitatu in Galliam se proripuit. Eiectis eo mdo Gallis, Mediolanenses in verba Maximiliani Sfortiæ continuò iurant: idem faciunt cęteræ vrbes, summaque omnium alacritate Sfortiani recipiuntur. Erat tum Piscarius Mediolani & in Triuultianis ædibus habitabat, incredibili affectus voluptate mirum in modum lætabatur, quòd quicquid Rauennate in pugna amissum fuerat, insperata demum ea victoria egregiè restitutũ esse videretur. Iulius enim pontifex præmisso cum exercitu Francisco Maria Vrbinate, Bononiam cum vniuersis vrbibus Galliæ togatæ receperat: Raimundusque Cardonius reparato exercitu in Etruriam missus, pulso Florentia Petro Soderino, qui Gallicas partes tuebat, Mediceos in patriam reduxerat: nanque Ioannes Cardinalis Legatus quum in Galliam traheretur, ad Padum amnem generoso ausu Raynaldi Tactij Ticinensis é manibus Gallorum fuerat ereptus. Constitutis Etruriæ rebus, Prosper Columna cum valido equitatu ab vrbe profectus, Cardonio se coniunxit, atque ambo ad oppugnandam Brixiam contenderunt. Erat Brixiæ præsidio relictus Obegninus cum ala mirifica Gallorum equitum, oppugnabaturque magna vi à Baleono, qui eo ingentem tormentorum apparatum conuexerat: sed Obegninus vt discordias inter fœderatos hostes fereret, extrema necessitate compulsus, vrbem non Venetis, sed Hispanis Germanisque Cæsaris ducibus dedidit: ea contumelia accensus Venetus animum ad Gallos repentè conuertit, vnde mox nouum id exarsit bellum, quo Italia penè omnis assiduis calamitatibus attrita vastataque est. Erat tum sine duce peditatus Hispanicus, vtpote Nauarro capto, & in vlteriorem Galliam perducto, regebaturque à Solisio viro equidem forti & stre-

nuo, sed non ea generis nobilitate, vt ei plerique cohortium præfecti, qui ne-
que vsu militiæ, neque natalium origine inferiores videri poterant, æquis ani
mis obedirent. Itaq; vni ante alios Padulio imperium est demandatum. natus
erat in Sicilia, sed è Celtiberia Cardoniæ familiæ nomen trahebat, vir cum sua
in primis virtute clarus, tum fortissimorum etiam fratrum egregia morte com
mendatus: nam Vgo quondam in Brutijs, nobili de Gallis parta victoria, ad
Caietam demum tormenti ictu fuerat extinctus: & Ioannes Auellinus ex vul-
nere Rauennate in pugna susceptо, Ferrariæ perierat: quum ipsum dispariſor
te amisso tamen oculo elapsum Fortuna seruauisset. Vexabatur per eos dies a-
pud Mediolanum Cisabduanus ager assiduis Gallorum incursionibus, qui
pulso Palicia in Tritianam arcem se contulerant. Ea est in peninsula circuma-
gentis sese pulcherrimo flexu amnis abduæ constituta, carcere & nece magni
quondam Barnabæ Vicecomitis, potius quàm ædificij munitione memora-
bilis. Præerat Gallis Baro Biarneus Vasco, viribus ac ingenio ferox Gastonia-
næ alæ legatus. Hunc omnibus cohortantibus expugnandum Padulius susce-
pit: nam Hispani ex Nauarri ducis disciplina in magna erant opinione singu-
laris scientiæ, & mirabilis artificij arcibus expugnandis. Itaque conuectis ad
Tritium maioribus tormentis, actisque vineis, tanta vi quassari arx est cœpta,
vt Biarneus cum aliquandiu fortissimè repugnasset, multis acceptis ac illatis
detrimentis, Padulio deditionem fecerit. Erat tum assiduus Padulio auuncu-
lo Piscarius incredibili gerendarum rerum cupiditate incensus, quam mode-
stis verecundisque sermonibus ita contegebat, vt multo maiores militiæ ho-
nores promereri quàm expectare, vel cupere posse censeretur. Eminebat enim
in eo iuuene supra familiæ Daualæ præclarum genus, certa indoles acuti, gra-
uis & excelsi ducis. Ipse corpus habile potius quàm procerum nactus, valida
neruorum compage absque vllo segni succo firmissimum cunctis equestris at-
que pedestris disciplinæ muneribus accommodarat: ętatis florẽ apprimè com
mendabant barba erumpens colore subrutila, aduncus nasus, & quum vi o-
pus esset, ignei vehementesque oculi. Cæterùm, mirum dictu, in ioco paceque
suaues, & à modestia quadam illecebra periucundi: ita tamen vt à gestu cor-
poris minus familiari, & à toto sermone parum hilari, & in responsis seuera
breuitate circumciso, elatior esse diceretur. Composuerat enim se totum cun-
ctis moribus ad Hispanorum habitum, quorum lingua eousque semper est de
lectatus, vt etiam cum Italis hominibus, vxoreque Victoria Hispanicè loque-
retur: quibus artibus iam militi carus, aditum sibi ad militare imperium faci-
lè parabat. Nec multò post, Padulio Florentiam ad Mediceos proficiscente,
qui eum magno cum stipendio copijs præfecerant, Piscarius vniuersi exerci-
tus curam suscepit, inclinatis quidem præfectorum & centurionum animis,
propensissimaque Ferdinandi regis voluntate: nanque eum duo Columnij
Prosper atque Fabritius, ipsique Cardonij Raimundus atque Padulius, & præ
terea minorum ducum quisque fortissimus, suffragijs & præclara testificatio-
ne plurimum adiuuarant. Interea Ludouicus Gallorum rex cum Ferdinando
Hispaniæ rege factis inducijs, Tramulium atque Triuultium duos bello lon-
gè clarissimos duces in Italiam misit. Erant Veneti cum Gallo noua societate
coniuncti, vt recentem iniuriam vindicarent, quam ab infidis fœderatis Hispa
nis atque Germanis iniquè excluſi Brixia nuper accepissent. Itaque Andreas
Grittus

Grittus & Liuianus qui in Gallia cuſtodiebantur, ex fœdere ſunt emiſsi. Liuianus ſupremi militaris imperij vexilla ſceptraque quòd Petilianus deceſsiſſet, ex ſenatuſconſulto ſunt tradita. Gritto autem eſt iniunctum, vt legati nomine Tramulium atque Triuultium ſequeretur. Iam Liuianus cum Baleono coniunctis viribus iuſtum exercitum effecerat, progreſſusque ad Cremonam eam vrbem dedentibus ſeſe ciuibus occuparat. In Liguria Adurnij Gallorum ſocij, Fregoſios Genua expulerant. Sacramorus Vicecomes equitum præfectus, nobilitate quidem clarus, ſed maleficijs et ingenij ſæuitia inſignis, à Maximiliano Sfortia ad Gallos defecerat, conuerſisque ſignis Mediolanum ingreſſus, populum in verba Ludouici regis iurare coegerat. Habebant tum caſtra Cardonius atque Piſcarius ad Trebiam amnem, monitique à Ferdinando rege de inducijs, neque animos, neque copias, vel obſecrantibus Sfortianis explicabant: pudore tamen victus Piſcarius, ſubter Claſtidium ad vicum Iriæ copias promouit, emiſitque leuem armaturam equeſtrem, quæ præter Derthonam in Alexandrinum agrum excurreret. Erant omnia plena cæco metu tot circumſtrepentibus armis, quum ſingula oppida vel in fide perſiſtere, vel dubia adhuc belli Fortuna, fidem mutare dubitarent. His de rebus Vicoirienſes, ſiue quòd ad Gallos inclinabant, ſiue quòd vererentur Hiſpanos recipere vti rapaces ſæuosque hoſpites, portas clauſerunt, profeſsi ſe liberaliter commeatu atque omnibus oppidi copijs exercitum adiuturos, ſi à vi ac omni maleficio abſtinerent. Piſcarius indignum ratus arceri eo oppido quòd ſine vllo militari præſidio agreſtes in muro diſpoſiti tuerentur, efflagitantibus militibus vi facta irrumpere conſtituit, vt eo quanquam iniquo facinore, & ipſe dignitatem ſuam egregiè conſeruaret, & milites quodam donatiui nomine, opulenti eius oppidi præda replerentur. Qua vna re militares animos deuinciri maximè intelligebat. Nec mora magno tumultu ſuccedentibus ad murum cohortibus, admotis ſcalis refractaque porta, & diſcuſſo ſubductili ligneo ponte, oppidum capitur, multisque qui arma tenebant cęſis, cæteris fermè omnibus captis, latè diripitur. Ea Vicoirienſium calamitas vehementer animos pupugit, cùm Maximiliani Sfortiæ, tum Matthęi Sedunenſis Cardinalis, qui Heluetiorum erat princeps, & multùm Placentiæ dum Romam peteret, Cardonium fuerat obteſtatus, vt occultata inducíarum fama ad terrendos Gallos caſtra promouere, & ſpeciem ſaltem hoſtilis animi præbere vellet. Vix enim ferebant quicunque Gallorum erant hoſtes, ab Hiſpanis incertæ fidei ſocijs & tranſire Padum recuſantibus, ea crudeliter oppida diripi, quæ paſſim ab ipſis etiam hoſtibus conſeruari viderentur. Interea Tramulius atque Triuultius ad Nouariam delati, qua in vrbe Maximilianus cum decem Heluetiorum cohortibus ſe tenebat, magno cum apparatu tormentorum mœnia quatere cœperunt, & læto quidem auſpicio, quòd ad eam vrbem ipſi duo duces ante tredecim annos, Ludouicum Maximiliani patrem ijſdem Heluetiorum auxilijs confiſum cepiſſe, et maximum bellum, parto Mediolanenſi imperio, propè ſine vulnere confeciſſe meminerant. Cuncta iam proſpera cędebant Gallis, nulla Sfortiæ reliqua ſpes, niſi in fide et dextris Heluetiorum relinquebatur. Nam Sacramorus Mediolanum occuparat: Liuianus Cremonam erat ingreſſus: Adurnij Fregoſios Genua expulerant: Hiſpani nequaquam vtiles bello ſocij citra Padum ſubſiſtebant: Leo pontifex veluti neque harum

neque illarum partium nihil oſtentatis armis Maximilianum pecunia tantùm iuuabat: Gallica verò caſtra, equitatu, tormentis, Germanorum auxilijs & rerum omnium copia, ſub tantis ducibus abundabant. Cæterùm Fortuna ſua libidine has tantas ſpes Gallorum celeriter eluſit: nanq; Heluetij vix antiquam ignominiam animo ſuſtinentes, vno inuſitatæ virtutis facinore omnem eius perfidiæ memoriam abolere conſtituunt, nihil expectatis ſuæ gentis auxilijs, quæ intra duodecimum lapidem aduentabant: vrbe triplici inſtructo agmine erumpunt, ſine equite, ſine tormentis hoſtium caſtra adoriuntur, veraque virtute conſertis dextris, mirum dictu, peditatum cędunt, tormenta occupant, equitatum fundunt, ac ſemihoræ momento incredibili victoria potiuntur. Gallis eo modo ſuperatis, Piſcarius reducendi Octauiani Fregoſij negocium ſuſcepit: huic enim Leo pontifex mirificè fauebat, expetebantque eum vnum maximè Genuenſes, qui Ianum paulo antè ab Adurnijs pulſum valde oderãt, quoniam eius maximè cohortatione à fratrib. ipſius ſanguinarijs hominibus, Hieronymum Fliſcum ſummæ nobilitatis virum, dum ſenatu exiret, crudeliter interfectum fuiſſe exiſtimabant: nam Ligures quanquam inter ſe magnopere factioſi, non cędibus, ſed ciuili contentione inter ſe certare de principatu erant ſoliti. Erat enim Octauianus bellica virtute ac honeſtiſsimis item moribus illuſtris, Piſcario etiam affinitate coniunctus propter Victoriam vxorem, quæ pariter vti Fregoſius maternum genus ad Feltriam Vrbinatium principũ familiam referebat. Itaque tametſi Adurnios clientibus abundare, copias parare, claſſe item Gallica, & toto eo præſidio atque apparatu Gallorum qui in arce erat, egregiè iuuari ab exploratoribus audiebat, nihilominus eundum eſſe iudicauit. Videbatur enim ea expeditio propter itinerum & rerum omnium difficultates, cùm laboris, tum decoris eſſe pleniſsima. Erat exercitus per conualles Scriuiæ (hunc Ratum antiquitus fuiſſe arbitramur) impediti & maximè vorticoſi amnis, & per abrupta Apennini latera anguſtis & præciſis callibus traducendus. Montani Ligures feri, bellicoſique homines, iuga montium & notiſsimos ſaltus inſederant, modò à fronte, modò in latere & tergo repentinis decurſibus ſeſe oſtentabant, ita tamen vt trucí clamore potius terrere, quàm adoriri agmina viderentur: nanque Piſcarius expeditis delectis militibus, in primo nouiſsimoq; agmine conſtitutis, qui fermè omnes erant ſclopettarij, receptisque in medium impedimentis, quæ per pauca erant, tanta diſciplina agmen ducebat, vt ne vnum quidem militem ordine excedere pateretur, & equites cuncta luſtrare oculis pęcurrendo, & paſſim referre quæ vidiſſent, non temerè conſertis manibus redire præciperet. Siquidem per notos cales et per compendia viarum noctu confectis itineribus, Ligures vbi illuxiſſet, continuò aderant, & ad occaſum vſque Solis, in conſpectu ſæpe eminus, raro autem cominus prelíabantur. In his periculis facilè vitandis, maximè ea quam diximus, adiumento erat diſciplina, ſeuerè & penè crudeliter ab ipſo Piſcario, qui ex minimo quoque delicto grauem pœnam exigebat, obſeruata. Accidit enim, quod minimè prętermittendum videtur, vt cum Hiſpanus miles ad eum eſſet perductus, qui in proximam caſam non minus auidè quàm arroganter, aut commeatus, aut ignobilis prędæ petendæ cauſa diuerterat, ipſe ei pœnæ loco auriculam abſcindi iuberet. Quum verò Hiſpanus reclamaret, ſe non eam ignominiam eſſe laturum, ſed potius ipſa morte ſatisfacturum, Piſcarius, obſe-

quamur,

quamur, inquit, huic militi tam egregiè decoris auido, eumque ſtatim fruſtrà reluctantem laqueo ad arborem ſuſpendi iuſsit. Iam ad Decimum Pontem ſuperato iugo peruenerat, quum Adurnij & Fliſci, ſiue terrore imminentis exercitus adducti, ſiue ciuium diffiſi ſtudijs, qui cogitationes ſuas non ad factionis inſaniam, ſed ad publicam ſalutem reuocabant, conſilium inierunt plenum equitatis atque modeſtiæ ciuilis, vrbe ſcilicet excedendi, ne in dubia armorum contentione, ſi pertinacius obſiſtere vellent, fortunas ciuitatis in periculum ſummæ calamitatis adducerent: cuius conſilij autorem fuiſſe conſtat Hieronymum Adurnium, iuuenem ſingulari animi virtute præcellentem. Othobonus etiam Fliſcus, vir ſacratus et Sinibaldus, qui paulo antè eçdem Hieronymi fratris præclarè vindicarant, Ludouico & Zacharia Fregoſij fratribus in tumultu occupatæ vrbis occiſis atque diſcerptis, vti pacati iuuenes. & ex priuata cauſa potius quàm publica factioſi, non exiſtimarunt ſine iuſto præſidio cum Hiſpanis atque Fregoſijs eſſe dimicandum. Ita ſine vulnere confecto bello, Octauianus Fregoſius eſt introductus. Is cum ciuibus & in ſenatu egit, vt Piſcario octuaginta millia aureorum nummûm ſtipendij nomine præberentur. Ipſe vt Ianum Fregoſium principatu excluſum, aliquo munere leniret, Sauonæ eum cum prætorijs inſignibus præfecit. Inde conuerſus ad obſidendam arcem, quæ tormentis nauigia portumque vexabat, poſt aliquot menſes fame perdomitam recepit, & ſingulari animi magnitudine in ſignum recuperatæ libertatis, funditùs euertit. At Piſcarius rebus Genuæ ex animi ſententia conſtitutis, retrò agmen vertit, & ad bellum Venetum eſt profectus. Iam Liuianus et Baleonus Gallorum ſociorum infelicitate permoti, qui ad Nouariam victi, continuo in Galliam profugiſſent, deſperatis rebus relicta Cremona, trans Ollium amnem ſe receperant, tentataque ex itinere Verona egregiè defendẽtibus eam Germanis, in Patauinum & Taruiſinum agrum conceſſerant. Decretum enim erat fœderatorum omnium conſenſu, Venetos bello perſequi, qui commutata voluntate ob acceptas iniurias Gallicum nomen cæteris fermè omnibus Europæ principibus inuiſum ſequebantur. Suſceperat paulo antè cauſam oppugnandi pontificis Ludouicus, vt ambitioſis et turbidis aliquot Cardinalibus indicto concilio deſeruiret, & ſubinde totius Italiæ imperium arriperet, depreſſo vtique ſublatoq; Iulio Pontifice, qui vnus ingenio ferox, & diuino profanoque iure inexhauſtis viribus potens, libertatem eccleſiæ tuebatur. Ob eas cauſas Leo pontifex Iuliana ſecutus conſilia aduerſus Venetos auxilia mittebat, ſenſibusque omnibus cum Hiſpano rege ipſoque Cæſare ac Heluetijs & Henrico rege Britanniæ erat coniunctus. Ii omnes vno tempore Gallo & Veneto terra mariq́ue bellum inferebant, nobiliſsimorum regnorum opes funeſta quadam inſania lacerantes, quando ea arma à leuibus diſcordiarum initijs temerè ſumpta, iuſtè deponi, aut certè glorioſius in Turcas verti potuiſſent. Nam tum fortè Othomanorum domus Selymi ſcelere & parricidio tota ferè conuulſa radicitus, Chriſtianos reges ad longè omnium pulcherrimam ſuſcipiendi ſacri belli occaſionem non dubiamq; victoriam inuitare videbatur. Igitur Cardonio Proſperoque Columna & Piſcario ducibus, exercitus in Venetiam ductus, adiunctis Germanorum cohortib. & pontificijs alis. Ex itinere Piſcehriam oppidum quod eſt ad exitum Mincij amnis ex Benaco lacu, Piſcarius expugnauit. Liuianus interea deſerta Vicentia,

Patauio ſe tenebat: Taruiſium tuebatur Baleonus, & per leuis tantùm armaturæ equites bellum gerebant. Contrà hoſtes agrum nobiliſsimę fertilitatis effusè populati, vſque ad Patauina mœnia ferebantur. In his equeſtribus prælijs Venetus ſæpius ſuperior euadebat: interceptusque eſt à Mercurio Epirotarum præfecto Caruaial nobilis dux Hiſpanus, qui ad Rauennam poſtremæ aciei præfuerat. Cæterùm quum neque Patauium vrbs egregiè munita facilè oppugnari, neque hoſtes ad prælium elici poſſe iudicarent, & iam ſubeſſet autumnus, Medoacum amnem, qui hodie Brenta dicitur, tranſire ſtatuerunt, rati, vt poſtea euenit, Liuianum impigrum ducem, feruido audaciq; ingenio pugnæ auidum, copias in aciem confeſtim educturum, vbi primum exuri tecta, cędi, capiq́ue agricolas & armenta abduci conſpiceret. Itaque Medoaco ponte ſuperato, Germani, Hiſpaniq́ue effuſi per agrum, barbara crudelitate cuncta vaſtant: villas regio ſumptu, longa in pace à Venetis patritijs ædificatas incendunt, vſqueadeò audacter impuneq́ue progredientes, vt è prętalis ſacris turribus à Veneto populo ea ſęua incendia ſpectarentur: Hiſpanus ſe præda ad ſatietatem repleuit: Germanus verò feritate animi crudelior, ferro & flammis vſquequaque eſt debacchatus. Prominet in mare apud Marghe-rium vicum agger in linguæ ſimilitudinem exporrectus: in eum locum tormenta ſunt conuecta, diſploſaq́ue ſic, vt pilæ ferreę prętер illum maris tractum ad ipſas vſque Venetias peruenirent. Non tulit eam ignominiam fortis ſenatus, ſtatimq́ue Liuiano id maximis precibus impetranti perſcribit, vt confeſtim copias educeret, Baleonum à Taruiſio accitum ſibi adiungeret, daretq́ue operam vt iniurias à Barbaris acceptas, ſi ſe offerret rei bene gerendæ facultas, pari crudelitate vindicaret. Hoc accepto ſenatuſconſulto, Liuianus aduocata concione milites eſt cohortatus, vt fortibus animis ſecum aduerſus hoſtes prędа onuſtos intercluſos fluminib. et in vijs admodum lutulentis & lubricis implicitos proficiſcerentur, dignamq́ue Italico nomine operam præſtarent, nec prædones Barbaros qui immani ſæuitia feras anteirent, inultos elabi paterentur. acclamantibus vniuerſis, & ſe deuotis animis atque corporibus ſecuturos eſſe pollicentibus, ſigna ſuſtulit, & ad Medoacum in vlteriorem ripam ſumma celeritate contendit: eo conſilio vt redeuntes amnis tranſitu prohiberet, incluſos fluminibus circumſiſtendo necaret fame: aut cum his ſi vim facerent, & erumpere in pacatum vellent, equiſsima conditione decertaret. Erant in Liuianis caſtris ſeptingenti fermè cataphracti, paulo minus duo mille leuis armaturæ equites, peditum ſeptem millia, magnus currulium tormentorum apparatus. Itemq́ue accedebat ad eum numerum Sacramorus Vicecomes, qui ſuperatis ad Nouariam Gallis, Ticino excluſus, in Venetiam circiter ſeptingentos equites, equis & armis egregiè inſtructos adduxerat. Præterea exciti erant agreſtes, ad quos Paulus Manfronus, vir militaris erat præmiſſus, qui inconditam multitudinem ratione conſilioque regeret, nullamq́ue prætermitteret occaſionem à tergo inuadendi hoſtis, quum eum ſaltibus & fluminibus impeditum, vel inito prælio occupatum eſſe conſpiceret. Hæc adminiſtrante Liuiano, Cæſariani incendijs finem imponunt, pretioſiorem tantùm prædam conuectant, & ad Medoacum coacto agmine reuertuntur, vbi Liuianus in vlteriore amnis ripa caſtra poſuerat. Proponebatur maxima difficultas ſtatuendi pontis in conſpectu præſertim hoſtis, qui tormentis idoneo in

loco

loco collocatis, exitium transire conantibus è proxima minabatur. Itaq; Cæsariani intempesta nocte silentio copijs eductis, & relicta leui tantùm armatura equestri, quæ frequentes excitaret ignes, & speciem præsentis exercitus redderet, ad superiora fluminis vada contendunt, ludificatique Liuianum flumen transmittunt. Equitatus omnis in vnum agmen conglobatus, superiore loco in amnem se coniecit, vt profluentis impetus ea obice frangeretur, leniorque aquarum vis & humiliora vada transeuntes cohortes exciperent. Ibi Piscarius dimisso equo, armatus ante primos ordines cohortando, & alacriter dubitantes inuitando, in alteram ripam euasit: ita tamen vt milites humeris atque pectoribus tantùm eminerent. At vbi dies illuxit, discessumque hostium detexit, Liuianus primo consilio depulsus, ad præoccupandas proximorum collium angustias est profectus, per quas vnum omnino iter Cæsarianis relinquebatur, si rectà Veronam Vicentina via redeundum esse iudicarent. Distat is locus ab vrbe Vicentia tria miliaria, prope eum vicum, cui à patula & diffusis ramis latè opaca arbore Vlmo nomen est. Ibi Liuianus præciso transitu, subitarioque opere perductis fossis tormenta constituit, atque ita vti erat rerum bellicarum egregiè peritus & vehemens transitum præsepit, vt nemo esset adeò rei militaris ignarus, qui non putaret insanos fore hostes, si illac omnino transire conarentur. Porrò si euadendum, reflexo itinere per montana atque aspera Bassiani saltus existimarent, apparebat eos iter fugæ simillimum arrepturos, amissisque impedimentis, vti planè victos & pristina exutos dignitate persequentibus agrestibus, Fortunam penè vel aduerso prælio duriorem esse subituros. Iam in conspectum hostium Cæsariani peruenerant, constitutisq; tentorijs adeò Venetis propinquo loco considerant, vt hinnitus equorum hostilium, & castrorum fremitum audirent, & à Liuiano frequentibus tormentis, & superiori loco facilè peterentur. Tum verò in ea rerum asperitate equites depressiora loca, aut ingentes arborum stipites, quibus sese protegerent quæritare: pedites autem prona corpora humi sternere, vt præteruolantes pilas euitarent: omnes ferè gregarij animo consternari, & dirum omnino exitum expectare. At ingruente nocte, vno edicto ignes totis castris extinguuntur, nequid hostis, quo certius tormenta dirigere posset in perobscura nocte conspiceret. Inuaserat militum animos quidam nec abinani quidem metu horror insolitus, omnesque vnius maximè Prosperi consilium, & Piscarij operam requirebant: quasi ille vnus qui ea pericula denunciando profectionem improbarat, eas quæ imminerent difficultates salutari prudentia, hic verò qui eas contemneret, forti ausu feliciter esset superaturus. Prosper enim tametsi nomen imperij penes Cardonium esset, cùm ætatis honore, tum inueterata quadam authoritate cunctos anteibat. Itaque cùm ad eum ducum & centurionum omnium fieret concursus, carros prædamque omnem deponi & concremari iussit, testatus fore vt postero die insigni victoria potirentur, si retrocedentibus ipsis Liuianus insisteret, & præpropero ardentique ingenio, vti alijs bellis consueuisset, vrgendo prouocandoq; periculosam prælij aleam subiret. Cæterùm Piscarius cum sarcinæ cremarentur, adeò elato sermone eius tanquam ignobilis facti consilium vituperare est visus, vt diceret, nequaquam tales esse milites, vt vel pretiosissimam prædam decori & veræ laudi anteponendam existimarent, quando ea esset omnium vir-

tus, vt duplo maiores etiam hostium copiæ facilè contemni & superari posse viderentur: quibus alacribus verbis, quasi felicem futuri prælij euentum prouideret, non modò certa spe salutis, sed præceptæ exploratæque victoriæ lętitia militum omnium animos implebat. Eam noctem dies excepit à crassiore caligine, vt fermè semper depressis & aquosis accidit in locis, maximè nebulosus, tanta aeris densitate, vt quum motis castris Cæsariani conuersis ordinatim agminibus, retrò ad Bassianam viam reuerterentur: id Liuianus neque ex superiore cliuo speculari, neque per emissos ad ipsa vsque hostium principia equites, quicquam de eorum discessu prędentire potuerit. Erat ei reconditum in intimis animis recessibus summæ prudentiæ decretum, nolle hostem, nisi exæquissimo loco prouocare, quoniam Hispanos pedites veteranos et Germanos maximè conferta phalange pugnare solitos, quibus Itali disciplina & viribus essent inferiores, magnopere formidaret: quanquàm eos palàm elatis verbis iactabundus, vt suorum animos magis accenderet, despicere videretur. Erat enim seipso cautior et consideratior factus, plurib. scilicet ictus vulneribus, quũ sui sæpius periculum improsperè fecisset. Supra enim omne numen in bello Fortuna, inconsulti impetus & temeritatis præclara castigatrix esse conspicitur. Sed fato prudẽtia minor ea die nequicquam Liuiani animum ratione præsepit. Is enim natura repentinus duorum temeritate, veteri suo proposito depulsus, secus ac ipse statuerat, in prælium descendit. Duobus agminibus Cæsariani abibant, Cardonius antecedebat, Prosper in postremo agmine vbi erat pugnandum, alloquendo & componendo acies versabatur, sed frontem cum Hispanis Germanoque pedite Piscarius hosti & periculo proximus obtinebat, tanto ordine pedem referens, vt modico flexu arma oraque militum, nihil dissoluta acie, in hostem, si lacesseret, celeriter esset obuersurus. Præmiserat Liuianus leui armatura equestri, duobusque minorib. tormentis Bernardinum Antiniolam sororis filium iuuenem impigrum, qui nouissimos carpendo, iterque explorando persequeretur. Iam enim nebula sensim euanescente, & satis claro vndique prospectu, Cæsariani retrò abire nunciabantur: nec propterea nequicquam Liuianus vt ab angustijs munitoque loco in plana copias deduceret, omnino commouebatur, ratus non iusta acie sed tumultuarijs & minutis prælijs ex tuto hostem per aspera euadentem loca esse retardandum, vti nedia laboreque & vigilijs fatigatus, agrestium circumfusorum multitudini delendus præberetur. Sed Antiniola ardentius in postremos prouectus, cum Germanis equitibus vehementem pugnam excitauit, in qua cùm repulsus tormenta deseruisset, euocatis in auxilium alijs atq; alijs turmis, redintegrata contentione recuperatisq; tormentis, ita Germanos propulit atq; cęcidit, vt Prospero equitatum consistere, & Germanis in fugam coniectis, per medias turmas transitum dari iuberet, ne integram aciem tumultuosius miscerẽt, et Piscarius summa animi alacritate directa acie cohortes in hostẽ conuerteret. Erat apud Liuianũ Andreas Lauredanus Venetus legatus, vir vehemens, nec minus vindictæ q̃ gloriæ auidus, sed rei bellicæ prorsus imperitus. Is quum prospera vndiq; de antecursoribus nunciarent̃, ad prætorium contendens, vti erat acribus spei et doloris affectib. magnopere cõcitatus: Quid cũctaris, inquit, imperator? hostes effugiunt: victoria certa & insignis è manib. elabitur: perfidia potius hęc erit q̃ ignauia, si diutius cuncteris: nec opinio tolli poterit, nisi extẽplo

signa

ſigna canere iubeas, et fugientem perturbatumq; hoſtem cum vniuerſis copijs conſecteris. Ad ea Liuianus ſiue falſa paratæ victoriæ ſpecie deceptus, & propterea ad naturam pugnacis ingenij facilè reuerſus, ſiue, vti poſtea prædicabat, iam veluti parata accuſatione niſi confligeret, iudicium ſenatus veritus, Pareamus inquit, famæ & legato, vel contra rationem, ne nobis vti nimis ſapientib. imperitorum ſuffragijs ſit concidendum: atque ita exercitum eduxit: inſtructaque triplici acie præproperus & ferox ad hoſtes contendit. Erat Antonius Pius ad læuam, ad dextram verò Baleonus cum Gritto legato, quib. prio re conſilio perſequendi & laceſſendi hoſtis ab vtroque latere munus erat iniunctum. Ipſe Liuianus via lata vtrinque conſitis arboribus ad lineam directa, grauis armaturæ equitum & ante alias nobiliorum alam induxit, pari fronte peditatu hinc & inde producto. Pugnatum eſt ab equitatu Veneto vehementiſsimè, pari conſtantia ſuſtinentibus Cęſarianis, in queis erat ante alios Troilus Sabellus: ſed peditatus Venetus vix primum Hiſpanorum & Germanorum impetũ ferre potuit, ita vt fœdiſsimè proiectis haſtis priuſquam ad hoſtẽ peruenireț, in fugam ſit effuſus. Initio trepidationis & fugæ facto à Balionanis cohortibus, quæ erant ex Anemonis valle, reliquæ fermè omnes turpiſsimè terga verterunt: quanquam ſummæ virtutis Centuriones deterrendo & caſtigando, ne tantum dedecus admitterent, conuerſos in fugam retentare conarentur, & incredibili conſtantia in prima acie depugnarent. Ii erant ante alios Alfonſus Mutus Piſanus, Bernardinus Aleccius, Seraphinus Callia, et Baptiſta Doctus Patauinus, qui inuadente prementeque Piſcario cum fortiſſimorum militum manu, quam ex ſingulis centurijs delectam prætoriæ veluti cohortis loco ſibi adiunxerat, ad vnum omnes ſunt interfecti. Quum in hos vehementius repugnantes Piſcarius ante alios dimiſſo equo, prętenta longiore haſta impetum faceret, reſpectans, cauete commilitones, inquit, ne me peruadentem in aduerſam aciem, & ſi id fatum dederit honeſtè concidentem, hoſtium potius pedibus quàm veſtris proculcandum relinquatis. Ad ea militeș alacriter ſucclamarunt, vt bono animo ire pergeret, ſe enim vel ipſi duci egregiè parendo, vel commilitoni fortia audendo ſummæ virtutis laudem eſſe quæſituros. Nec eorum mutuas ſpes euentus fefellit: nam ea præſertim impreſsione, initium non dubiæ victoriæ, vel ipſi hoſtes ortum eſſe fatebantur. Fuſo peditatu Hiſpani Germaniq́ue vtrinque equitatum acerrimè dimicantem inuadunt atq; proſternunt. Funditur etiam & capitur Baleonus in paluſtrem campum imprudenter delatus, dum viæ compẽdio properantis Liuiani curſum ęquare contenderet. Antonius quoq; Pius tota ſua acie turbata, & cęco metu cõiecta in fugam cùm honeſtè cadere poſſet, aufugiens, dum Bacchilionem amnẽ, quem Togiſonum antiqui vocarunt, tranat, armorum pondere preſſus ignobili morte ſubmergitur. Porrò Sacramorus Vicecomes, Hermes Bentiuolus, et Conſtantius Pius, Antonij filius, Meleagerq; item à Foroliuio, Carolusq; Montonius, et Franciſcus Saxatellus alarũ præfecti in acie cadũt. Ipſe Lauredanus legatus funeſtus comittendi pręlij author, dum ingẽs auri pondus diſtrahentib. Hiſpanis promittit, ab inermi lixa iugulat̃, Grittũ verò pernici equo tumultu elapsũ Vicẽtini quũ demiſſa portę cataracta niſi magno molimine ſubduci poſſet, in murũ extraxerũt. At Liuianus perditis reb. fruſtra aciẽ reparare conatus, ſuperato Eretano amne, deos vti Italico nomini

nimium infestos sæpe incusans, Patauium contendit. Qui verò ad Bacchilionem vado & ripis impeditum, nec planè tamen aquis tumentem ex fuga peruenerunt, aut profluentis gurgitibus sunt absorti, aut in ipsa cunctatione tranandi amnis, dum alieno periculo moniti humiliora vada quæritant persequente hoste perierunt. Cecidere ex Venetis circiter septem millia propè sine vllo vulnere Cæsarianorum: nam duo tantùm viri insignes ex ala Columnia sunt desiderati, Eberardus scilicet Corneus signifer à Perusia, et Camillus Maximus Romanus eques, raræ indolis adolescens: nullus enim vnquam exercitus vel turpiore exitu conflixit, vel minore victoris hostis incommodo ætate nostra superatus est: ita vt Piscarius in ipsa victoriæ gratulatione, Veneti militis ignauiam detestatus, palàm diceret, se plurimum dolere, quòd terræ Italiæ quæ tam imbelles ferret milites, à maioribus suis esset insertus, quo dicto sibi tum & postea apud Italos occultam inuidiam parauit. Nam Piscarius secus ac Alfonsus pater qui Hispanorum ingenia penitus oderat, despectis Italis cum quibus nunquam nisi Hispanicè fastidito patrio sermone loquebatur, vnis tantùm Hispanis indulgentissimè fauere, atque his honores vberioraque stipendia, præfecturas tribuere erat solitus, siue quòd spectatæ & felici eorum virtuti omnia largienda esse iudicaret, siue quòd vna maximè liberalitate ac indulgentia illos sibi complectendos arbitraretur, per quos clarissimum ante omnes militiæ nomen esset adepturus. Parta victoria eos quos diximus è centurijs delectos, vti quisque in prima acie strenuè operam nauarat, ad superiores ordines adaucto stipendio prouexit, & ante alios Ioannem Mancium quilateri semper adhæserat, & longè fortissimè fuerat prælíatus, veteranæ cohorti præfecit, alijs aut alias cohortes, aut vexilla ferenda honoris & præmij causa continuò tribuit, & cæteros denique militaribus donis & perpetuis muneribus est prosecutus. Quæ omnia vti ipse singulari iudicio præscripserat, Rex Ferdinandus rata habuit, ea fide vt hodie quoque in quæstorijs voluminibus eorum militum nomina qui Vicentino prælio in fronte pugnantes admirabili virtute victoriam peperissent, diserte sint notata: ad quorum fato functorum loca, alij successores vti meruerint, manẽte adhuc insignis eius premij memoria Ducum iudicio traducuntur. Inter captiuos repertus est Otho Vicecomes Sacramori fratris alæ legatus. Is superiore anno cum Astore fratre audaci turbidoque iuuene, Mediolani ante Triuultianas ædes nocturna in rixa petulanter Piscarij familiam fuerat adortus, in quo tumultu ipse Piscarius dum iurgium sedare properaret, capite vulnus sustulit, & Pomarrus equitum præfectus vir insignis, fuit interfectus. Hunc quum Mancius Pomarri quondam signifer iusto dolore concitatus, confodere & Pomarri manibus eius sanguine parentare properaret, Piscarius extemplò restitit, ne fœdum facinus admitteretur, singulari animi magnitudine inimicissimum hominem & ex merito de vita desperantem non modò conseruans, sed in ea quoque calamitate opportunis donis afficiens præclarè testatus clementiæ fructus apud excelsi animi virum & veri decoris auidum, sibi videri omni vel iure exacta vindicta procul dubio dulciores. A tanta victoria Cæsariani quoniam iam hyems suberat, neque Patauium, aut Taruisium modico apparatu vel mediocribus copijs facilè posset oppugnari, in hyberna concesserunt ad Atestè & circa Athesim, vbi cõplura erant oppida plena rerum omnium copijs, ad alendum exercitum valde

opportuna.

opportuna. Sequenti anno ad prima Veris signa Liuianus, qui exercitum inuicto ad omnes calamitates Veneto senatu, reparárat, in Foroiulienses cum expeditis copijs est profectus. Nam Cæsariani qui supra Iulias Alpes & Carnorum montes incolunt, duce Christophoro Francapane, prouinciam incursionibus euastabant, oppida pleraque ceperant, & barbaro prorsus more cædibus ac incendijs bellum gerebant. Erat cum ala equitum in Portonono oppido Ricianus Germanus: hunc Liuianus præmisso, qui ad portam excurreret, Malatesta Baleono Pauli filio, facilè elicit: cum eo Malatesta congreditur, vulneratum equo deturbat & capit, cæteri profligantur. Superuenit Liuianus, admotisque repente ad murum tormentis, oppidum atque arcem biduo redegit in potestatem. Inde minima quiete militibus concessa Tiliauentum transgressus ad Osophium Hieronymi Sauorgnani oppidum quod à Francapane magnis viribus oppugnabatur, summa celeritate contendit. Funditur Francapanis acceptoque vulnere, tormentis et copijs magna ex parte amissis, ad superiores alpes profugit. Quibus rebus feliciter gestis Liuianus prouinciam per se Venetis fidam, sponte sese dedentibus populis recuperauit. Dum hæc gereret, Antiniola cum trecentis equitibus, qui Patauino & Vicentino agro præsidio foret, ne quid incommodi in tergo reciperetur, ab ipso fuerat relictus, totam eam regionem ab Hispanorum incursionibus egregiè tuebatur, tria oppida maximè complexus, Cittadellam scilicet, Bassianum atque Marosticam, ea ratione vt nihil diuisis turmis & commutatis itineribus circumequitando, regionem interdiu percurreret, noctu autem in vno è tribus oppido moraretur: hac diligentia & repentinis excursionibus Hispanos deterrebat, quo pauciore numero minoreque fiducia in proximis vicis prædarentur. In hanc curam Piscarius oculis atque animo semper intentus peridoneos homines magnis præmijs inductos, itinera consuetudinemque eius & momenta omnia diligenter explorabat, vt dignam egregio facto occasionem posset adipisci, qua detrimentum ad Portononum & ad Osophium nuper acceptum glorianti nimium de ea re Liuiano exæquata clade redderetur. Nec vigilanti Fortuna defuit: nam quum Piscarius circuentem de more agrum Antiniolam Cittadellæ pernoctaturum esse didicisset, eum noctu aggredi constituit. Nec mora, consilio ad Cardonium delato, atque eid ipso comprobante, ex statiuis castris delectas cohortes educit, et confecto per noctem itinere, inopinantibus hostibus Citadellam peruenit, subsequente Cardonio vt rem gerentibus præsidio foret. Habebat secum Piscarius equites circiter trecentos, qui hisdem equis receptos totidem sclopettarios pedites secum adduxerant. In hos Antiniola vir acer & intrepidus repentè erumpit: prælium committitur vtrinque magna vi, magnoque tumultu. Pugnante ante alios Piscario equuus interficitur, ipse desilit in pedes, arreptaque pedestri lancea, adiuuantibus maximè sclopettarijs, hostes intra portam compellit. Tormenta interim et reliquus peditatus superueniunt, his murus portaque concutitur, nihil tamen animo se dimittit Antiniola, fortiter periculoso in loco repugnat. Ingredientes Hispanos semel atque iterum egregiè repellit: ex his interficitur Ferdinandus cognomento Niger, eximiæ virtutis centurio. At Piscarius vbi nihil in eo loco profici videt, edicit, vt vehementi pugna & magno concursu, vbi perfractus tormentis murus aditum ostendebat, hostes distineant, cæterùm ad diuersam oppidi partem compor-

tatis ſcalis nouum prælium accendit, milites ſumma alacritate ſcalas conſcendunt, ipſe in murum ingenti auſu poſt primum ſigniferum euadit. Erat introrſus tanta mœnium altitudo quanta ferè exterioribus ſcalis aſcendebatur. Cunctantibus cunctis & Piſcario dum ſubeuntes præ ſe vrget vltro in genu gladij cuſpide vulnerato, Romerius ſingularis audaciæ vexillifer, quin ſe præcipiti ſaltu in oppidum dimitteret, minimè dubitauit. Eum crura ex tam ingenti ſaltu ſibi confringentem Mancius eſt ſubſecutus: cæteri demiſsis lanceis per eas delapſi, in oppidum ſeſe coniecerunt: tum verò perterritis fuſisque hoſtibus Antiniola fauciato et capto, oppidum multis equis, multaque rerum omnium opima præda repletum diripitur. Tanta re proſperè atque celeriter confecta Piſcarius eximiam abſoluti iudicij & vehementiæ militaris laudem eſt conſecutus: quibus duobus maximè naturæ ſubſidijs perfecti ducis authoritas egregiè ſuſtinetur. Nec multò poſt exercitus in Patauinum agrum ſeſe effudit, populando atque vaſtando voluptarias præſertim poſſeſsiones, quas ſuperiore bello intactas reliquiſſent. Ea agrorum vaſtitas Liuianum Gradiſcam oppugnare cogitãtem ab incœpto reuocauit. Is coacto exercitu ad Brentellas propè Patauium opportuno loco poſuit caſtra: Cæſariani verò inter ſe diuiſis copijs in oppida commeatu plena conceſſere. Piſcarius cum peditatu Lendenariæ conſtitit, ita compoſitus & communitus, vt etiam in proximo Baſtiam præſidio impoſito teneret. Equitatus Hiſpanicus fermè omnis à Garcia Manrico Rhodigium eſt deductus. Cardonius autem & Proſper, itemque Germani omnes Veronam abierant, vt cum Cæſarianis legatis de bello conſultarent. Interea Liuianus quo nemo tum ducum vigilantior & promptior habebat, noctes diesque ſumma cura intentus in omnes gerendi belli occaſiones, equitatum Hiſpanicum adoriri conſtituit: crebrò enim fiebat certior, Hiſpanos magna cum ſeueritate atque licentia cum Rodiginis agere, ac nihil minus timere quàm hoſtium aduentum quos toties ſine vulnere profligaſſent. Itaque intempeſta nocte ſilentio caſtris egreſſus, Malateſtam cum expeditis equitibus premittit: imperat vt quos in itinere vel in agris viderit, properè comprehendat, ne nuncius quiſquam de ipſius aduentu ad hoſtes perueniat. Erat tum fortè ea dies Rhodigij mercatu celebris, ob id felici auſu Malateſta adapertis & neglectis portis irrumpit, cum inermibus & ſe tantùm diſtrictis gladijs, & ſagis ad læuas intortis defendentibus, prælium committitur. Succedunt mox cataphracti & expeditæ cohortes, quorum ſuperuentu Hiſpani omnes cum Garcia duce comprehenduntur. Tanta re feliciter confecta, Liuianus ratus eadem celeritate Piſcarium ad Lendenariam opprimi poſſe, ſi rei geſtæ famam præcurreret, in eum equites conuertit. Verùm Piſcarius qui nunquam vllas vigilias & ſtationes, quieto vel remoto hoſte ſuperfluas exiſtimare erat ſolitus, & tum maximè à Liuiano callido & vehementi duce cauendum eſſe prædicabat, hoſtes facilè ſuſtinuit & auertit, præmiſſo cum cohorte & duobus curulibus tormentis Ioanne Mancio, quimedia militari in via explicatis ſignis et diſplo-ſis tormentis in antecurſores Venetos parati inſtructique exercitus ſpeciem præbuerat. Ita Liuianus fruſtrà petito Piſcario vna contentus victoria in caſtra ſe recepit. Id facinus non minus conſilio quàm euentu felix Liuiano nomen dignitatemque reſtituit, et exercitum equis ſupra mille eximijs prædaque omnis generis & armis repleuit. At Piſcarius ne peditatum omni equitum

præſidio

præsidio penitus exutum diutius in his locis ad insidias opportunis contineret, quadrato agmine Veronam celeriter est profectus. Sub id tempus Rentius Ceres qui Cremæ eruptione facta, noctu Syluij Sabelli castra illatis facibus incenderat, Bergomum pulsis inde Hispanis occupauit. Quibus de causis Cardonius et Prosper ad Bergomum cum parte copiarum conuolarunt, vt ibi Rentium mœnia munientem, imperantem pecunias, & sacro campano ære conflato tormenta parantem, opprimerent. Erat iam Rentius ad extremas necessitates compulsus, adactisque tormentis murus erat perfractus, & munitiones adeò dissectæ, vt parum abesset, quin vrbs omnino caperetur. Sed Prosper qui nequaquam vrbium excidijs & militum cæde gaudebat, atque ita gerendum bellum iudicabat, vt demum sublatis hostibus lætissima pace frueretur, Bergomatibus Rentioque pepercit, ipsoque cum præsidio Cremam dimisso Bergomates pecunia mulctauit. Porrò Liuianus de Cardonij & Prosperi profectione certior factus, Veronam versus, & sinistrorsus ad Alienia cum Athesis pontem castra promouerat, sic vt Piscario in vnam intentus occasionem opprimendi peditatus imminere videretur. Verùm Piscarius Alarcone cum equitibus sibi adiuncto, & cohortibus omnibus Verona eductis, ad montem Silicem est profectus, eo consilio vt Liuianum vltra Athesim infesto exercitu arma circumferentem Patauio & veteribus castris excluderet. Interim Liuianus quum multorum literis Rentium amisso Bergomo pulsum fuisse, & subinde Cardonium, Prosperumque Columnam per Mantuanorum fines aduectare didicisset, institutam belli rationem incredibili consilio commutauit, eluso planè Piscario, qui fluminibus incluſum opprimere, aut omnino tormentis exuere se posse crediderat. Impositis siquidem in naues tormentis, & magna parte militum per continentes ac inusitatas paludes ad caput aggeris secundo Athesi in Hadriaticum euasit. Euadenti tamen ea inopinata nauigatione, haud mediocre detrimentum facilè potuit inferri, si Corberia Hispanus equitum præfectus, vti Piscarius subtili admodum coniectura adductus præceperat, locum in ripa amnis maximè opportunum celeriter occupasset. Nec multò post, vt negligentiæ vel ignauiæ delictum, si non atroci, insigni tamen ad exemplum pœna puniretur, Corberiam ignominia notauit, atque ei turmam equitum ademit. Dum hæc in Venetia geruntur, Ludouicus rex Gallorum rebus cum Henrico Britanniæ rege compositis, atque eius sorore in matrimonium ducta, dum nouis nuptijs iam senex intemperanter indulget, febricula consumptus extinguitur, statimque Franciscus eius gener florentis ætatis ac ingentis spiritus iuuenis imperium cepit. Is gloriæ belliqué auidus cohortante Triuultio, atque iter insolitum ad Coctias alpes commonstrante, in Italiam transgressus incredibili celeritate, & Heluetios iuga & transitus alpium frustrà obseruantes decepit, & Prosperum Columnam cum toto fermè equitatu oppressit. Venerant auxilio Sfortianis Heluetiæ legiones ob disciplinam atque insitam feritatem insuperabiles, si animorum consensus accessisset: plerique etenim vel suopte ingenio inducti, vel regia corrupti pecunia, ita Gallis fauebant, vt pagorum trium duces apertè recusarent, se contra regem prelio dimicaturos. Quibus de causis fiebat, vt Cardonius atque Piscarius qui in Placentinum agrum vniuersas copias adduxerant, Padum transire vererentur. Quid enim erat stultius, vt Piscarius apertè prædicabat, quàm incertas insi-

dæ & semicorruptæ gentis sequi voluntates? copiasque omnes & regnum denique Neapolitanum, si aliquod ab hoste tam propinquo vulnus eo præcipiti consilio acciperetur, in summum discrimen adduceret? Erat quoque Placentiæ Laurentius Medices cum Pontificio Florentinoque exercitu, impellentibus quibusdam ex numero amicorum & Florentinis maximè legatis, in partes Gallicas proclinatus, quanquam, Gorius Placentiæ præfectus, fide & vsu rerum insignis, honestiora & decora prę clarè suaderet. Eo modo dum cunctatur, & Pado ponte constrato, quinam primi transire amnem deberent, ignobili & fœda contentione decertarent, secus ac ipse Leo pontifex iubebat, pulcherrimę occasioni defuerunt: si quidem Heluetij concitante turbam militum Sedunense Cardinale, quanquam ab Hispanis & Pontificijs desererentur, Mediolano repente eductis signis, castra regia ad quintum lapidem Laudensi via sunt adorti: tantaque irarum & virium mole concursum est, vt continuato per noctem & sequentem diem valde cruento ac ancipiti prælio dimicarint. Ad extremum Heluetij vecordi impetu & barbara temeritate in aduersa tormenta peruadētes, à circumfuso vndique numerosissimo equitatu cæsi fusiq; sunt. In eo tumultu admodum repentino rex ipse manu promptus & armis insignis, quum in mediam hostium phalangem equum adegisset, parem summo periculo laudem omnium consensu promeruit. Liuianus quoque trans Abduam amnem raptato exercitu Veneto, Gallis haud ferum auxilium tulit. Heluetijs ingenti prælio superatis, & continuo Comensi via domum redeuntibus, omnes Galliæ Cisalpinæ ciuitates Francisco deditionem fecerunt. *Leo* autem pontifex ea pactione pacem redemit, vt Parmam atque Placentiam relinqueret, quæ vrbes Iulius pontificio imperio adiecisset. Quibus de rebus Cardonius atq; Piscarius retrò conuersis signis ad tutandum Neapolitanum regnum cum vniuersis copijs in Campaniam & Apuliam concesserunt. Conuenére demum Bononiæ Leo pontifex & rex Franciscus, qui inter se occulta fœdera pepigére. Nec multis inde diebus Ferdinandus Hispaniæ rex moritur, relicto hærede tot regnorum Carolo ex filia nepote, qui postea suffragijs Germaniæ procerum imperator est appellatus. Is admodum adolescens Caroli Ceurij Belgæ nutricij consilia secutus, cum Gallo pacem necessariam potius q̄ honestam ad Nouiodunum legatorum conuentu habito confecit, in quam & ipse Maximilianus Cæsar auus facilè consenserat, quum Brixiam & Veronam vrbes à Gallis et Venetis oppugnatas, accepta pecunia eductisque præsidijs Venetis reliquisset. Ex eo fœdere Neapoli manauit in vulgus fama Carolum vti multis circumuentum difficultatibus, & præsertim adeundæ Hispaniæ necessitate compulsum, postulante Gallo rege concessisse, vt regni procerib. qui Andegauensium partium fuissent, & iure belli oppidorum possessiones amississent, liceret nouos dominos in iudicium vocare, suscitatis antiquis litibus, quibus Ferdinandus rex Hispaniæ æquissimo salutarique decreto finem imposuisset: cauerat enim summi iudicij rex, vt rata esset liberalitas Aragoniorum regum, qui fidelibus & de se benemeritis præmia ob nauatam strenuè operam gratissimo animo tribuissent. Ea fama Andegauensium regulorum animos in spem erexerat, amissa quondam aduerso bello oppida beneficio noui fœderis iure & legibus recuperandi, quum nemo diffideret de litis euentu, agendo & largiendo si ciuili iure disceptaretur. Ex aduerso Aragonij

proceres

proceres quorum fortunas eares penitus euertebat, consternatis ad arma animis, eius iniuriæ indignitatẽ vix ferebant. Quid enim videri poterat iniquius, quàm eos qui toties pro imperio Aragoniorum contra Gallos in dubia rerum Fortuna dimicassent, nouis & periculosis litibus inuoluisse? in eorum præsertim gratiam & insigne commodum qui veteri studio ac aperta voluntate, se Gallico nomini haud obscurè fauere profiterentur. Eo modo perturbatis & suspensis reb. decreuêre vtrinque proceres, vt vnus pro ciuitate legatus ad Carolum mitteretur. Nec dubium erat quin ipse Piscarius propter eximiam ingenij grauitatem atq; solertiam, & dicendi facultatem ante alios omnes maximè esset idoneus. Sed Andegauenses vsqueadeò eius vim atque facundiam metuebant, vt quemlibet alium mittere, quàm illum mallent, nec improbare tamen auderent. Verùm Piscario collegam dandum esse censebant, rati illum qui adeò ingentes & elatos spiritus ferret, adiuncti collegæ indignitate commotum, extemplo repudiaturum id munus, atque ita alios, vel remissioris ingenij, vel propensioris animi legatos esse creaturos. Cum magna altercatione in publico concilio orationibus habitis, vtriusq; factionis proceres vehementissimè contendissent, Piscarius tanta vi grauitateque locutus est, vt Fabritius & Prosper Columnæ, qui antea pro Aragonijs dixerant, militari subagrestiq; eloquentia fuisse prorsus ostenderet, & contra Andreas Matthæus Aquauiuius et Traianus Caracciolus Andegauensium principes, ætate prouecti prudentiaq; & literis insignes, eius iuuenis flagranti oratione obruerentur, quum vnum tantùm legatum mittendum esse viuidis ac illustribus argumentis efficacissimè demonstrasset. Itaque consensu totius concionis peruicit, vt quando vnus esset mittendus, ipse ante alios mitteretur. Vix enim credibile erat, eum qui in militarib. negocijs adolescentiam contriuisset, tantùm eloquentia profecisse, vt vel offensorum animos quò vellet feliciter permoueret: quasi non in armorum studijs, sed in Rhætorum præceptis omnem ætatis operam consumpsisse videretur. Igitur suscepta legatione ad Carolum in Belgarum fines ad Oceanum peruenit. Res acta est in concilio regio tanta grauitate, vt facilè persuaserit, Ferdinandi regis decreta nequaquam antiquari posse, nisi cum nefario ingrati impijq; animi scelere, et fœda totius regni conturbatione. Ea re feliciter impetrata, quũ ex legatione in Italiam rediret, Carolus ob res quas fortiter gesserat, ei imperium totius peditatus, q̃ auus Ferdinandus antea tribuerat, amplissimis codicillis confirmauit. Quum Neapolim esset reuersus, ciuitatem vniuersam in se vnum militari simul & ciuili gloria florentem ita conuertit, vt populari studio, & procerum eum obnixè colentium ambitione, Cardonio Proregi existimatione atque potentia æquaretur. Nec multò post iubente Carolo ad Soram expugnandam copias duxit, quæ tum erat Franciſci Mariæ Rouerei Vrbinatum principis in Feltriam familiam adoptati. Is quoniam Hispanos ad Rauennam profligatos, minus pacato vel benigno animo in Vmbriæ finibus accepisset, & Soranos Neapolitano attributos regno, iura regalis imperij & salis vectigalia subire vetuisset, à Ferdinando rege hostis fuerat iudicatus. Sorani extemplo deditionem fecére, sed arx loci natura et turrim munitione inexpugnabilis studium eius magnopere tardabat, suadebatque Antonellus Tranensis tormentorum magister, eam obsidendam potius quàm oppugnandam, quoniam summæ difficultatis, & extremæ propè dementiæ fo-

ret, si in præaltum & arci parem oppositum montem tormenta perducere co-naretur: quum mons arduus vndique præruptos aditus vel minorum etiam tormentorum curribus præberet. Hæc dicenti Piscarius respondit, arcem omnino esse capiendam, ne frustra venisse diceretur: quòd si res omnino esset ardua & perdifficilis, à fortibus tamen viris locorum iniquitatem virtute ac industria debere superari, quando ea essent militiæ cum decora tùm plena laudis, quæ inusitata & maximè aspera vel peritissimis haberentur. Nec mora paratis rebus omnibus & trocleis in monte constitutis, tormenta ductarijs alligata funibus, ergatarum beneficio in opportunum locum stupentibus cunctis euexit: quo inopinato malo territi defensores, haud multis tormentorum ictibus expectatis, quum sese tueri posse desperarent, quòd alimenta etiam defecissent, impetrata salute deditionem fecerunt. Inde Neapolim reuersus, in morbum incidit longè grauissimum, quum pacis ocia minimè pateretur vir corporis ac animi viribus exardens, & quieti semper infestus: venationi etenim & falconum aucupijs magno apparatu & incredibili patientia deditum, nec grauia sæpe et palustria loca vitantem, febricula ita lentis inuasit accessibus, vt corpus per se gracile, & à naturali ignea vi facilè exustum, corrupto iam oris habitu, & tabefactis membris vix ambiguam spem salutis retineret. Sed conuersa demum tota victus & medicinæ ratione, repudiatisque remedijs calidis, saluberrima epoti lactis & lactucæ refrigeratione sanatus est.

LIBRI PRIMI FINIS.

LIBER SECVNDVS.

SVB id ferè tempus quo Piscarius confirmandis viribus operam dabat, Leo pōtifex Cęsari coniunctus, aduersus Franciscum Galliæ regem bellum suscepit. Angebant enim pontificem ingentis spiritus virum, Parma et Placentia ignobili pactione turpiter amissæ, quas vrbes Iulius pontifex sacrosancto imperio immortali cum laude nuper adiecisset. Sed ea quoque infamia laborantem, Galliæ Cisalpinæ regij præfecti, & ante alios Lotrechius & Tarbellius antistes vehementer exagitabant, qum superbè ac impotenter contempta dignitate pontificis sacerdotia ad profani imperij libidinem reuocarent. Galli eo tempore consternatis ad arma Hispaniæ populis aduersus Caroli Ceurij Belgæ nomen, cæterosque regios præsides ex occasione transgressi Pyrenęos saltus Henricum regem Nauarræ pulsis Hispanis, in paternum agrum reduxerāt, & ad Hiberum amnem arma promouerant. In Eburonibus quoque, Gallo res nouas molliente, & contra excitis ad arma Germanis et Belgis, bellum exarserat. Erat propterea Carolus Cæsar adolescens grauissimis rerum difficultatibus circumuentus, conuentumque habebat Germaniæ procerum apud Vormaciam vrbem ad Rheni ripam, in quo cum egregia pietate Lutherum iudicio damnauisset, à Leone promeruit, vt inito fœdere bellum in Italia Gallis inferretur. Itaque his conditionibus bellum est susceptum, vt coniunctis copijs Gallos Italia pellerent;

pellerent: Mediolanense imperium Francisco Sfortiæ redderetur, Parma Placentiaque, vti antea fuerant, Pontificiæ ditionis essent. duces belli delecti Prosper atque Piscarius, ea ratione diuiso imperio, vt hic peditib. ille cunctis equestribus copijs præesset: Federicus autem Gonzaga Mantuanus princeps pontificij exercitus esset imperator. His initis consilijs, neque tamen planè euulgatis in Gallia Cisalpina insidiæ Gallis tenduntur abijs qui iniurias acceperant, & ob id Sfortianis rebus plurimum studebant: nam Lotrechius & Lescutus regis gratia præpotentes, Triuultios & Pallauicinos, qui Gallico nomini amicissimi semper extitissent, ingrato hostilique animo persequebantur, vt eorum oppidis potirentur. Hieronymus quoque Adurnius, præcipuus apud Leonem propter singularem ingenij præstantiam, eius belli concitator, cum triremibus Neapolitanis Genuę in conspectum se dedit, sed patefactis insidijs, & nusquam contra Gallos Fortuna cœptis aspirante, coactis demum vndique copijs ad oppugnandam Parmam est peruentum. Erat in vrbe Lescutus Lotrechij frater, vir impiger cum tribus equitum alis, eoque Federicum Bozolum cum cohortibus euocarat, hominem strenuum militariumque operum et munitionum defendendis vrbibus maximè peritum. Igitur ad Parmam pluribus minutis equestribus prælijs ad portas factis, dum auxilia Germanorum aduenirent, & à Bononia tormenta conueherentur, Piscarius à Placentina porta vineas erexit, & magna vi turrem portę impositam, & murum ad dextram quatere cœpit. Iam haud mediocri ruina edita murus ad ingressum erat patefactus, cum Itali Hispaniique certatim, nequaquam accepto pugnæ signo, singulari audacia in fossam se demittunt, & per ruinas arduo & iniquo loco in summum connituntur. Sed dum prospiciunt vt in vrbem desiliant, ab instructis interiore munitione Gallorum cohortibus, emissisque in eos vndique minoribus tormentis, in fossam detruduntur: & multis interfectis Guicciardino in primis Etrusco centurioni pila caput abripitur. At Piscarius qui aliqua factu aspera vltrò aggredienda esse militi, nec ea tamen à duce palàm imperanda vti eximiè cautus & fortis existimabat, milites ad signa reuocauit, adhibitisque demum captiuis è Parmensibus, per quos diligentius munitionum mœniumque naturam cognosceret, omnem apparatum in alium locum traduxit, vt expugnato ad inferiorem muri angulum propugnaculo, quod erat extrinsecùs cum tormentarijs feneſtellis ad eradenda mœnium latera satis exporrectum, certus aditus minore militum periculo præberetur. Ad hunc modum multis ictibus pertuso & penè disrupto propugnaculo, Lescutus & Bozolus desperata loci defensione, salutare consilium sibi desumunt, magnóque silentio remotis tormentis, trans amnem copias omnes reducunt, vt minore circuitu frequentioreq; milite, vlteriorem tantùm vrbis partem, concisis & obstructis pontib. tuerentur. Siquidem Parma amnis ita mediã distinguit vrbem, vt lato et prealtis muris vtrinq; munito alueo decurrat. Nec mora, Parmenses qui citeriorem vrbis partem incolebãt, animaduerso Gallorum discessu, id de muro Pontificijs et Cęsarianis excussa lacinia significant, porrectisque manib. primos scandentes subleuant, alijq; alio in loco introducuntur: quod vbi totis castris est euulgatum, extemplo integræ sub signis cohortes agminatim irrumpunt, incredibiliq; prædę auiditate discurrentes sacra profanaq; diripiunt, tanta conturbatione totius exercitus, vt neque Piscarius increpando

cædendoque, nec ipse Prosper & Mantuanus per præcones ad signa reuocando, opportunam indigna calamitate oppressis ciuibus opem ferre potuerint. Constat, eo momento Lescutum & Bozolum pulcherrimam occasionem amisisse delendi hostis, si patefactis pontibus occupatos & dispersos conglobatis cohortibus & turmis inuasissent. At Piscarius cohibitis quantum minis authoritateque fieri potuit militum rapinis, conuehi tormenta iubet: ea contra hostes dirigit, qui tota fluminis ripa in summo muro dispositi amnis alueum egregiè defendebant, quanquam multi caderent, & oppositis ligneis doliis terra cespiteque repletis, in genua depressi, contra incidentes pilas egerrimè tegerentur. ante allos Montacutus alæ Lescuti vexillifer interijt. Sed Scoti maximè equites vel Lucatio duce pila discerpto, dimissis equis, in munitionibus intrepidè persistebant. Dum Galli duces vix milites retinent, quin ab iniquo loco diffugiant, & sese cum equitatu, extremis demum rebus, proripere per aduersam portam decernunt, Lotrechius vt fratri opem ferret, cum Heluetijs mercede conductis, & Venetis auxiliaribus, vniuersoq; Gallico equitatu, Pado ad Cremonam ponte constrato, ad Tarrum peruenit. Alfonsusque item Ferrariæ princeps opportunè equitatum summ in Mutinensium fines ita introduxit, vt inuasurus vrbem et commeatus intercluſurus esse nunciaretur, trepido ad hæc præsertim Iacobo Guicciardino Mutinæ præfecto, qui de suo periculo impensè sollicitus ea cuncta augendo ad Franciscum fratrem Pontificis legatum in castra perscribebat. Quibus rebus cognitis, duces tacito iudicio potius quàm libero ore recedendum à semicapta vrbe censebant. Quoniam nec satis pilarum & tormentarij pulueris ad defringendas hostium munitiones suppeteret, nec tam propinquo hoste Lotrechio, duce peracuto atque impigro, dubio euentu opera hostium adoriri, è disciplina videretur. Sed contrà quid turpius esse poterat, et ad conuellendas vniuersæ victoriæ spes omnes fœdius & ærumnosius, quàm dimidia vrbe pulsos hostes, extremoque demum timore consternatos è manibus emisisse? dum in consilio disceptarent, & Mantuanus vti noui decoris auidus non modò persistendum, verùm cum expedito exercitu aduersus Lotrechium contendendum esse diceret, vt vna acie de vniuersa victoria certaretur: cæteri verò ferè omnes pudoris metu reticerent, Piscarius liberabo vos, inquit, tota hac infamiæ suspicione: quandoquidem nemo sanus imperator prius de hoste victoriam expectat, q̃ ne ipse antè vincat, tuta ratione prouideat. Siue hic etenim fortiter instemus, siue illic audacter cũ Lotrechio manus conseramus, vtrinque certè iniquissima conditione & anciptiti quidem pugna cum auerso & aduerso hoste confligemus, & quod miserrimum est, pene sine tormentis, cum pilæ desint & sulphureus puluis, quibus profectò minimè careremus, si vti sæpius sumus contestati, qui huiusmodi copijs præsunt, liberalius & diligentius operam suam in negocio præstitissent. Seruemus igitur copias ad non dubiam victoriam ad quam profectò aditum, si sapimus, fortuna alio in loco commutata belli ratione nobis aperiet. Nec mora, Prosper ante alios sententiam comprobat, pariterq; Vitellius, Antonius Leua, Guidoque Rangonus, atque ipse demum Mantuanus, qui fœdi consilij dedecoris metu authores videri nolebant. Neque enim erat ea pudoris cura in Piscario, qui summa virtute aduersus omnia aspera inuictus, absque vlla degeneris animi suspicione, atque item manu & consilio omnium longè

prom-

promptiſsimus habebatur. Itaque conclamatis uaſis, ſemicapta vrbe copias educunt, & ad Niciam amnem retrò ad ſeptimum lapidem caſtrametantur, adeò ignobili receptu, vt penè tormenta maiora linquerentur. Tum verò mutua gratulatione inter Gallicos exercitus multis tormentorum bombis celebrata. Lotrechius minorum ducum aſſentatione excellens imperator appellatur. Marcus Antonius Columna qui apud eum erat Gallico ſtipendio addictus, Parmam intrauit, ad Leſcutum eius diei victoriam ſuo et Lotrechij nomine gratulatum: ipſeque Leſcutus qui & propria virtute, & aliena etiam ignauia clarus euaſerat, ad fratrem reuertitur. Hęc vbi ad Leonem perlata ſunt, nihil ipſe animo ſe demittit: omnibus modis ęrarium replet, ad Heluetios Sedunenſem Cardinalem legatum cum pecunia mittit, vt viginti eius gentis cohortes in agrum Bergomatem deducantur. Perſcribitque ſua manu literas ad Iulium Medicem Cardinalem, qui Florentiæ ad Reipublicæ gubernacula ſedebat, vt in caſtra peruolaret, duces & milites alloqueretur, cunctos ampliſsima ſpe reſtituta ad aliam belli rationem reuocaret. Eius aduentu quod erat opinione omnium ſumma authoritate, ingentemque vim auri ſecum adducere ferebatur, mirum in modum exercitus iterum ad victoriam eſt excitatus. Nec multò poſt relicto Vitellio cum Heluetijs cohortibus, qui cum Alfonſo Ateſtino bellum gereret, ad Padum contendit, exercitusque omnis ad oppidum Caſale ponte traducitur. Idem Lotrechius facit, Cremonaq; profectus ad motum hoſtium iter intendit, ne illi celeritate adhibita longius antecedant: ſuperatisque fluminibus Ollio atque Abdua, ad vrbem Mediolanum vbi inteſtini eſſent hoſtes verterentur. Quum ad Caſtellum quod Fratrum Curia dicitur, caſtra ponerentur, inter Italos Hiſpanosque pedites ſeditio valde atrox & cruenta, à leui contumelię initio repentè exorta, vniuerſum exercitum in ſummæ cladis diſcrimen adduxit: nam quum iuſto prope prælio certaretur, & inimiquiore Italorum ſors, qui iam in tabernaculis arma poſuerant, & inſtructis Hiſpanorum cohortibus occurrebant, in proximo productis copijs Lotrechius conſederat, ita vicinus, vt penè caſtrorum fremitus audiretur. Quum Iulius legatus in ſacra purpura prętenta cruce deprecabundus adcurreret, ſummum vitæ periculum adijt, ſolenneque votum Deiparæ virgini nuncupauit, ſi ea ſeditio non multa cum cæde ſedaretur. Affuit voto numen: nam ira militum extemplo repreſſa eſt, ipſius maximè Piſcarij authoritate, qui ſeſe inter ancipitia tela medium furentibus Hiſpanis oppoſuit: quum vndique pilarum procella cum ſtrage multorum effunderetur, ſic, vt nunquam præſentiore animo maioréve periculo vel in maximis prælijs, quibus poſtea interfuit, ſe miſcuiſſe teſtaretur. Periêre tamen circiter ducenti, & in his Stephanus Facinius Romanus, & Antonius Martellius nobilis Florentinus. atque inde ſecundum Ollij ripam promota caſtra ad Rebeccum, qui eſt vicus in aduerſa amnis ripa poſitus, contra Ponteuicum Venetæ ditionis caſtellum. Videri volebant Veneti eo bello ſe medios gerere, Alexanderque Donatus Caſtelli atque alæ equitum præfectus fidem dederat, nihil Venetos in ipſorum ditione Cæſarianis et Pontificijs eſſe nocituros. Erant caſtra tutiſsimo loco poſita, ſi Venetus in fide data perſiſteret: quòd ſi hoſtilia moliretur, nullus ad inſtruendam aciem locus patebat, qui non Caſtelli tormentis obiectus, & vndique expoſitus, vel imperitorum iudicio videretur. Hac re fortè perſpecta, dum hoſtilium

caſtrorum ſitum, & idoneum pugnæ locum explorarent, Franciſcus Maria Feltrius Vrbinas, & Marcus Antonius Columna ad Lotrechium adcurrunt: quanto in diſcrimine hoſtes verſentur, demonſtrant, poſſe eos facilè deleri, ſi ipſe à fronte promoto exercitu, vti prælio certaturus appropinquaret, & hoſtes in tergo tormentis è Ponteuici arce peterentur: fore etenim vt pedeſtres, & equeſtres præſertim copias, priuſquam eæ coire in ordines & conſerere manus poſſent, fœdiſsimè ſterni profligarique ſumma cum voluptate conſpicerent. Tantæ rei patrandæ certa ſpe concepta, extemplo mittitur à Lotrechio Sardonus Gallus ipſius familiaris, vt locum inſpiceret, & ſi ita videretur, aliquot tormenta traduceret. Aduentu Sardoni cuncta factu facilia offeruntur. Nec mora, dum ille in tanta occaſione inani gaudio præoccupatus effusè hoſtibus excidium minatur, Venetus præfectus datæ fidei penitus obliuiſcitur, & cuncta Gallorum arbitrio permittit, vt pote qui nihil de Cæſarianorum clade dubitaret: id vnum rogat, vt non Venetis, ſed Gallicis tantùm tormentis, & copijs res geratur, vt excuſationi locus aliquis relinquatur. At Sardonus morę impatiens & Gallica alacritate præproperus, quum rem paratam & exploratam contegere, & occidente iam Sole in craſtinum diem differre omnibus artibus deberet, auidi ingenij vim, quin Falconem emitteret, ſuſtinere non potuit. Fortè pila in domum legati Cardinalis adigitur. Ea re inopinata terrentur omnes: in conſilium extemplo duces coeunt: de Veneto fruſtrà conqueruntur, & ſilentio ſumma cum celeritate mutanda caſtra ad Gabionetam vicum cenſent. Itaque cunctis ducibus rem adminiſtrantibus, impedimenta totius exercitus carris & iumentis imponuntur: egregiaque ſimulatione Piſcarius præfectis cohortium, & centurionibus ad ſe vocatis, vultu maximè hilari, & veluti magnæ alicuius ſpei longè pleniſsimo eos cohortatur, vt arma, corpora, animos ad breue iter expediant: quoniam cognitis hoſtium rebus, ea nocte occaſio longè pulcherrima ad patrandum inſigne facinus offerretur. Ita de ſecunda vigilia præmiſsis impedimentis penè priuſquam conſilium ſumma expreſſum neceſsitate, militum turbæ nedum hoſtibus proderetur, ſine tumultu ad locum quem ſtatuerant, peruenere. At Lotrechius inalbeſcente cœlo ad conſpectum caſtrorum inſtructa acie prouectus, hoſtes è manibus elapſos cognoſcit: fruſtra tantam rei bene gerendæ occaſionem fuiſſe corruptam Sardoni temeritate conqueritur: mittit tamen leuis, & grauis armaturæ peramplum equitatum duce Leſcuto fratre, cum quo M. Antonius Columna, & Bonaualles, & Vandeneſius erant, qui nouiſsimos laceſſant, iter eorum explorent, & premendo inſtandoque abeuntes demorentur. Cogebat extremum agmen ipſe Piſcarius cum delecta ſclopettariorum cohorte, non agili equo, ſed ſtrigoſa vectus mula, quiſq; vel timidus, quum ſingulari ducis fiducia exęquatum eſſe periculum videret, ſummæ ſecuritatis alacritate compleretur. Iam aliquot millia paſſuum erat emenſus, adeò compoſito gradu, vt nihil de inſtante hoſte ſollicitus, nequaq̃ neceſsitate aut metu, ſed certo iudicio perpulchri edendi facinoris caſtra mouiſſe videretur. Itaq; conuerſus ad Nicolaum Valentinũ, & Volagnem Cantabrum duces ſclopettariorum, admirabili virtute homines, vultis, inquit, vt ſine noſtro periculo, & ſingulari cum voluptate, Gallorum horum equitum, qui adeò vehementibus equis atque animis nos conſectantur audaciam ac inſolentiam retundamus? cùm illi nihil ſe magis cupere reſponde-

reſponderent, imperat vt delecti circiter centum inter virgulta, & foſſas quæ vtrinque militarem caſtigant viam, ac ſimul in ſacello agreſti ſemidiruto, ſeſe recondant, & cùm Galli eò peruenerint, nihil tale dubitantes diſploſis repentè ſclopettis adoriantur: ad confirmandos verò animos ampliſsimè pollicetur, ſe de ipſorum ſalute ſingularem habiturum curam, et cùm opus foret binas cohortes, & totidem equitum turmas ſubſidio ſubmiſſurum. Re conſtituta ipſe ad extremum recedit agmen: nec mora Galli citatis equis adueniunt. Nicolaus & Volagnes hinc atque illinc ex inſidijs conſurgunt, magno clamore edito pilarum procella in confertos effunditur: Galli pluribus ſimul viris & equis cædentibus inopinata clade perturbantur, nullusque anguſta in via relinquitur oſtendendæ virtuti locus: ſuccedunt tamen aliæ atque aliæ turmæ, & à diffuſis equitibus prælium miſcetur: nec Piſcarius ſuis deeſt, ſubmittit alam equitum duce Ioanne Medice, ac eius cohortem expeditam, atque ita ſclopettarij incolumes magno hoſtibus illato detrimento recipiuntur. Eares inſequendi finem Gallis attulit. Lotrechius ſequenti die ad Binam vicum caſtra in conſpectum hoſtium produxit. Is vicus binis Romanis cladibus Othonis atque Vitellij ciuili bello inſignis, antiquitùs Bebriacum fuit. Proſper, Piſcarius, & Mantuanus æquiſsimo in loco conſederant, aquationi, & accipiendis commeatib. opportuno, carris latera muniuerant, tormenta fronde contexerant, cunctisque rebus aptiſsimè præparatis, & exploratis hoſtium conſilijs id expectabant, vt Galli ac in primis Heluetij, qui natura concitati, et alacri impetu vehementes eſſe conſueuiſſent, caſtris ſuccederent, & temerè ad conſerendas manus progrederentur. Iam promouerat aciem Lotrechius, haud dubiè funeſto prælio certaturus, niſi ab Heluetio transfuga Heluetij qui in partibus Gallorum erant, de forma & munitione caſtrorum certiores facti, Lotrechium vt pugna abſtineret, opportunè monuiſſet. Siquidem nulla vnquam acies vel ducum peritia, vel ardore militum aptius, aut alacrius fuit inſtructa. Hinc etenim Piſcario atque illinc Mantuano & Proſpero cohortantibus Hiſpani atque Itali, qui ab recenti ſeditione minimè pacatos animos oſtendebant, depoſitis ſyncera fide odijs, porrectis dextris, & collatis vexillis, pacem fecerant. Ea res Germanis qui propter ſociorum diſcordiam victoriæ diffidebant, ita animos adauxit, vt manantibus præ gaudio lachrymis centuriones atque ſigniferi, & gregatim denique milites omnium nationum ad Iulium legatum adcurrerent, & pia precatione obnixè peterent, vt Pontificia poteſtate ab omni anteactæ vitæ ſcelere luſtrarentur: Erat enim in ſacra purpura, & argenteam crucem haſtæ præfixam de more præferebat, concionabundusque cunctos ordines manu dextra cruce ſæpius deſignata ſolenniter expiabat. Sed nequaquam procedente Lotrechio reductæ demum legiones: amplius tamen quatuor horis equeſtri prælio eſt dimicatum, quo Ioannes Medices excellentis virtutis atque iudicij militaris laudem eſt conſecutus: emiſſaque ſunt aliquot tormenta ab altiore caſtrorum loco in Gallorum turmas, quorum pilis nonnulli clari equites, & in his Conaus Vaſco Lotrechij familiæ magiſter ſunt diſcerpti. Nec multò poſt ad Oſtianum caſtra reducta, vt Heluetias legiones expectarent, quæ in Bergomatem agrum iam deſcenderant, pulſoque Pontiremio Gallo, & Vgone Pepulo, qui clauſtra Sebini lacus & montium anguſtias præſidijs tenebant, recta in Mantuanum agrum peruenerant, quum eis

iam ſexcenti fermè equites ex Cæſarianis & Pontificijs, Succaro Heduo, & Aſtore Vicecomite, Matthæoque Beccharia ſummæ audaciæ ducibus occurriſſent. Gens enim militaris & agreſtis, quum in hoſtico magna tormentorum & equitum præſidia poſtularet, ita varias moræ cauſas nectebat, vt eos facilè appareret cùm Pontificijs ſtipendijs dicatos, tum Gallica largitione demollitos, nequaquam conſpecto hoſte, niſi eos Cæſariani & Pontificij equites excepiſſent, domum eſſe redituros. Tantis in vnum coactis copijs, maiore iterum virium mole ad Ollium reuertuntur. In tranſitu autem amnis Paulus Luzaſcus Mediceis equitibus præfectus vir egregiè fortis ab ala Veneta ex inſidijs eſt interceptus. Quòd vbi dux eius Ioannes didicit, ira & dolore concitatus, nihil moratur, & cum paucis familiaribus, ala confeſtim ſubſequi iuſſa ad abeuntium hoſtium agmen ingenti curſu peruolat, clamoreque edito penè ſolus in poſtremos inuehitur: clava ferrea obuios pertundit ſternitque, & totum agmen perturbat. agnoſcitur ſtatim ab hoſtibus ex terribili voce atque equo maximè inſigni laciniarumque coloribus: nec territæ ad eius nomen Venetæ turmæ, conſpecto præſertim non procul eius vexillo conſiſtere audent, móxque vehementer vrgenti ac acerrimè rem gerenti, ſuorumq; accurſu opportunè confirmato terga obuertunt, atque diffugiunt. Itaque paucis interfectis, & multis captis, Luzaſcus eripitur, duoque turmarum præfecti, & in his Hercules cognomento Poeta cum duobus vexillis, & multis equis in poteſtatem deueniunt: admirabiliſque hac re geſta Medices cum inſigni omnium gratulatione oſtentato paſsim Luzaſco in caſtra reuertitur. Interea Galli cognito *Heluetiorum* aduentu, quum eam leuis armaturę manum quæ à Sebino lacu deſcendentes exceperat, ex itinere ad Caruagium fudiſſent, ad Abduam retrocedunt, vt hoſtes tranſitu prohibeant: ſecundum ripam perpetuas extruunt munitiones, & eas idoneis in locis omni genere tormentorum complent, & præſertim contra Ripaltam vicum, vbi paucis ante annis Maximilianus Cæſar ſumma felicitate tranſiuerat. Dum pontes parantur, & ab aduerſa ripa Lotrechius, ne iungi contabulariique nauigia poſsint, tormentis adactis prohibere contendit, Italicæ cohortes loco ſuperiore ſeptem millibus paſſuum à caſtris pontisque opere diſtante, noctu piſcatorium lintrem nactæ in Bremba amne qui in Abduam influit, duce Franciſco Morono Inſubre viro forti Abduam tranſcere incipiunt, & Vaprio in oppido domum ripæ imminentem penè prius occupant, quàm ab Vgone Pepulo ſentiantur, qui cum ala Gallica loci præſidio erat præpoſitus. Tantus erat militum ardor, vt ſummo contentionis ſtudio qui nam primi commeantem continuò lintrem conſcenderent, inter ſe decertarent. At Vgo vigilum incuria ſerò excitatus, tumultuarium in ripa per tenebras certamen cum primis contrahit. Sed quum equites ex alia profluentis ripa, pedibus rem gerere cogerentur, eſſentque animis et numero, ipſoque armorum genere impares facilè repellitur: nuncios tamen ad Lotrechium extemplo mittit, rogat vt in ſummi momenti negocio valida ſubſidia propere tranſmittantur. Sed primi nuncij ad cubantem imperatorem, à ianitoribus eius quieti blandientibus non admittuntur. Ita inalbeſcente cœlo iam ſupra quatuordecim Italorum vexilla hoſtili in ripa cõſtiterant. Proſper, quo authore id facinus tentatum fuerat, continuò tranſeuntibus celeritatem adhibebat, & alias atqũe alias copias à caſtris euocabat: Piſcarius autem in opere

pontis

pontis cum tota mole exercitus contra Lotrechium verſabatur. Re cognita Lotrechius, qui id antea ad ſuſtinendum auertendumque ab hoſte tentari crediderat Leſcutum fratrem & Vandeneſium Paliciæ fratrem cum equitatu pluribusque peditum vexillis, & tormentis Vgoni ſubſidio mittit. Euolauit impiger Leſcutus cum ſubitario apparatu, ita vt properantia Gallorum agmina à Proſpero Iulioque Legato de Italorum ſalute magnopere ſolicitis, ad tormenti iactum intercedente Abdua ſpectarentur. Res autem omnium iudicio in vna celeritate poſita videbatur: nam ſi Leſcutus paucas & infirmas adhuc cohortes, & in vnius tantum anguſti nauigij beneficio, ſine ſpe celeritatis auxilia deſperãtes opprimeret, nulli dubium erat, quin demum tota ripa tranſiri hoſtes eſſet prohibiturus. Eo animaduerſo periculo Piſcarius cohortem Hiſpanorum, & perniciſsimum quenque ſclopettarium extra ordinem ſummittit. Eò etiam proficiſcitur Techenus Griſonorum dux cum duobus vexillis. Porrò Leſcutus cum tanta ſummitti auxilia conſpiceret, ob id magis ſibi feſtinandum ratus, adeo citato agmine Vaprium contendit, vt tormenta atque item cohortes paucis tantum ſclopettarijs in clunes equorum maturandi cauſa ſuſceptis, omnino relinqueret. Eius aduentu atrox prælium exoritur, primò equeſtre, ac demum quum equis parum proficerent, res & pedibus à cataphractis geri cœpta, qui hoc imperante agenteque Leſcuto dimiſsis equis & deciſis ab vmbilico ſagulis, vt expeditiores eſſent, ſeſe peditum more conglobarant. multis vtrinque interfectis, Galli latiore vici platea potiuntur, domos audacter oppugnant, & ædificium quo Hiſpanorum cohors ſe tenebat iniectis facibus ſuccendunt: cuncta clamoribus & fremitu auxilia implorantium fumo, ignibus & perpetuis ſclopettorum bombis complentur. Dimicatur acerrimè tribus amplius horis: quum iam in ſummo diſcrimine Itali verſarentur, Ioannes Medices ingentis animi iuuenis dolore ne dedecus acciperetur, ſimul & ferendi auxilij cupiditate vehementer incitatus, quòd aliter non poterat, cum paucis periculoſo auſu flumen tranauit, famaque ſui, & Italos ſpe compleuit, & Gallos haud mediocriter conterruit, admirantes & impenſe dubitantes, ne in tumido amne repertis vadis cum ala integra tranſiuiſſet: ad extremum creſcentibus vndique auxilijs Italorum virtute, Hiſpanorum conſtantia et Griſonorum impetu Galli area depelluntur, quo in tumultu ipſe Techenus ingenti corpore, oreque hirſuto, & ſupra thoracem & galeam ferina pelle in horrendum habitum protectus, Leſcutum ſibi congreſſum haſta proſternit. Eripitur tamen periculo Leſcutus, & à ſuis ſeruatur incolumis. Vandeneſio pugnanti equus confoditur: cohortes autẽ Vaſconum quæ ſerius aduenerant cadente Gratiano Luſcio, & vulnerato Sardono, qui mox interijt, amiſsisque duobus vexillis, in fugam vertuntur. Non videtur prætermittendum Aretini militis cui Stoncinio cognomen fuit egregium facinus. Is ſpectatæ proceritatis Gallum, qui in ea dimicatione ingenti gladio quem ambabus manibus regebat Caponium & Serralium Florentinos viros fortes obtruncarat, decoris & vindictæ cupidine accenſus petiuit, felicique agilitate, elato in caput ſcuto ſuccedens, ſub inguine incumbentem gladio tranfixit, & repetito ictu protinus confecit. Nuſquam maiore cum laude pedites ætate noſtra militiæ munus impleuere: nemo vnquam Leſcuto vel dux vel miles, ardentius aut conſtantius dimicauit, eſſetque haud dubiè inſigni victoria potitus, ſi tormenta in

itinere minimè reliquisset. At Lotrechius qui in eam vnam, ne Piscarius pontem construeret, curam incubuerat, cognito fratris successu, et abiectis tuendæ ripæ consilijs, Mediolanum vt se mœnibus tueretur retrocesit. Eius aduentu ad terrendos Insubrum animos Christophorus Pallauicinus summæ nobilitatis & pacati animi Regulus publicè securi percutit, quem antea nequaquam capitalibus, quæ maiestatem respicerent, delatum criminibus, & nihil tale verentem, Lescutus violatis hospitalis mensę iuribus, direptaq; eius opulentissima domo, apud Buxetum ceperat. Interea Piscarius perfecto ponte copias traduxit. Lentoque itinere, propter incredibiles conuehendis tormentis viarum difficultates, ad Mediolanum est peruentum, eo ducum consilio, vt si difficilis oppugnatio nequaqnam territis Gallis videretur, in læuam ad Ticinum vrbem deflecterent, vt propinqua et copiosa vrbe ad gerendum bellum potirentur. Iam enim eò Marius Montanus Ticinensis episcopus cum ala equitum aduolarat, & singulari Ticinensium studio, vrbe atque arce dudum deserta a Gallis fuerat receptus, At Lotrechius vbi multos ex Heluetijs, quibus iam minus fidebat, quòd apud hostes maior eius gentis multitudo militaret, passim dilabi, et se peditatu inferiorem esse conspicit, vt minore circuitu vrbem defenderet, suburbana ædificia ignobili & planè barbaro consilio succendit, Gritto Veneto Legato id maximè comprobante, qui superiore Maximiliani Cæsaris bello, quum Triuultius atque Borbonius copijs Gallicis præessent, opportunè factum fuisse meminerat. Erat res summæ plena crudelitatis lugente populo ea ædificia sponte concremare, quæ pulchritudine insigniq; frequentia, vel ingentis vrbis speciem æquarent. A' singulis enim ferè vrbis portis longè lateque intercedentibus hortorum delicijs exporrectis latericijs propugnaculis, & magnis vndique fossis atque munitionibus cingebantur. Quum à Laudensi via modico flexu ad Ticinensis portæ suburbana exercitus duceretur, ne moque prodiret fumantibus iam tectis, ignotus, nec postea vsquam visus vir agresti vestitu Iulio legato apparuit, nuncians Gallos timore & desperatione præpeditos, iniecisse domibus ignes & fugam parare, intentosque esse ciues vt iniuriam vindicarent, proinde læto animo pergere maturarent, quando omnes indigenæ cuncta Gallis aduersa, ipsis verò tanquam patriæ liberatorib. secunda & prospera precarentur. Itaque Prosper & Piscarius, Iuliusque legatus, & Cardinalis Sedunensis Heluetiorum adhortator, cæteriq; duces circumductis in coronam equis coeunt, eiusque sententię sunt omnes, vt quid ad munitiones hostium agatur, per equites exploretur. Pręmissi equites referunt in itinere neminem occurrisse, segnemq; admodum, q; pluuium esset cœlum, sibi videri hostium stationem. Erat iam serum diei, & lenta in pluuia, lutulentoq; maximè itinere, nulla solita alacritas in exercitu cernebatur, q; torměta impactis cęno currib. ęgrè perduci ad munitiones expugnãdas, & nisi expugnassent, sub dio, & palustri in solo frigida, & longissima brumali nocte foret quiescendum. Eo modo lenta spe deliberantib. Quid opus est verbis? Piscarius inquit: explorabo ego certius quid animi & virium in defendenda munitione hostibus supersit, vt in eorum cubilibus omnino pernoctemus. Vos date operam, vt Germani quibus tum primum agmen contigerat, per quam maturè subsequantur, Hispani iuxta, Italiq; succedant, Heluetij verò tormentorum custodię relinquantur: leuis armatura equestris quæ pedites primos sub-

leuet,

leuet,& cuncta exploret,mecum antecedat. Hoc dicto,cum Nicolao Valentino & Volagne desumptis sibi non amplius octuaginta sclopettarijs summę agilitatis atque virtutis, ad munitiones contendit: mirum dictu,Hispani per lubricos aggeres in summum munitionis enituntur:sclopettos repentè displodunt,lentamque & raram stationem improuiso impetu perturbant: resistunt tamen Heluetij tumultuario accursu,sed minimè densatos in aciem Hispani facilè propellunt: desilit intra munitionem ipse Piscarius, prælioque miscetur, suaque manu confosso duce Heluetio, cæteris in fugam coniectis, Veneta etiam castra capiuntur. Iam magnus omnis generis militum numerus,audito redditoque clamore sese munitionibus intulerat.Germani ad turrem veterem quæ imperatoris dicitur subter fornices aquæductus, quum Heluetiorum et Gallorum globus ibi aliquādiu impigrè restitisset, multis acceptis vulneribus irruperant. Theodorus Triuultius Venetarum copiarum dux,qui inermis & penulatus,et vt fugam suorum sisteret,mula prouectus adcurrerat, & iam vuulnus in latere sustulerat,à Piscario capitur: ipse Grittus è medijs hostibus elapsus,cum ala Epirotarum,Laudem transuersis itineribus profugit. Capitur & in fuga Mercurius, sed mox dimittitur: adeoque res fuit improuisa, vt Veneti quęstores, qui sortè in stipendium pecuniam militi numerabant, aureæ argenteęque monetę cumulos in mensis,rapientibus Hispanis reliquerint.Nusquam vllæ copiæ fœdiore euentu memoria nostra fuere profligatæ. Gallicus interim equitatus magno capto curcuitu, ad arcem se proripuit,reliqui per mediam vrbem quadrato agmine ad aream arcis nihil se ad arma populo commouente, contendêre. Parua profectò cædes pro tumultu est edita: cæterùm ingens captiuorum & equorum,impedimentorumque prędа parta. Iam totus fermè exercitus munitiones erat ingressus, Prosperq; secundissimo successu lętus,quòd suburbanis tectis ad statuenda castra potiretur, contentus esse videbatur,vtpote qui ea die,nocte præsertim ingruente, munitiones manu capi posset acita cogitatione desperasset: cùm multorum nuncijs affertur, Piscarium Romana porta ingressum,proximam portæ & Triuultianis ædibus regionem, cohortium præsidijs firmauisse, Gallos effugisse ad arcem, & Mediolanenses expositis vndique luminibus,nihil magis optare quàm vt pacatò victor exercitus amicam vrbem ingrederetur. Eodem quoque tempore Astor Vicecomes & Pusterlius nonnullique alij exules vrbem ingressi,propinquos & Gibellinæ factionis principes excitarant,vt portas aperirent,victoresque reciperent.Itaque de secunda vigilia Prosper, Iuliusque legatus,& Mantuanus,Ticinensi portæ succedentes lętissimis Mediolanensium animis recipiuntur,coeuntq; omnes in Cribelliana domo,quę est contra nobile Diocletiani templum à Christianis diuo Laurentio dicatum,summa quidem securitate, sed magno tamen periculo, si Galli de sua tantùm salute cogitantes,recognita ad eos comprehendendos facillimo ausu conuolassent.Sed res aduersæ sicuti animos cæco metu perterrent,ita consilia vel summæ facilitatis & rationis eripiunt.Venit in eam domum etiam Piscarius,qui cum alios salutaret, Iulij legati dextram exosculans,& perblandè arridens,nónne mihi,inquit,Legate,pro his quæ hodie gessi,aliquando gratiam es relaturus? Id verbum,quasi ipse vnus totam victoriæ laudem vsurparet,Prosperi animum adeò altè pupugit, vt iracundiam vix sustinens, extenta ceruice, ac ore admodum agresti

interrogaret, quidnam id esset quod solus omnino gessisset. Ad id feruida bile concepta Piscarius valde commotus, gladij capulo dextra comprehenso contumaci vultu ironicè, nihil se gessisse respondit: haud dubiè atrox facinus editurus, nisi iracundia puncto temporis inducta ratione resedisset, & legatus interposita dextra, pacificatoris habitu ambos congesta vtrinque laude pacauisset. Ab ea die nunquam postea inter eos, quanquam militari officio coniunctos, adeò syncera fide amicitia constitit, quin alter alterius gloriæ & dignitati haud obscuris inuidiæ stimulis obtrectaret. Eadem nocte Lotrechius qui nihil earum rerum contempto hoste accidere posse putauerat, & tot magnis circumse ducibus cùm Italis tum Gallis salutaria sæpe monentibus, se cuncta vt res in tuto essent, egregiè prouidisse responderat, animo fractus Comum profugit: tanta omnium mœstitia, tantaque itineris atq; agminis deformitate, per angustos munitionis exitus educto equitatu, vt per tenebras fœdæ fugæ iter simile, nihil etiam persequente hoste videretur. Id ad summam Cæsarianorum victoriam defuit, quòd non statim fessi equites, qui perpetuam noctẽ in equis velut in acie stetissent, ad persequendos Gallos educi potuere: eaquidem sorte vt tot Gallorum alæ in summum adductæ discrimen, non ducis consilio, sed torpentium hostium socordia seruatæ viderentur. Nec deerant Galli insignes qui Lotrechium in ea calamitate intemperanter accusarent, quasi nimia superbia in suos, et in Insubres crudelitate cuncta penitus euertisset. Erant hercle in ipso Lotrechio multæ virtutes egregiæ vel antiquorum ducum moribus pares, vtpote qui in extrema Aquitania ad Pyrenæos saltus summo loco natus, exultantem illum Gallicæ naturæ vigorem solerti Hispanorum grauitate condiderat: verùm ingenio & spiritu adeò erat elatus, vel longo successu arridentis Fortunæ, vel amicorum adulatione, cui magna pars hominum immodicis capta votis facilè deseruit, vt in rebellica spretis aliorum consilijs, errare quàm doceri malle censeretur. Cæterùm Comi biduo tantùm moratus, ne tantus equitatus Lario lacu & perpetuis montibus inclusus, inutili mora, paucis diebus pabuli inopia conficeretur, Heluetijs domum redeuntibus Leucum contendit, quod est oppidum ad exitum Abduæ amnis, vbi lapideo ponte antiqui operis vniuersas copias in Bergomatem agrum Venetæ ditionis in columes traduxit. Comi autem præsidio est relictus cum ala equitum & quatuor peditum vexillis Vandenesius vir exiguo corpore, sed singulari animi promptitudine inter Gallos admodum illustris. Dum essent in Bergomati Gallorum copiæ afflictæ omnibus malis, & à Fortuna desertæ, Lotrechio oblata est occasio recuperandæ Cremonæ. Nam Cremonenses qui dudum victoriæ cesserant, quum sibi satis virium ad reprimendas Gallorum eruptiones, quæ ex arce fiebant esse putarent, nulla externæ gentis præsidia recipere voluerant. Ingruente inopinato aduentu Lotrechio, frustraque petitis è Placentia Heluetiorum cohortibus, portas aperuerunt, quum paulo ante Varolius & Palauicinus Gibellinæ factionis principes supplicij metu profugissent. Lotrechius opulenta recepta vrbe recreatus, dum Cremonensium leuitatem imperata ingenti pecunia vlciscitur, puncto temporis illudente Fortuna, Parmam amisit. eodem enim ipso die, Federicus Bozolus desperatis rebus cum præsidio vrbe excesserat, relicto ibi Roberto Sanseuerino sororis filio, vt iuuenis Mediceæ familiæ affinitate coniunctus, præclaram deditione vrbis gratiam

tiam apud Leonem mereretur. Sed Robertus ſucceſſu Lotrechij cognito, anci piti cura anxius, cui nam, Gallóne, an Pontifici retenta aut reddita vrbe deſeruiret, vehementer hæſitabat. Iam enim Parmenſes ad Iulium legatum oratores miſerant, et ipſe auunculi fidei, veluti depoſito accepto, iure quodam illigatus eſſe videbatur. Euiciſſet tamen omnem alium pudorem vnus auunculi reſpectus in eo iuuene, cuius patri & patrui Gallicæ factionis ſemper extitiſſent, niſi Vitellius valde timens ne Parmam Galli è Cremona Pado ponte iuncto peruolarent, è Placentia celeriter accurriſſet. Succeſſere ad portam Alexander Vitellius & Hieronymus Columna promptiſsimi iuuenes cum ſingulis equitum vexillis ipſo ſeniore Vitellio ad tertium lapidem cum cataphractorum ala ſubſequente, ambiguis adhuc portæ cuſtodibus, nec eos tamen admittentibus: ſed duces vt opportuit conſilio repentè capto, duos equites maximè ſtrenuos loris equos trahentes per ſpeciem ſoleæ ferreę diſcalciatis equis reponendæ, intra portam ſimulanter inſinuant: illi repentè gladios diſtringunt, cui ſtodes obtruncant, ſuccedunt alij, porta occupatur, inferuntur ſigna, ſingulariſque demum totius ciuitatis ſtudio pontificis maximi Leonis nomen inclamatur. Dum hæc geruntur, Piſcarius ad oppugnandum Comum eſt profectus: poſitiſque à meridie ad Pentagoniam turrim maioribus tormentis, mœnia prealto intus aggere munita ita attriuit & perrupit, vt effractis ſilicibus ingens ruina muri corruentis per decliue in defoſſam ederetur, quà haud difficilis præberi poterat aſcenſus: ſed foſſa quæ intercedebat profuudis plena aquis, & tormenta quæ propugnaculo turritæ portæ in dextrum latus emittebantur, milites ne alacriter, & minore cum periculo ſubirent, magnopere retardabant. Iam enim Nicolaus Valentinus inuſitatæ fortitudinis ſclopettariorum præfectus, et Peralta Centurio tormentis diſcerpti, cùm audacius ante mœnia verſarentur cum maximo Piſcarij dolore perierant. Vandeneſius quoque vti erat intrepidus, in ſummis effracti muri ruinis vinaria vaſa plena ceſpite collocarat, extruebatque aggerem introrſus, vt diſpoſiti in munitione milites ab hoſtium ſclopettarijs tegerentur. Erat ante foſſam contra Gallicas munitiones, vbi maximè certabatur, ſacra ędes Hoſpitalis, cuius faſtigium Gallorum aggeribus equabatur. Itaque Piſcarius ſublatis aliquot tegulis, culmen adaperit, & introrſus conſcendere ſclopettarios iubet: præcipit vt cum ſignum dederit, procellam pilarum in hoſtes effundant: imperat etiam tormentorum magiſtris, vt libratis ictibus munitionis dolia diuerberent. Tum verò dato ſigno, cuncta, vti in terræmotu accidit, cũ fragore concuti, Gallos & Heluetios ſuper fuſa pilarũ grandine perturbari, multi cadere, alij ſaucij locũ ſine pudore deſerere. Aderat ſuis Vãdeneſius adhortator & propugnator egregius. Hiſpani tñ foſſam minimè tranſcendebant: quamobrem locus ea die haud paruo accepto incommodo, à Gallis præſertim cataphractis eſt defenſus: qui quanto dolijs propiores erant, ceu poſteriore acie magis detecta, in opere & loci defenſione verſabantur. Erat adhuc integra ſpe Vandeneſius, cùm nauigia à Leuco, vti Lotrechius ſe tranſmiſſurum promiſerat, ſulfureo puluere, pilis, tormentis, & milite completa ſingulis momentis expectaret. Sed Piſcarius vbi ea didicit aduentare, Guſmanum virum fortem & rei naualis non ignarum, cum claſsicula Gallicis nauigijs obuiam mittit: ita medio Lario in lacu commiſſa nauali pugna, Galli ſuperantur. Verùm Guſmanus iam planè victor, dum in hoſti-

lem nauem transcendit, & pede labitur, lacu est submersus. Hæc vbi Comi nunciata sunt, Vandenesius consumpto omni puluere, & desperatis auxilijs, Piscario deditionem facit, ijs legibus, vt ipse incolumis cum equitatu totoque reliquo præsidio, impedimentisq; & vexillis ad Lotrechij castra deducatur, & nulla Comensibus inferatur iniuria. Accipit læto animo conditionẽ Piscarius, solennes tabulæ conficiuntur: ipse Vandenesius armatus ex muro descendit, & claues portarum vrbis de manu, spectante exercitu, Piscario tradit. Eo modo compositis rebus, Ioannes Dorbinus castrorum magister perrupti muri custodiæ imponitur, vt Hispanos ab ingressu vrbis arceat. Comenses soluti metu spectatum in castra exeunt, iurant in verba Piscarij, & fœderatorum nomine sacramento adiguntur. Erant denique omnia quòd Gallos externos graues que dominos expulissent, plena gratulationis atque lætitia: sed dum Galli collectis sarcinis profectioni sese accingunt, passim totis castris Hispani prædæ auidi in coronis & contubernijs seditiosis sermonibus cõqueruntur, quòd minimè necessaria & prorsus inutili compositione, Galli & Comenses in deditionem essent recepti, qui facilè expugnari, iureque diripi, postquam tot tormentorum ictus expectassent, omnino potuerint: si eo modo bellum geratur, ex victorijs præmia & decus solis ducibus, porrò labores & vulnera militibus obuenire. quod iam superesse oppidum ex hoste, quod virtute expugnent, vt aliquando ditentur, & non speratam modò sed promissam laborum mercedem ferant, si iam ad extremos Italiç fines frustra vincendo egestate & fame semienectis in tanta tenuitate stipendij absque vllo prædæ commodo *sit* peruentum? Has voces Piscarius & commouentis se multitudinis fremitum auribus accipiebat, nec credebat tamen, milites tantum scelus ausuros, cùm repentè arma capiunt eo spectãte, per transuersum murum qui intercedebat, vsquea deò angustum. vt singuli tantùm transierẽt, fossam superant, & per ruinas eniuntur. Ioannes Dorbinus & Vargas signifer, qui erant cum cohorte in summo muro custodiæ præpositi, non modò reptantes & scandentes non arcent, hastisve retrudunt, sed eos porrectis dextris excipiunt, & alacriter introducunt: ita incredibili celeritate, si loci difficultatem reputemus, Hispani omnes ac demum ipsi Germani in vrbem irruperunt. Vrbs tota miserabili conditione est direpta: Patritij plerique ætate prægrandes vt maiore pecunia salutem redimerent, vulnerati, alij occisi. Lucia etiam Capellia nobilis, & forma ætateque florenti matrona sclopetto crudelissimè traiecta est. Non templi maximi Sacrario, quin vasa altaribus dicata raperet: non Vestalium virginum sacris ædibus qui cuncta pollueret Hispanus miles pepercit: tanta auiditate vt nunquam impudentius vel atrocius, si violatam fidem publicam spectes, vrbs vlla direpta fuisse videatur. Vnum Piscarius qui cum Vastio fratre satis matureè irruperat, diligenter cauit, vt Vandenesium & Gallos seruaret inuiolatos, quibus equos, arma, vestem vti potuit, seuera facta conquisitione restituit. tanti etenim regis ducem, summęque nobilitatis & excelsi animi virum iratum et frementem, cui fidem fefelliſſe, vel aliena culpa inexpiabile sibi dedecus futurum esse intelligebat, omnib. humanitatis officijs lenire conabatur. Sed Vandenesius vbi ad castra Gallica fuit deductus, eam contumeliam iracundo ingenio minimè ferens, per præconem missis & euulgatis epistolis, Piscarium ad singulare certamen prouocauit, tanquam priuatæ publicæque fidei violatorem, quòd

rem, quòd se & Gallos omnibus vexatos iniurijs fœdè violari, & vrbem solemni deditam pactione, non militum sed latronum more impunè diripi permisisset. Enimuerò hæc prorsus indigna Piscario censebantur, qui adeò religiosè, vti decoris cupidus in præclaro grauitatis & iustitiæ nomine famam quærebat: nam certè hoc admissum scelus, nec vlla doloris testificatione, demum impunitum ingenti eum inuidia onerabat. Hærebam ego eius lateri comes in Iulij legati comitatu castra secutus, & ineo lugubri spectaculo, tantaque rerum acerbitate pereuntis patriæ interitum deprecabar, postulando vt ad abolendam ignominiam, saltem in eos militari more animadueretur, qui vel primi nefario ausu, captis armis ad murum adcurrissent, vel qui in statione positi locum illis scandentibus flagitiosè consociata perfidia prodidissent. Sed Piscarius quòd tanta sibi scelerata militum licentia ad grauissimam notam inuidia conflaretur, præ dolore se mortem optare, neque tum aliud posse præstare respondebat, quàm vt eos quos indicabam, & ipse propè notauisset, sceleris authores ad merita supplicia reseruaret. Audiui ego postea Prosperum in corona prædicantem Piscarium famæ suæ iure optimo fuisse consulturum, si totum exercitum, vel saltem stationis cohortem seuere decumasset. Sic vt multi postea crediderint, eum prçaltis innixum consilijs, in spem ingentis imperij vel iniquè militibus indulsisse, vt singulorum redimeret voluntates, & ob id eos maximè sibi obstrictos, & ad omnia audenda paratos efficeret, vti postea rebus maximis incredibili eorum virtute feliciter gestis, eum non inani iudicio speraſſe manifestè apparuit. Dicere etiam sæpius solebat, nihil ijs qui in bello versarentur esse difficilius, quàm Martem simul et Christum pari disciplina coluisse, quando mos bellicus in hac corruptela militiæ, à iustitia & religione penitus auersus esse videretur. Cæterùm Vandenesij literis rescripsit, non debere eum dolore animi vehementius q̃ æquum esset incitatum, magis de ipso conqueri quàm de militibus, à quibus inopinata seditione fuerit circumuentus, ne fidem quam syncera voluntate deditis dedisset, exactissimè seruaret, quando in ea turbulenta consternatione defectioneque militum, prçclaris operibus ostenderit, quantæ sibi curæ esset, vt Galli ante omnia inuiolati seruarentur. Proinde non esse alienum ab humanis casibus quos plerunque vis fatalis importaret, vt rectam conscientiam & egregiam voluntatem æquissimi homines loco veniæ vel excusationis æstimarent. quòd verò vllam omnino ab æquitate, vti iracundia præpeditus excusationem recipere nollet, neque Fortunæ vim reputaret, quæ cuncta remedia improuiso turbine rapuisset, se id certamen quod offerretur, minimè detrectare, oblaturúmque se præstituto in loco arma & tela cùm perfecto bello, in quo ad alienum arbitrium militaret, Cæsaris sacramento et publico munere foret exolutus. Dum hæc Comi fiunt, Leo pontifex leui in speciem, sed atroci intus atque pestifero morbo non sine veneni coniectura, pauciſsimis diebus extinguitur: in cuius morte non modò bonæ artes & literæ, sed copia rerum, & publica salus, et denique læta omnia perierunt. Eo nuncio accepto, Iulius legatus, et cum eo Sedunensis Cardinalis magnis itineribus ad comitia Romam contendit: Lotrechius verò in spem erigitur belli prosperè renouandi. Veneti quoque rei Gallicæ multò propensius fauent: nec tamen Cæsarianis animus concidit. Parantur vtrinq; exercitus. Franciscus Gallorũ rex qui Heluetijs mercede conductis

Belgicæ Galliæ fines vaſtabundus irruperat, nullaque re memorabili geſta, cùm Copias Cęſaris ad Valentianum oppidum opprimere potuiſſet, domum redierat, omnes vires ad Italicum bellum intendebat. Pari quoque Cæſaris ſtudio ex Germania peditum auxilia mittebantur. Interim Lotrechius mortuo Leone pontifice, nec adhuc in locum eius alio ſuffecto, Parmam capi poſſe facilè ratus, eò magnam copiarum partem, Federico Bozolo, Marco Antonio Columna, & Bonaualle ducibus tranſmiſit. Ii quòd in celeritate inopinatóque aduentu ſummam ſpem reponebant, nequaquam tormẽtis adductis, tantummodo ſcalas tulerunt. ea re cognita Parmenſes audacter præconibus Gallis reſpondent, ſe vrbem quo ad vires ferrent, Romano futuro Pontifici fideli conſtantia ſeruaturos. Itaque tribus in locis diuiſis trifariam copijs, Galli vno tempore appoſitis ſcalis, murum inuadunt, ſed tribus pontificijs cohortibus, adminiſtrante & propugnante Salamonio Siculo, & Parmenſes alacriter arma capientes, F. Guicciardino vrbis præſide vehementer adhortante, mœnia defenduntur, Galliique omnibus in locis vario genere telorum obruti detruduntur: quo accepto detrimento, inſequenti nocte Galli diſcedunt, adeo mœſto trepidantique agmine, vt quum falſo rumore exorto Proſper atque Piſcarius ad iter concidendum Padum tranſiſſe dicerentur, ſeſe in nocturno frigore via maximè lutulenta, obſcuroque admodum cœlo, omnem facile fœdi metus pudorem exoluente, tremendo errandoque conficerent: quibus malis opportuno inuento M. Antonius, infixis cœno paſsim per viæ margines cereis luminibus feliciter occurrebat. Tum verò manifeſtè verum eſſe apparuit, quòd Fabritius Columna militari proloquio dicere ſolebat, tormenta maiora pro Vrbium & Caſtellorum hoſtilium clauibus haberi: nihilque tutum vel egregium militię poſſe geri, niſi vel in paruis expeditionibus ipſa tormenta quæ cuncta protinus aperiant, conuehantur. Nec multò poſt Renatus Baſtardus Sabaudius Franciſci regis auunculus cum Palicia & delecta Gallorum iuuentute Heluetiorumque legionibus tribus à Verbano lacu in Italiam deſcendit. ocurrêre eis negligenti diſsipatoq; agmine Mediolanum iter habentibus Cæſariani equites Caſtriotto & Caſtalio ducibus, quos Piſcarius exploratum miſerat: qui Heluetios improuiſò adorti, circiter ex his ducentos in Carbonario vico cęcidere. inde caſtigata licentia euagandi nequaquam ſimili temeritate, verum è diſciplina conſertis ordinib. Modoetiam eſt peruentum. Ibi Lotrechius cum ſuo, Venetoq; exercitu, ſuperata Abdua cum ſumma omnium lętitia & gratulatione ſe coniunxit. Erant enim ij duces et tales tantęq; copię, tribus in vnum coniunctis exercitib. vt Mediolanum imperij caput, Gallis pręſertim arcem tenentib. in diſcrimine poſitum eſſe videret. Neque enim tantulis Cęſarianorũ copijs vrbs ampliſsima facilè poterat defendi, niſi è Germania Hieronymus Adurnius, duce Gergio Franiſpergio incredibili celeritate per niuoſas Rhętię & Vulturenę vallis Alpes quinq; millia delectorum peditum adduxiſſet. Interea Proſper, atq; Piſcarius de hoſtium conſilio haud ambigua cõiectura iudicantes, nobili inuſitatoq; opere arcem circumuallare ſtatuerunt, ratione ducta ex Commentarijs C. Cęſaris, qui ad Alexiam binis auerſis munitionibus extructis, obſeſſorum, exteriorumque hoſtium conatus feliciter eluſiſſet. Nemini enim erat dubium, quin Galli, vt ſuis opem ferrent, ad arcem eſſent inſtructo exrcitu peruenturi, atq; ita intromiſſo

commeatu

commeatu renouatoque præsidio, Cæsarianis non modò de retinenda vrbe, sed de tota victoria foret desperandum. Eo opere nullum vel nostra vel patrum memoria, militiæ maius aut mirabilius fuit. A Vercellensi enim via, inclusis priuatis sacrisque ædibus ad Comensis portæ extrema suburbia binæ perpetuæ munitiones lunato ambitu perductæ, ita vt inter eas singulis conclusas fossis, latissima via relinqueretur, qua equites armatæque acies et tormenta curulia facilè commearent. vtrinque ad capita munitionis ingentia erant propugnacula, totoque opere alia minora forinsecus eminebant, cum idoneis fenestellis, vt tormentis succedentium latera peterentur. Arx ipsa ab opere distabat stadiorum trium interuallo, sic demum, vt partim à suburbanis tectis, atque his, quos diximus perpetuis aggeribus, partim qua vrbem despectabat, præsepto regionum exitu, vndique concluſa teneretur. Interim Galli duces producto exercitu, in pratis & viridarijs quæ ab arce latè extenduntur, non longè ab hostium munitionibus consederunt, qui in arce erant singulari affecti lætitia & summis turrib. suorum castra despectantes, id vnum, postquàm erumpendi facultatem amisissent, intenti expectabant, vt ab ijs magno impetu Cæsarianorum munitiones perrumperentur. gerebatur res omnibus horis nunquam ferè cessantibus magnis tormentis, multique interibant, sed plures ex agrestium fossorum quàm militum numero, ipseque Alfonsus Vastius penè interijt, quum pilæ ictu defracto quodam pariete cementi frustulis resilientibus, minuta plura vulnera sinistro crure suscepisset. Erat apud Gallos Nauarrus: is more ingenij sui cuniculos instituerat, quibus in medias hostium munitiones erumperet: cauabantur passim fossæ obliquæ, serratis gyris ad euitanda tormenta concisæ, quibus ad Cæsarianorum opera penetrarent: certabatur etiam quotidie extra ordinem ab equitibus, leuisque armaturæ peditibus apud castra Gallorum. Non videtur prætermittendum Luponi Hispani militis facinus. Is cursu & viribus tantùm valebat, vt ariete etiam humeris impositò velocissimi cuiusque cursum adæquaret. Hunc Piscarius quum certiora de hostium consilijs eorumque præsertim operibus cognocere maximè cuperet, prępositò præmio impulit, vt ad munitiones Gallorũ excurrere, & aliquid ipsius ingenio & solertia dignum referre vellet, quando pernicitati pedum confisus id tutò aggredi posse videretur: annuit Luponus assumptoque secum fideli sclopettario pedite, diluculo ad hostium munitiones est profectus, perspectóque situ, semisopitum vigilem corripuit, procerum sanè Gallum, eumque sublato clamore frustra reluctãtem, comite in excitos & persequentes sclopettum displodente, ad Piscarium humeris deportauit, vt cuncta sigillatim eo referente proderentur: excepit id facinus cum multo risu vterque exercitus. Verùm Piscario haud vanum illius indicium fuit, horaque maximè opportuna, cum delectis cohortibus hostes in opere occupatos est adortus, tanto Hispanorum impetu & perturbatione Gallorum, vt multis in fossa oppressis, et cæteris qui in statione erant cum cæde profligatis, tota Gallica castra ad eum tumultum, vt in subita armorum conclamatione, timore et strepitu complerentur. Biduo post quum Marcus Antonius Columna medius inter Pontiremium Gallum & Camillum Triultij filium adæquitans circumfusis pluribus Heluetijs ducibus, paulo editiore munitionum in parte versaretur, maioris colubrinæ ictu cum Camillo miserabiliter est discerptus. Vir inter Italos, si ingenij

ad omnia grauis & eruditi, & corporis ingentis virilisque maximè oris dotes cum fortunæ donis computentur, militari laude dignissimus. Prosper vti fratris filium & tantæ indolis Romanum ducem decuit, verissimis luxit lachrymis, ab hostibusq; receptum adhibito funeris honore tumulauit. Ferunt, Prosperum conspecto illo hostium globo armis & cristis maximè conspicuo, ignarum prorsus cui nam exitium pararet, eam colubrimam diu suis libratam manibus, vt emitteretur præcepisse, quo casu, reputatione tam iniquæ sortis iusto grauior mœstissimo patruo dolor inciderit. Nec multò post, Galli duces nequicquam institutis & perfectis operibus cùm munitiones hostium se posse perrumpere desperarent, ad Binascum Ticinensi via castra mouerunt, occupatisque propinquis vicis, partem copiarum cum Memorantio & Federico Bozolo trans Ticinum amnem miserunt, vt ad oppugnandam Nouariam debili firmatam præsidio conuolaret. At Mantuanus & Antonius Leua, qui Ticini erant, cognita Gallorum profectione, eis ad Gambalottam vicum productis copijs occurrunt: sed quanq̃ ad tormenti iactum collata signa essent, prælio tamen non decertant. Ita Memorantius suo innixus consilio Nouariam proficiscitur, adductisq; tormentis & signo prælij militibus dato, frustra propugnante & defendente Philippo Torniello, vrbem capit & diripit. in ea irruptione Bocalius Gallus dux equitum est interfectus. Interea Franciscus Sfortia qui paternũ in regnum reducebat, è Germania Ticinũ venit: eum Mediolanenses incredibili cum lætitia cunctantem expectabant, testabanturq; apud Prosperum atq; Piscarium, se nequaq̃ in posterum tantam vim pecuniarum in stipendium esse collaturos, nisi principem suum Cæsaris & Leonis studio restitutum paterna in sede conspicerent. Deerat enim Cæsarianis pecunia, cum sublato Leone pontifice, & Hadriano qui erat suffectus in extremis Hispaniæ finibus agente, ipsoque Iulio Medice Florentiæ inimicorum armis & domesticis insidijs petito, cuncta propè ad alendos exercitus defecissent. Cupiebat equidem Franciscus Sfortia Mediolanum proficisci, sed alienum videbatur à belli causa salutem in discrimen deuocare, & circumfusos hostes fallere conari, quando aut euolandum cum paucis, aut si cum valido præsidio ire pergeret in itinere nocturno prælio foret dimicandum: augebant has rerum difficultates Germani qui Ticini erant, pecuniam in stipendium vsqueadeò acerbè ac insolenter flagitantes, vt Mantuanus & Leua magnopere timerent, ne turbidi & sæpe venales animi, occulta fortè Gallorum largitione corrupti ad perfidiam verterentur. His rebus Mediolani cognitis, Piscarius Castalium familiarem suum equitum præfectum cum pecunia & mandatis Ticinum mittit. Is euitata militari via haud magno ad læuam capto circuitu, nullo hoste obuio peruenit, prolataque pecunia, & pacatis subinde Germanis Sfortiam alloquitur: docet exploratam esse victoriam, si Mediolanum ire maturaret: si verò inani præpeditus metu diutius cunctaretur, cuncta perdita & conclamata videri: tutissimum esse id iter quo ipse venisset incolumis: Piscarium præmisso vniuerso equitatu cum legionibus constituta nocte se ad primum lapidem egressurum: exeunti, equites qui Ticini essent, & Germanos latera simul & terga clausuros. Dubitantem adhuc Sfortiam & paterni carceris ærumnas, si caperetur, anxio animo reputantem, Hieronymus Adurnius vehementi oratione, qua non modò ignobilem, sed funestam fore mo-

ram

ram oſtendebat, incendit: atque ita Franciſcus ſalutis ac imperij iura ſuperis commendans, inſignem equum conſcendit, feliciq́ue temeritate noctu confecto itinere, flexuoſis tamen tramitibus ad Piſcarium peruenit. Tum verò ab armatis legionibus diſploſis certo numeroſoq́; ordine minoribus tormentis, ad lætitiæ ſignum dux & princeps eſt ſalutatus. Is fragor crepitantium tot tormentorum Gallos excitauit, & Venetos qui mutuis criminationibus publicam omnium incuriam fruſtra proſequentes vniuerſi belli facilè conficiendi exoptatam totieſq́ue exploratam occaſionem amiſiſſe querebantur. At Lotrechius qui in tantę rei momento defuerat, vt incurię vel imprudentię infamiam nobiliore auſu reſarciret, ad oppugnandum Ticinum ſumma celeritate contendit, ratus magnam præſidij partem in comitatu Franciſci Sfortiæ Mediolanum tetendiſſe: nec ob id modicis copijs vrbem defendi poſſe murorum ambitu ingentem, neque nouis operibus ab Antonio Leua ſatis egregiè permunitam. Succedente ad mœnia Lotrechio, atq; eam muri partem, quæ à Noua porta ad arcem pertinet, maioribus tormentis quatiente, ipſe Federicus Gonzaga Mantuanus princeps iuuenis noui decoris auidus nequaquam animo deficit: introrſus munitiones parat, adiuuantibus præclarè Ticinenſibus, ſtrenuè & fortiter repugnando, ſingularem tuendæ vrbis fiduciam ſuis pariter atque hoſtibus oſtendit. Cæterùm per literas orat Proſperum atque Piſcarium, vt ſubſidiarias cohortes properè tranſmittant, ipſiq́ue promotis caſtris ad ferendum auxilium appropinquent. Id ni fecerint, ſe nequaquam impetum hoſtium diu poſſe ſuſtinere: proinde niſi maturè ſubueniant, idq́ue protinus ſe præſtaturos ſignificent, ſe non ſerum & extremæ neceſsitatis conſilium ſibi deſumpturum, ne diu fruſtra repugnans, in medijs captæ vrbis ruinis opprimatur. Erat iam propè omnis ſpes vndique præciſa introducendi auxilij: nam Gallica & Veneta caſtra circa vrbem ingenti diffuſa latitudine itinera omnia claudebãt. non defuere tamen Proſpero & Piſcario cohortantibus & præſenti pecunia Centuriones inuitantibus, Italicæ duæ & totidem Hiſpanicæ cohortes, quæ ſe omnino peruaſuras eſſe profiterentur. Prefecti fuere ante alios inſignes Cullius Florentinus & Corberia Hiſpanus. Ij non minore nocturni itineris felicitate quàm animi conſtantia, deceptis vigilibus per media hoſtium caſtra tranſiuerunt, cùm Galli eos Italica loquẽtes lingua, Venetos eſſe putarent, & à Venetis Gallicè reſpondentes, Vaſconum cohortes crederentur. Verùm vbi Ticino magis ac magis appropinquarunt, in interiores vigilum ſtationes demum incidere: ibi cùm ad falſum teſſeræ nomen proderentur, cunctis in eos irruentibus, vix præbita eſt euadendi facultas: tumultu tamen totis caſtris exorto Galli equites tergis inſtando nonnullos cæcidere. Biberactus Lotrechij propinquus, alæq́ue vexillifer feruidiore ingenio iuuenis, dum euadentes intemperantius perſequeretur, intra portam quæ Ticino amni coniungitur, ſignum intulit, atque ibi priuſquam noſceretur, eſt interfectus. Interea Lotrechius non vno in loco mœnia quaſſabat: Cęſariani nouarum cohortium ſubſidio adiuti, impigrè reſiſtebant, quotidie equeſtribus prelijs eruptione facta certabatur. In his longè omnium erat acerrimus Ioannes Medices, qui mortuo Leone liberalius ſtipendijs inuitatus, ad Gallos tranſierat. At Mantuanus quanquam egregiè vim hoſtium ſuſtineret, multarum tamen rerum inopia premebatur, poſtulabatq́; frequentius literis à ducibus, vt ad ſoluendam

oppugnationem Mediolano copias educerent: quod cùm in ſumma pecuniæ difficultate ægrè cunctanterque fieret, dum cætera parantur, Piſcarius ad confirmandum Mantuanum cum delectis cohortibus, & expedito equitatu ad Carthuſiæ templum vſque profectus eſt. Antecedebat cum ala Caſtalius, is cùm hoſtibus occurriſſet, & primis pulſis vlterius proceſsiſſet, creſcentib. vndique Gallorum auxilijs intercipitur. Tum verò Piſcarius quin opem vel cum periculo ferre, minimè dubitauit, vt qui illum magnopere diligebat, atque ita equite ſimul et pedite ad curſum vehementer incitatis hoſtes eſt conſecutus. Eius aduentu & conclamatione Piſcarij nominis facta Galli perturbantur: Caſtalius eripitur, commutataque Fortuna, qui alios ceperant, vndique profligati capiuntur. Tantus eius prælij tumultus fuit, vt cùm in caſtris Piſcarium adeſſe nunciaretur, Lotrechius intermiſſa oppugnatione, & reductis ab opere tormentis, & inſtructo denique exercitu, tanquam prælio foret dimicandum, in hoſtes aciem conuerterit. Triduo poſt Caſtalius non longè a Binaſco tres turmas cataphractorum equitum impedito in loco deprehenſas fudit, Galeacijque Sanſeuerini, & Theodori Triuultij, item Boccalij Galli vexillare tulit. Non abſcedebat tamen incœpto Lotrechius, & ſumma vi, ſumma cura, quod in oppugnatione opus erat, adminiſtrabat. Res erant in magnum adductæ diſcrimen: nam tantum tormentis Galli profecerant, vt iuſto certamine indicto, vniuerſisq; admiſsis copijs, perrupta mœnia adoriri poſſe viderẽtur. Nec Mantuano eadem vel ſui fiducia, vel auxilij opportunè venturi ſpes aderat, quanq̃ cohortium, & equitum præcellenti virtute omnibus in locis feliciter vteretur: quamobrem à ducibus vt maturè opem ferrent, vehementiſsimè poſtulabat. Erant enim nonnulli ex numero familiarium, qui periculi metu occupati, vt ſe Placentiam ponte lapideo cum equitatu proriperet, nullo cum pudore ſuadebant. Hæc Mediolani ſingulis prope horis nuntiabantur: in idq; omnium animi erant intenti, vt ad liberandum obſidione Mantuanum cum omnibus copijs egrederentur. Sed Proſpero pro natura ſua conſideratius & apparatius cuncta agente, Piſcarius milites cohortatus primus ſigna eduxit, & alteris caſtris ad Carthuſiæ templum quadratis agminibus eſt peruentum. ſuo quiſque præcipuo munere fungebatur. Cataphractis equitibus Proſper, pedeſtribus copijs ipſe Piſcarius præerat, leuis armaturæ equitum cura Hieronymo Adurnio demandata. Is vt idoneum caſtris locum occuparet ad Carthuſiæ templum progredi iuſſus, Gallos & Epirotas equites quos reperit, impigrè præcurrens fundit, deiectoque hoſtium præſidio, loco potitur. Proſper atque Piſcarius adueniunt, collaudatoque Adurnio, intra ſepta ampliſsimi templi caſtrametãtur. Ea re cognita, Lotrechius ne ancipiti prælio dimicare cogatur, nota & rectiſsima ratione ab oppugnatione diſcedit, nec tamen iniquitate loci deterritus Cæſarianos adoritur: ſed modico viæ flexu ad Landrianum iter intendit, vt Mediolanum veluti præſidio vacuum præcurrat: vel ſi id facere nequeat, aliqua non iniquo loco dimicandi facultas, mutandis ſæpe caſtris, & faciundis itineribus quæratur. Verùm Proſper atque Piſcarius, quanquam iter magna adhibita celeritate vehementer extendentem, conuerſis ſignis eodem directo regreſsi itinere, multis horis antecedunt. Ita Lotrechius præoccupandi Mediolani conſilio depulſus Modoetiam contendit, multis de cauſis, & Gritto præſertim ſuadente, vt Tranſabduanis commeatibus maiore itinerum

rum commoditate iuuaretur: id etiam Heluetij poſtulabant domum repetere cupientes, vt pote qui iam improſpera militia feſsi, nihil cęptis aſpirante Fortuna, corporibus pariter atque animis elanguerant, & ſubinde inſolenti atque nefaria voce miſsionem petebant. Sed Baſtardus atque Palicia & Galeacius Sanſeuerinus cohortibus eorum immixti obteſtabantur ne ſe deſerere, & in fami diſceſſu certam ſpem paratæ victoriæ penitus euertere properarent, quando non modò ipſis, verùm vxoribus etiam & liberis, Franciſcus regum liberaliſsimus, ſingulari beneficij gratiam eſſet relaturus. Erat certè præclarum ſtudium, ac eximia fides in ducibus atque ſigniferis, ſed vulgus militum vti nullis peculiaribus donis obſtrictum, flagitioſè admodum nutabat, ita tamen vt vniuerſi ſi properè ducerentur in aciem, ſtrenuè operam nauaturi viderentur. Cognito hoſtium conſilio Proſper, atque Piſcarius nihil ferè Mediolani commorantes copias omnibus rebus inſtructas educunt, eo animo, vt ſi detur non iniqua occaſio, collatis ſignis cum hoſte confligant: ad Bicoccam vicum caſtra ponunt, loco admodum tuto atque opportuno: nam ad dextram perpetua foſſa viæ militaris, ad læuam autem, et in tergo duobus emiſſarijs anniculis cingebatur: in fronte tranſuerſam habebat viam plauſtris contrarijs permeabilem, atq; ita vtrinque depreſſam, vt agrorum margines ad vmbilicum eminerent. Hac via, quòd erat valde caua Piſcarius pro foſſa eſt vſus, & ante eam tormenta, & peditatum conſtituit: in tergo equites cum Proſpero tendebant. viam militarem occupauit Franciſcus Sfortia, qui vrbanas cohortes, & totam Inſubrum nobilitatem, vt prælio intereſſet, adduxerat. At Heluetij centuriones rei Gallicæ ſingulari ſtudio addicti, & ante alios Albertus Petra tot bellis dux inſignis, qui ſummam apud legiones obtinebat auctoritatem, vbi renunciatur ab equitibus, Cæſarianos medio inter Mediolanum & Modoetiam itinere caſtra poſuiſſe, nec eos plus quàm quinque millibus paſſuum loco plano diſtare, ad Gallos duces adcurrunt: loquitur Albertus, docet, nullo pacto milites quin domum abeant poſſe contineri, niſi in aciem educantur, ſibi in animo ſitum eſſe, vt regi de ſe benemerito, & Heluetiæ item dignitati ſatisfaciat, prælio decertare: neque dubitare de victoria, ſi Galli vti deberent, Heluetios ad hoſtium tormenta peruadentes alacribus animis ſequerentur. Si qui eſſent qui fœdè cunctari potius quàm egregiè pugnare vellent, eos nequaquam regi fideles, aut Reipublicæ vtiles debere exiſtimari. Proinde, ſe vt fidem & ſtudium erga regem oſtendat, vel cum ſolis Heluetijs aduerſus hoſtes eſſe progreſſurum. Is Alberti vigor nequaquam animo Lotrechij fuit ingratus, vtpote qui vel dubio euentu, & iniqua loci conditione dimicare, quàm ab Heluetijs deſeri malebat. Eius enim erat ſententiæ vt eorum impetu, poſtquam adeò flagrantibus animis prælium depoſcerent, protinus eſſet vtendum, quando neque pedite, neque equite, vel numero videretur inferior. Ducebat etiam tacitus ignominię loco, ſi tum, vti ſuperiore anno acciderat, nullo iuſto contracto certamine, iterum Ciſalpina Gallia pelleretur, quando id vnum ſemper cùm Heluetij tum maximè Galli equites vt virtutem oſtenderent, frùſtra multis precibus popoſciſſent, quòd ei vt in aduerſis rebus ſępe accidit, magnam apud Gallos inuidiam conflauiſſet. At Palicia cùm Alberti temeritate atque arrogantia maximè offenſus, tum ipſa etiam parum opportuna Lotrechij proclinatione commotus, Heluetiorum quidem ſtudium prolixè laudabat: ſed conſi-

lium de oppugnandis caſtris, vt ſummæ inſaniæ, funeſteque audaciæ plenum, æquis auribus ferre non poterat, ſæpe dictitans, ſe qui in Italia bellando conſenuiſſet, probè agnoſcere, et Piſcarij iuuenis vim, qui ſtrenuè pugnare eſſet ſolitus, & Proſperi ſenis artes, qui peritè caſtrametari cum alieno incommodo, & præcipua ſua cum laude didiciſſet. Non videri ſibi rem Gallicam eò deſperationis eſſe perductam, vt tanquam in extrema neceſsitate confligere, & ſuperari malint, quàm cunctando animi impetum optima ratione moderari. Proinde quid tutius, & melius quàm loco medio inter Mediolanum, & caſtra hoſtium ſe inſinuare? Ibique poſitis caſtris, eos vrbe & commeatibus intercluſos ad id cogere, vt iniqua conditione dimicent: aut ſi caſtra inuadere audeant, aut certè ſi Mediolanum redire velint, æquo loco pugnandi faciant poteſtatem. Poſſe equidem Lotrechium, qui ius imperij habeat, & tum & aliàs cùm velit, malè pugnare: cæterùm ſani imperatoris munus eſſe, nunquam prouocare hoſtem, niſi antè explorato euentu non dubiam ſibi victoriam firma ratione promiſerit. Tum verò Lotrechius non ſegni, inquit, cunctatione ſedendo, ſed vigenti virtute pugnando opus eſt, vt amiſſum decus & imperium omnino recuperetur, quòd hercle fieri non poteſt, ſi Heluetios iam abeuntes nullo edito virtutis opere domum abire permittimus. Igitur parate arma, vt hodie bellum alterutro pugnæ exitu finiamus. Ad id Palicia, Dij, inquit, inſanis, & audacibus adſint: ego certè, ne periculo defugiſſe videar, in prima legione pedes pugnabo. Vos Galli equites fortiter operam nauate, vt Fortuna nobis potius in re aſpera quàm animus defuiſſe videatur. Itaque ante Solis exortum Albertus legiones Heluetias (erant enim circiter quindecim millia hominum) cum tormentis educit, adeò vecordi vel certè fatali ſuperbia inflatus, vt neque Lotrechio neque Paliciæ tantis ducibus vlla in re penitus obtemperaret, ſed Barbaro faſtu polliceretur ſe recta fronte in Cæſarianos impetum eſſe facturum. Nec mora, Lotrechius Nauarro atque Baiardo, qui locum et caſtra hoſtium explorarent præmiſsis, ex omni Gallico equitatu duas acies facit, primam Leſcuto fratri attribuit in terga hoſtium magno circuitu deducendam, ipſe cum altera ſubſequitur. Venetis qui ad læuam erant, fuit iniunctum, vt præeuntibus Heluetijs terga omnium ex tuto, aut certè remotiore cum periculo clauderent. Ioannes porro Medices cum equitatu ſuo, qui erat ex vtraque armatura valde mirificus, expeditisque cohortibus Italicis, quæ nomen eius ſequebantur, cuncta agmina præcedere iubetur, vt huc & illuc concurſando, hoſtibus proſpectum adimat, & nullum hoſtium antecurſoribus explorandi locum relinquat. Ita legiones abſcondente Medicis equitatu, nequaquam ab hoſtibus conſpectæ, magnis paſsibus appropinquant. Primi tamen Leſcuti equites à Cæſarianis ad leuam inter arbores micantibus armis conſpiciuntur. Sed adeò lato viæ flexu iter habentes, vt caſtra prætergredi, & Mediolanum petere viderentur. Interea Piſcarius quo nemo conſtantius in repentinis caſib. animi iudicium conſeruauit: Caſtalium cum ala prçcurrere iubet: eo prouecto, cum Mediceis equitibus prælium exoritur, modò ij, modò illi pelluntur: interueniunt ſclopettarij extra ordinem, ſeſeque adeo permiſcent, vt neque his de Heluetiorum aduentu, neque illis de ſitu, atque ordine caſtrorum quicquam certius cognoſcendi vlla facultas daretur. Erant, vt diximus, ante foſſam tormenta opportunè collocata, peditatus in quatuor acies, æqua tamen fronte ita diſtributus,

vt alternis

vt alternis ſpacijs Hiſpani & Germani miſcerentur. Præerat Germanis Georgius Franiſpergus ingenti corporis & virium mole conſpicuus: ſclopettarij ante haſtatorum producti ordines totam in longitudine frontem obtinebant, quibus Piſcarius tam nouo & ſolerti, quàm poſtea felici inſtituto præcepit, vt non prius ignem ſclopettis immitterẽt, quàm Volagnem ad ipſius imperium primò diſplodentem conſpexiſſent. Primis autem ordinibus imperat, vt cùm ſclopettos emiſerint, ſtatim in Genua ſe proclinent, ac eos rurſus adimpleant vt ſecundo ordini ſine anteriorum periculo protinus diſplodendi facultas detur. Idem vt faciant ſecundis imperat, atque item tertijs & quartis, ſcilicet, vt cùm vltimi emiſerint, rurſus primi & ſecundi ad emittenda quæ repleuerint, celeriter expediteque conſurgant. Atque ita inceſſanter mirabili repetito ordine veluti perpetua pilarum grandine, vt priuſquam manus conſeratur, hoſtiũ legiones conſternantur. Non defuit Piſcarij conſilio euentus: Heluetij namque emiſſis prius maioribus tormentis cùm appropinquarent, incitati vehementi curſu nihil de iniquitate loci ſuſpicantes ad foſſam peruenerunt, vbi opportunè à Piſcario cuncta quietè ſimul atque celeriter adminiſtrante, emiſſa repentè ſclopettorum procella, adeò fœda ſtrage edita, momento temporis affli cti oppreſsique ſunt, vt non modò ſigna, ſed integræ cohortes vno impetu concíderent: ipſe tamen Albertus ante alios intrepidè per aggerem connixus, Franiſpergum ſibi cognitum, & probroſo nomine compellatum petit, adactaque in coxam haſtæ cuſpide, illum vehementi ictu ſauciat, ſed ipſe ibi protinus telis vndique petitus opprimitur. Ea quoque audacium manus, quæ inſano impetu ſucceſſerat, à Germanis pariter, & ab Hiſpanis ex ſuperiore loco ingruentibus facilè conciditur: quo incurſu vulneratur in brachio Alfonſus Vaſtius, qui quum primò cum haſtatis humi ſtratus, præteruolantes pilas euitaſſet, nõ procul à Franiſpergo in hoſtes demum erecta acie procurrerat. Cæteri Heluetij per cumulos occiſorum, & interpoſitas haſtarum ſtrues, diu conflictati terga vertunt. Eodem quoque tempore Leſcutus circumducto equitatu in tergo hoſtes adoritur: ſuperatis duabus foſsis caſtra irrumpit. Ambroſius Landrianus Sforţianæ alæ præfectus funditur, & capitur: tabernacula ſternuntur: Antonij Leuæ, & Terminei reguli tentoria, vaſaque argentea lixis & calonibus cedunt. Fit longè maximus tumultus totis caſtris: pauor, non modò milites, ſed ipſos etiam occupat Duces: recipit tamen celeriter ſe ipſum ex rei repentinę metu Proſper, et equites inſtructos Adurnio, et Coliſano impigrè adiuuantibus, adcurrenteque ante alios Antonio Leua, turmatim Gallis opponit. Iam in ponte Leſcutus ſingulari virtute pugnabat, quo ſi eſſet potitus haud dubiè ad latiſsimam Cæſarianorum ſtragem edendam Gallicus equitatus irrupiſſet, quum Sforţiani equites à militari via promotis ſignis prælium exceperunt: adcurrit etiam propere ſubſidio ſclopettariorum Italica cohors, itemque Inſubres qui loco tutiſsimo trans emiſſarium minora tormenta cantarijs ligneis impoſita in tranſuerſos hoſtes emittebant, aderat eis aſsiduus cohortator Franciſcus Sforţia: varium et atrox erat prælium, vti in loco non modò foſsis, et prealtis riuis, ſed tabernaculorum funibus, & multis longurijs ad alligandos equos præfixis, vndique prepedito. Pugnabatur tamen acerrimè in ponte: ibi enim ipſe Leſcutus phaleris, & plumea criſta inſignis magna vi perrumpere contendebat. Nec deerant æmulatione decoris Memorantius atque Baiar-

dus & Pontiremius Ducum promptiſsimi: itemque Federicus Bozolus, qui in militarem viam penetrarat: ſed obſtabat Gallorum equitum virtuti loci iniquitas. Nam neque denſatis turmis perrumpere, neque ſeſe tueri poterant, quum nullum pedeſtre ſubſidium adduxiſſent. Itaque Galli qui in ponte pugnabant, pluribus vtrinque in profluentem fœda hominum, & equorum ſtrage præcipitatis deturbantur: confoditur Leſcuto equus, & mox quum alium ſumpſiſſet, gladio in os per caſsidis buculam coniecto vulneratur. Cadit et Bac calaurea Brionij ſignifer: Vgoni Pepulo crus pila trajicitur: vexilla Gallica rapiuntur: ſclopettarij qui vltra foſſam erant, in latus hoſtium verſi frequentib. ſclopettis magnum cataphractis, et eorum præſertim equis inferunt detrimentum. Interim deleta primùm Heluetiorum acie, è peditatu victoria conclamatur. Is lætiſsimus clamor per manus defertur ad poſtremos: Gallis illico animus concidit, Cęſarianis augetur: explicat ſe pugna Leſcutus, & ſingulari conſtantia, quanquam multis amiſsis equitibus ſe recepit ad Lotrechium fratrem, qui conſpecta Heluetiorum cæde, & fuga, conſtanter in acie ſubſtiterat. At Piſcarius vbi ſtratis primis ordinibus perturbatas, & in fugam verſas legiones hoſtium vidit, quantis maximè valuit precibus, & obteſtationibus Franiſpergum & Germanos eſt cohortatus, vt ſigna protinus inferendo, fuſorum terga cæderent: de gente Germanico nomini inimiciſsima vindictam ſumerent, et denique abſque vllo periculo ſumma victoria potirentur. Id quum ab eis qui inſolenti contumacia dicto audientes eſſe nolebant, & triplex ſtipendium incondito fremitu flagitabant, nequaquam impetraret, vt exemplo accenderentur, Hiſpanorum tres cohortes emiſit: eæ quòd effuſæ præcurrerent, nec Germani ſequerentur, amiſſo Guinea Centurione propè ſunt circumuentæ, cùm ab Heluetijs, qui tormenta retrahebant, tum à Ioanne Medice, qui ex tranſuerſo illatus cum peditum atque equitum valida manu, abeuntium Heluetiorum terga protegebat. Cæſariani tamen equites Proſpero imperante, et Piſcario vt maturarent vultu iracundo flagitante, veſtigijs inſtiterunt: atque ita Medice audacter in eos vexilla conuertente, equeſtri prælio duabus amplius horis decertatum. Nam & Galli, et Veneti leuis armaturę equites ad Mediceum vexillum vndique confluebant. Cæterùm ab initio pręlij ſtratis Heluetijs, Venetæ copiæ fermè omnes Theodoro Triuultio Duce, nec tentato quidem certamine ſe receperunt. In primo congreſſu, aut poſtea ex vulneribus circiter tria millia Heluetiorum periere, & in his quatuordecim noti duces, in queis ſecundum Albertum Petram, Arnoldus Vnderualdius ſtrabo auctoritate & virtute animi plurimum eminebat: è Gallis vero deſiderati ſunt Miolantius & Ghiſcia, duoque nobiliſsimi iuuenes, Monfortius atque Tornonius. Ex Cæſarianis autem Petrus Coliſanus regulus ex gente Cardonia Piſcarij auunculus, qui cùm galeæ bucculam ſubduceret, ſcorpionis ſagitta per oculum traiectus interijt: ita vt fatali Cardoniæ familiæ potius, in qua tot Duces Mars immittis abſtulerat, quàm ſua peculiari ſorte extinctus eſſe videretur, quando vnus tantum toto exercitu ſcorpio ſit repertus, quo ignobilis eques eam ſagittam in certum ad illius egregij viri necem emiſerit. At Piſcarius quanquam omnium voce & gratulatione, cùm ſingularis induſtriæ, tum eximiæ virtutis parta laude fruebatur, vix vllam tamen animo & vultu lętitiam præferebat: nam frendens, et gemens incomparabilis gloriæ victoriam, fœda germanorum contumacia

tumacia & conſternatione, ſibi è manibus ereptam fuiſſe querebatur. Poſteros autem die, quum fuſis, atque perterritis inſtandum eſſe cenſeret, Gallicæ copiæ omnes diſſoluuntur: Heluetij amiſsis Ducibus domum continuo per Bergomatem agrum contendunt: ad Tritium Abdua trajicitur: Veneti in Brixianorum fines recedunt: Leſcutus, & Ioannes Medices Cremonam, Bozolus cum reliquo equitatu Laudem Pompeiam proficiſcuntur. Lotrechius, Palicia, & Baſtardus trans Alpes in Galliam abeunt, vt coràm de ſtatu rerum & de infelicitate eius prælij Franciſcum regem doceant. Quibus reb. cognitis, Cęſariani Mediolanum reuertuntur. Interea Franciſcus Sfortia pecuniam ſedulo conquirit adiuuantibus præclarè ciuibus: militi ſtipendia perſoluit: plures donatiui nomine veſtibus laneis, & ſericis liberaliter exornat: atque ita exercitus omnibus rebus inſtructus, ſeptima die poſtquam ad Bicoccam tertio Kal. Maias eſt pugnatum, ad oppugnandam Laudem ſub ſignis educitur. Antecedebat Piſcarius more ſuo cũ Hiſpanis & expedito equitatu. Proſper cum Germanis & graui armatura, maioribusque tormentis ſequebatur. Quum præcurrerent equites, & in portis tumultuarium prælium cierent, Baro Caſtellarius cohortis præfectus, vir Gallico ingenio, Hiſpanorum audaciam minimè ferẽs, ſe quin erumperet, cõtinere non potuit: eum etiam nonnulli equites ſequuntur: illicò miſcetur pugna: ſuperuenit Ioannes Dorbinus cum ſclopettarijs: Galli cedunt, ipſe Baro tam fortiter repugnans, quàm temerè fuerat egreſſus, vulneratur & capitur: ita Hiſpani compulſis intra portam Gallis, ſuburbanis tectis potiuntur. Fit magnus tumultus ad portam, quum quiſque metu incitatus, per ſemiadapertas fores ingredi conaretur. Aduolat eò Piſcarius, Baronẽ vulnus obligantem bono animo eſſe iubet, quum ridendo percunctaretur, an magnis munitionibus atque præſidijs mœnia firmaſſent, ab eo cùm dolore vulnerum, tum eruptionis infelicitate vehementer perturbato didicit, nihil intus è diſciplina fuiſſe præperatum. Tum verò nihil cunctandum ratus, vndique copias admouet, tumultuoſiſsimo pugnæ genere propugnacula murúmque ſubeunt: ſclopettarij mœnium coronam defenſoribus nudant: ſcalæ aponũtur: nonnullis intra portam per ruinas interfectis, portulæ fores reuulſis vectibus impelluntur: irrumpunt cohortes, & vrbs vndique capitur. Alfonſus Vaſtius inter primos murum conſcendit: tum verò Hiſpani in forum conglobati peruadunt: vndique Galli capiunt. Bonauelles & Bozolus qui cum mille amplius equitibus eadem hora per aduerſam portam aduenerant, inermes & diſcincti vltra Abduam profugiunt. Eos Caſtalius in primis & Epiratæ equites duce Conſtantino effuſi ponte ligneo perſequuntur. Sed duces ab ignobili habitu facilè neglecti, quum ornatiores tantùm equites caperentur, Cremam incolumes fœda fuga perueniunt. Captæ ſunt quatuor alæ equitum cum vexillis, paucis admodum interfectis, ſed magna equorum & armorum præda Hiſpanis ceſsit: multi quoque Laudenſium qui Gallico nomini impenſius fauebant, pecunia ſunt mulctati. Eo incommodo recepto, reliquæ ſpes omnes Gallis ſunt acciſæ: nam ætate noſtra nunquam ſimul ex Gallica gente tot equites vllo in bello captos fuiſſe conſtat. At Proſper qui graui agmine ſenſim appropinquabat, vtpote qui vrbem niſi magnis operibus, admotiſque tormentis expugnari minimè poſſe iudicabat, vbi mœnia manu capta, & tot equites oppreſſos incredibili celeritate virtuteque Piſcarij didicit, animo

haud mediocriter est commotus vsqueadeò apertè, vt publicam lætitiam cæco & ignobili quodam liuore perfunderet, quasi iam Piscarius qui tricesimum annum vix attigisset, ipsius veterani ducis gloriæ maximis operibus æquaretur.

LIBRI SECVNDI FINIS.

LIBER TERTIVS.

CAPTA Laude Pompeia, Piscarius ad Pisleonem est profectus: id erat oppidum Cremonensi via in Abduæ ripa positũ, nouo præsidio & antiqua munitione firmissimum: eò cùm venisset, inspecto situ, & tentatis præsidij viribus, reperiebat non facilè posse capi, nisi magno aduecto tormentorum apparatu: neque item obsideri nisi longissimo labore: quoniam præfectus trium mensium cibarijs arcem abundè repleuisset. Relinquebatur vt quantis maximè posset artibus & machinationibus hostes terreret, & vineas agendo, & statuendis maioribus tormentis subiecta loco repurgando egregiè simularet, se id oppidum vi capturum, ac protinus euersurum, nisi priusquam ingentia tormenta conueherentur, deditionem fecissent. Igitur ad eam consilij speciem vt vndique terrorem incuteret, circuibat oppidum: aditus omnes succedentibus expeditis sclopettarijs pertentabat: iubebatq; eos vt ex protectis locis diligenter obseruarent, si qui inter murorum pinnas versarentur, atque eos destinatis ictibus ferirent. Sed dum ipse medius inter Bustium & Mercadum centuriones ponticulum transiret, suæque prudentiæ & agilitati confisus, vt qui pericula incerti euentus ingenti animo semper contempsisset, pari hostium diligentia penè est interfectus. Tres enim scloppettarij defensorum longè peritissimi, ab occulto muri loco intenti obseruabant, an aliqui ex Hispanis apparerent, in quos certis ictibus tormenta minora conijcerent: atque ita accidit, vt cum Bustius & Mercadus extemplò grauiter icti cecidissent: iam tertius in Piscarium sedulò collimans, ignem immitteret, cùm repentè Ticinensis centurio cognomento Fratereulus, iniecta manu accensum funiculum auertit, alta voce inclamans, Dij prohibeant, vt hodie ducum fortissimus atque idem militum parens, & qui nos vel hostes alit, nostra fœuitia concidat: quin potius eum seruemus, vt superstit qui bella ex bellis ferat, ne nobis qui stipendia sequimur, segni in pace fame sit pereundum. Erat enim adeò propinquus arci, vt ab toto corporis habitu, & à rutila præsertim barba facilè nosceretur. Nec multò post hic ipse Centurio cùm certam muri partem nequq̃ à præfecto, vti oporteret, munitam esse queretreur, territusq; imminentis periculi denunciatione collo quium postularet: Castalius arcem ingressus, tantum minarũ Piscarij nomine simulanter effudit, vt præfectus magnopere conterritus, deditionis tabellas obsignarit. Ita oppidum qp neque vi, neq; obsidione nisi admodum diuturna capi posse videbatur, verbis ac vna tantum oppugnantis authoritate hosti celeriter est ereptum. Nemo enim Piscario omnis generis hominib. vel alliciendis sermonum benignitate, vel præsenti atrocium verborum fulgure perterrendis effi-

rẽdis efficacior atq; vehementior fuit. Pisleone amisso, Lescutus qui Cremonæ erat, quanquam singulari dolore erat affectus, nihilominus operam assiduè dabat, vt mœnia munirentur: pecuniam quoque vel summa acerbitate à ciuibus exigebat vt copias aleret, & sese quam diutissimè tueretur. Cæterum Piscarius tam læto rerum successu ad summam victoriam vtendum ratus, Cremonæ mœnibus copias admouit. Venit & eo Prosper cum reliquis copijs, & magnus rerum omnium apparatus Francisco Sfortia subministrante in castra Mediolano conuehitur. Erumpebat sæpe Ioannes Medices, itemq; equites Galli & expeditæ cohortes, mutuisque acceptis & illatis detrimentis quotidie certabatur. Iam proferri tormenta cœperunt, cùm Lescutus suadentibus Gallis de dedenda vrbe cogitauit. Erat enim omnibus rebus impar, & aduerso rerum successu potius quàm animo fractus, postquam à Fortuna deserebatur, nullum honestiorem afflictis rebus exitum videbat, quàm vt tot viros fortes qui secum toties egregiè pugnassent, non iniqua conditione conseruaret. Hæc dum agit, missisque ad Prosperum atque Piscarium nuncijs, se daturum obsides impetratis inducijs pollicetur: eius rei haud vanus rumor ad Ioan. Medicem defertur. Is vt erat ingenio ferox, & plerunque violentus, eam contumeliam vix ferens, quòd non esset in eius rei consilium admissus, adeò ira protinus exarsit, vt palàm ferocibus verbis se contemni quereretur, iuraretq; sumpturum sibi consilium, vt iniuriam vindicaret, & stipendia debita militibus suis soluerentur: merebant enim iam tertium mensem sine pecunia cohortes & equites: hoc enim Lescutus vna tantùm propinqua spe eius pecuniæ quæ è Gallia mitteretur, & peramplis item pollicitationibus sustentabat. Itaque milites vbi ducem iratum vident, & clàm à Gallis agi de compositione, & se deseri audiunt, cùm meritis stipendijs fraudari magnopere timerent, vti consternatis mos est, stipendia turbidis clamoribus editis efflagitant: signa conuellunt, & tormẽta quæ in hostes erant conuersa, à mœnibus reducunt, tanquam inuasuri Gallos vti hostes, direpturique vrbem, aut portam quam præsidio tenerent, hostibus prodituri. Tumultu exorto, prodit in publicum Lescutus, nec dubitat quin ad seditiosos milites contendat, confisus ingenio Medicis, quem vti facilè irasci solitum, ita citò placabilem nouerat, eum comiter appellando, & apprehensa dextra deprecando, lenissimis orabat verbis, vt milites sedaret, sibiq; ignoscere vellet, si quid ipso ignaro cum hostib. tractasset, quando nihil adhuc rebus integris esset confectum. Debere eum qui eo sanguine eaque familia esset genitus, quæ nihil dedecoris admittere consuesset, ante omnia beneuolentissimi regis causam spectare, cuius liberalitate non modò stipendia, sed priuata strenui cuiusque militis merita cumulatè persolui possent, si vel modici temporis expectatione patienter vterentur. Ad ea Medices, se quidem iure iratum esse respondit, sed in honorem regis eam iniuriam facilè remittere, modò militibus stipendia soluerentur. Rem enim esse summæ iniquitatis occultis pactionibus bellum finire, vt extemplo dimissi milites debitis stipendijs fraudentur: sibi in animo esse quo ad vita superfit, militum suorum causam tueri: neque eos laceros, egentes, vulneribus debilitatos decipi à quoquam & proijci velle pati: quando in eo verum decus, veramque laudẽ reponeret, si fortissimos milites suum secutos nomen ab iniuria defendisset. Enimuerò se Gallorum morem agnoscere (vti satis esset euulgatum) qui Italos vel fortes & fideles in summa felicitate despiciant, & in dubijs belli

rebus, cum forti eorum opera ſtudioq; egeant, humaniter & liberaliter obſeruent: cùm verò Fortuna vltimos calamitatis caſus attulerit, vti trepidi et ſibi ipſis tantum conſulẽtes, turpiſsima quędam obliuione deſtituant. Hęc cùm tumido ore altius proferret, interuẽtu multorũ ducum, arridenteq; Leſcuto colloquium dirimitur: ad leniendas verò cohortes Leſcutus quantum potuit à quæſtore pecuniarum ſumpſit: itemque aliquot argentea vaſa ab amicis mutuò accepta in partem ſtipendij Mediceis cohortibus diuiſit: atque ita pacatis militibus facilè Medices ad officium eſt reuerſus. Sed Leſcutus ſecum ipſe reputans quo in periculo verſaretur, & cohortes ſeditiosè ſemel agitatas iterum ſimilia comminari, flagitioſeque deficere poſſe conſpiceret, perquam maturè de dedenda vrbe cum hoſte tranſegit, quando deſperatis auxilijs in ſumma rei nummariæ difficultate conſtitutus neque nouas parare copias, neque veteres alere facilè poſſet. Ita datis obſidibus conditionum tabulas obſignat, quo adè Gallia literis regijs comprobentur. Nec multò poſt cuncta rata habuit rex Franciſcus, Cremonaque dedita eſt. Leſcutum cum tot Gallorum agmine in Galliam tranſeuntem, Proſper atque Piſcarius ſumma comitate liberalitàteque Ticini ſuſceperunt, vbi per conuiuia & ſaltationum ludos apud nobiliores matronas aliquot diebus ſubſtitit, atque inde in Galliam ad regem eſt profectus. Vnus omnium Gallorum Cauſentius Vaſco Leuci oppidi ad Larium lacum prefectus, cùm ex conditionibus id reddere iuberetur, Leſcuto non paruit: haud digna tamen viſa eſt cauſa Cæſarianis eò tum victrices copias conuertendi, quando iam duces poſt tot partas de hoſte victorias, maius atq; præclarius bellum aduerſus Ligures vehementibus conſilijs atque animis agitarent. Cremona in poteſtatem redacta, extemplò copijs omnibus Padum traductis, bellum aduerſus Ligures ſuſceptum. Nam Octauianus Fregoſius ex profeſſo Gallicum nomen tuebatur. Is ab initio belli hoſtis fuerat iudicatus, quoniam ſuperioribus annis inopinata defectione Franciſcum regem in Italiam euocaſſet, quo iniquo vel ingrato conſilio ſibique in primis & patriæ exitiali, inexpiabile odium Cæſaris & Leonis maximè pontificis ſibi concitarat. Piſcarius quoque qui pulſis Adurnijs Octauianum in patriam reduxerat, & principem conſtituerat in ciuitate, Hieronymo Adurnio vehementiſsimè fauebat: is tum in caſtris aderat, hortabaturque Cæſarianos duces, vt maturè Genuam contenderent, vt oppreſsis vel eiectis Fregoſijs, nemo demum qui Gallicis partibus ſtuderet, in Italia relinqueretur. Erant enim Genuenſes ocij ante alios, Gallo ad reparãdum bellum repetendamq; Italiam maximè opportuni, per ſe etiam pecunioſi, & nauali apparatu adeò potentes, vt Cæſariani minimè dubitarent, Gallorum ſpes omnes ac ſpiritus frangi, ſi omne Liguſticum nomen ab eorum fœdere atq; amicitia, aut vi aut pactione aliqua diſceſſiſſet. Itaque Cæſariani Genuam contendunt: Proſper Columna eum quo etiam erat Franciſcus Sfortia, vt ad exprimendã deditionem bello ſuſcepto maior authoritas adderet eum Germanis ad eam Portam poſuit caſtra, quæ ad Feritorem amnem ducit: Piſcarius & Hieronymus Adurnius cum Hiſpanis atque Italis per ſuburbana tecta ad aduerſam ſancti Thomæ portam mœnibus ſucceſſere. Ante omnia Piſcarius per præconem edixit, vt Genuenſium villis atq; delitijs parceretur, adeò ſeuera lege, vt Spinoſam equitẽ viliſsimæ prædæ intentũ, laqueo è feneſtra ſuſpenderit. Volebat enim nequaquam exacerbatis

ciuium

ciuiũ animis cuncta experiri, vt ſine ſanguine et perturbatione ciuitatis Frego ſij pellerentur: ſicuti antea Adurnios ſingulari æquitate animi patria & principatu vltrò excedentes, in altera rerum fortuna pepuliſſet. Id Hieronymus Adurnius diuini vir ingenij ſollicito animo vt feliciter eueniret, optabat potius quàm ſperabat. nam Octauianum natura conſtantem & impauidum eſſe nouerat, & Federicum fratrem Salernitanum antiſtitem, virili potius quàm honeſto conſilio contemptis belli periculis nunquam paſſurum arbitrabatur, vt ignobili metu & principatus & patria relinquerentur, niſi prius, cuiúsnam hæc futura eſſent, Marte iudice certaretur. Nec deerant e Fregoſia factione turbidi acerbique homines, qui vt egregium ſtudium erga principem oſtentarent, vires hoſtium inanibus eleuarent verbis, & ſeſe, vxores & liberos pro eius ſalute ac dignitate, ſi animum minimè deſponderet, deuoturos teſtarentur. Erant in præſidio circiter quinque millia externorum & maximè Corſorum militum præter cohortem prætoriam & ciuium ac montanorum Ligurum turbam, quæ arma alacriter ceperat, quaſi veteris gentis conſuetudine cũ eiectitijs ac exulib. aduerſę factionis, non cum veterano ac externo hoſte foret dimicandum. Aderat Andreas Auria vir acutus & egregiè fortis cum claſſe aliquot magnarum nauium & triremium ſeptem: expectabaturque Nauarrus cum Gallicis roſtratis, qui expugnandarum & muniendarum vrbium artificio metuendus euaſerat. Quib. de cauſis nonnulli Fregoſiorũ clientes ſublatis animis ſeruitutem et cathenas ad remos petulanter Hiſpanis atq; Germanis minabantur, eosque talem eius belli exitum infelici temeritate laturos prædicabant, qualem patrũ memoria Galli, & demum Sfortiani ſub ipſis Genuę mœnibus pertuliſſent. Cum is eſſet ferè tota ciuitate animorum habitus, Piſcarius ſenatum per literas miſſo caduceatore monuit, vt ſicuti ſuperioribus temporibus feciſſent, in extremo rerum omnium diſcrimine ſapientes eſſe vellent: felicitate Cæſaris & virtute inuicti exercitus eas partas eſſe victorias, quæ documento eſſe poſſent ſanis hominibus, nihil vltra in exitiali contumacia perſiſtendum. Proinde Gallicum iugum excuterent, quòd ſemel fortiter atque feliciter excuſſum, Fregoſij cum ſumma accepti beneficij obliuione, in miſeras ciuium ceruices iniquiſsimè repoſuiſſent. Si Fregoſij vti antea Adurnij præclara animi moderatione ceſsiſſent, principatu vrbeq; cederent, et cum Cæſare fœdus percuterent, ipſos ſuis vſuros legibus in libertateque futuros. Quòd ſi paucorum libidini vel amplitudini ſeruire vellent, nec vllo periculo perituræ patrię permouerentur, ſe daturum operam, vt Genuenſes inſanę peruicaciæ pœniteret. Similibus quoque literis Hieronymus Adurnius priuatim, & qui ipſius factionis ciues erant in caſtris, amicos & propinquos admonebant, ne labantem Gallicarum partium fortunam, cæca animorum obſtinatione ſuſtentare ac erigere conarentur: vt demum impares viribus, pro aliena ſalute concideret: poſſe Octauianum, vti optimum ciuem deceret, præſenti periculo ſeſe ac patriam eripere, vt alio demum tempore melioreque fortuna commutatis rebus redeundo incolumi patria potiretur. Verùm fatali quodam morbo adeò potentium aures erant obſtructæ, vt qui in conſilio vigebant, & diram patriæ calamitatem haud vanis coniecturis ominabantur, liberè ſententias dicere non auderent. mittuntur nihilo minus in ſpeciem legati, ipſius tamen Fregoſij familiares, vt interpoſita pacis mentione apparatum expugnandæ

vrbis aliqua ex parte retardarent. Sed Piſcarius cognitis eorum conſilijs, adeò intentus & omnis periculi oblitus collocandis tormentis idoneum locum quę rebat, vt ſe bis in vallem demitteret, quæ pro foſſa muro iungebatur, & telis tormentisque hoſtium erat ſubiecta. Ab hac valle quum per accliuem & præruptum locum euadendo, ſcuto gladioque contentus eniteretur, ita in eum muri defenſores accenſis ſubitò minoribus tormentis grandinis modò pilarum procellam effuderunt, vt centuriones duos ex paucíſsimis quos ſecum ad duxerat, lethaliter vulnerarent. Eo modo cum ſumma animi ac vultus ſecuritate ſeſe recipientem præfecti cohortium & centuriones circumſiſtere atque ſuppliciter orare cœperunt, vt quæ militum munia potius quàm ducum eſſent, militi relinquere vellet, nec ſe conijcere in id diſcrimen, quod non modò ipſius ſed totius exercitus ſalutem reſpiceret, quando ipſo perunte conſtaret, & præſentes atque præteritas victorias omnino perituras: ad quos ſublando riſu conuerſus, quaſi eorum ignauiam notaret, qui timore id munus defugiſſent: An vos, inquit, in vrbem craſtina die peruadetis, niſi quæ vſui eſſe poſſunt, meis oculis explorem? agite igitur fortiter, & noſtris humeris in hunc collem maiora tormenta comportemus, poſtquam inacceſſa rupes in accliui boum vel equorum iuga non admittit. Tum verò tanta alacritate milites ipſo adnitente cohortanteque tormenta ſuſtulerunt, vt in aduerſum montem momento temporis euolaſſe viderentur: ea in loco edito, qui Faba Græca dicitur, ab occidente ſunt conſtituta, contra portulam Petræ munitę cognomine nuncupatam, quę ab angulo propugnaculi ex muro prominentis in proximos hortos perducit. Dum hæc parantur, Gallicæ triremes in portum abalto Nauarrum intulerunt, cum exiguo tamen præſidio, cuius aduentu Recaſentius Cæſarianæ claſsis præfectus tam cautus quàm imbellis, qui tormentarias pilas ſulfureumque puluerem à Delphini portu comportare debuerat, in eo portu timore occupatus ſeſe concluſit. Quę res magnum attuliſſet incommodum, niſi Piſcarius ea omnia ſarcinarijs iumentis per aſperos & conciſis callibus vndique præruptos montes ſumma celeritate contra omnes naturæ iniquitates comportanda præcepiſſet, egregio ſtudio et ſingulari diligentia et tum et aliàs ſemper vſus Othoni Fliſci viri ſacrati et Sinibaldi fratris, qui Fregoſiorum hoſtes erant & magnis opib. impigrè Cęſarianos adiuuabant. Cum omnia ad expugnandam vrbem abundè eſſent prępparata, Octauianus legatos emiſit, ne in tanto rerũ omnium diſcrimine à pacis conditionib. abhorrere, et ciuium ſalutem omnino negligere videret: cęterùm vti ferunt, per occultam ſyngraphan Paulum Bulgarum è legatis alterum monuerat, vt egregia ſimulatione rem extraheret, nec pacis tabulis à collega Thoma Cataneo, ſi fortè cum hoſte de conditionibus conueniret, ſubſcribi pateretur, vt ea mora ac interpellatione munitiones introrſus adaugeri atque erigi poſſent, quas Nauarrus animaduerſo periculo, propere perficiendas eſſe curauerat. Hæc omnia eodẽ pertinere Piſcarius intelligebat, vt ſimulatione pacis interpoſita, in muro ad defenſionem maiora præſidia pararentur: prędicabatq; ſe male opinari de ingenio Octauiani, qui tanquam Philoſophiæ præceptis imbutus, vir egregiè moderatus exiſtimari vellet, nec tamen inſana libidine vllam omnino curam remitteret, vt dominatum quo nihil in tota rerum fortuna eſſet dulcius, cum alieno periculo tueretur. propterea Piſcarius abiecta omni ſpe compoſitionis vi agendum ac

omnino

omnino maturandum esse iudicabat, vt illius peruicaciam alienam prorsus ab eo discrimine, quod immineret, & veterem ingrati perfidiosiq; animi noxam comprobante fortuna, vindicaret. Verùm Hieronymi precibus ab instituta oppugnatione tardabatur. ille enim de patriæ salute sollicitus alias atque alias moras supplex cum lachrymis impetrabat, vt eo temporis spacio exirent legati, & nouæ conditiones de pace referrentur. Sed Piscarius quum legatos semper inanibus verbis illudentes non ad se, sed ad Prosperum contendisse, veluti ad æquissimum & maximum ducem audiret, iusto contumeliæ dolore exacerbatus, extemplo prælij signum proposuit, quanquam fama esset, legatos è portu ad Piscariana castra circumuehi cupiuisse, sed mari tum maximè commoto ac procelloso nauigationem tentare nequiuisse, atque ita ad Prosperum nihil ab ea parte oppugnantem esse profectos. Igitur Corberiæ viro peracuto tormentorum cura demandata, cæteris verò præfectis atque centurionibus opportuno in loco constitutis, ipse è monte digressus, ad eam quam diximus portulam contendit, eamque pice tædaque oblitam propriis manibus ex aperto periculosoque loco coniectis facibus succendit: versabatur angustissimo in calle inter mœnia hortorumque macerias, ita vt ex transuerso è superioribus propugnaculis et in tergo, frequentibus sclopettorum pilis summo cum discrimine peteretur, multique circa eum viri fortes concíderent, & ab ea parte qua tormentis quati murus cœperat, conscendentium cohortium latera minore colubrina ferirentur: cuius vno ictu Hieronymus Segouia & Marra Salernitanus clari centuriones miserè discerpti perijssent. Quarerum iniquitate plerique permoti, duce Ioanne Dorbino, qui inter præfectos summam apud omnes authoritatem obtinebat, ad Piscarium adcurrerunt, suppliciter deprecando ne diutius eo in loco moraretur, sed sese sensim subduceret, imperandoque potius quàm præliando, & suum ex tutiore loco impleret munus, & milites singulis cohortibus officia præscribendo ad subeundum hortaretur. Tum verò ille oculis igneis atque minacibus conuersus, aut hîc, inquit, egregiè cadendum est, aut omnino per hanc portulam ad victoriam irrumpendum: quando in receptu dedecoris ac ignominiæ pleno nulla salus ostenditur. Ad id Ioannem Dorbinum ferunt, qui Hispanorum ducum longè fortissimus omnibus in prælijs extitisset, recessisse paululum, & trans maceriam sese tuto in loco à tormentis protexisse, neque prius quàm vrbe vndique capta prodijsse. Iam fores adeò vehementem flammam conceperant, vt militaribus securibus & gladijs concrematæ tabulæ ad magnum hiatum facilè foderentur. erat is locus, vt diximus, perangustus, ita vt multis cadentibus ipsa cadauera calcarentur. Nam in tergo ab his propugnaculis quæ in superiore mœnium parte in acclíues erecta colles defensoribus erat plena, & introrsus per portulam quam duæ prætoriæ cohortes defendebant, Hispani, Italique milites densati in vnum portæ vestibulum, insigne detrimentum accipiebant, quum Piscarius Corberiam monuit, vt tormenta librari, & cùm signum ipse dedisset, emitti supra mœnia iuberet, vt Genuensium ordines in ipso prælij committendi momento turbarentur, aliudque item tormentorum ex obliquo introrsus in portulam dirigeret, ac simul in inferiore propugnaculo, quod est haud multo spacio supra sancti Thomæ portam, defensores duobus falconibus crebrò peterentur, ne ea colubrina nisi cum exitio vti possent, qua duos, vti diximus,

centuriones ante alios occidiſſent. Erant enim tormenta in præalto loco adeò libratè collocata, vt mœnium altitudinem ſuperarent. Perfregerat etiam murum Corberia maioribus tormentis, lato quidem aditu infra portulam ad terrii iactum. His omnibus rebus incredibili conſilio & ſingulari celeritate conſtitutis, Piſcarius vndique ad irrumpendum milites clara voce concitauit. Quum promptiſsimus quiſque non planè perfractis foribus, anguſto & difficili ingreſſu in vrbem peruadere conaretur, Genuenſes in eum locum decurrunt, conglobati vehementiſsimè reſiſtunt. Recuperus Aretinus, & Surillia Hiſpanus inuſitatæ virtutis ſigniferi, dum decora contentione, quis nam primus ſignum inferret, enitendo decertarent, traiecti tormentarijs glandibus interficiuntur, tanta vi, vt plumbea glans pertuſo Surillię thorace, ad Piſcarij ſcutum vſque peueniret: nec tamen eo periculo terretur, ſed inſtando premendoque primorum terga, aditum occupat, Metrano Hiſpano & Caſtalio ante alios intrantibus irrumpit. Vaſtius ipſe audacter fratrem ſubſequitur, hisque mox ſuccedunt Hieronimus Adurnius, & Auguſtinus Spinula. Interim per opportunè à Corberia libratis certiſsimeque directis tormentis, hoſtes inopinato ac miſerabili accepto incommodo diſsipantur, diſſolutisque ordinibus per decliuem locum deturbantur. Eodem quoque temporis puncto, per ruinas effracti muri in vrbem cohortes tranſcendunt, & alio etiam ſuperiore in loco appoſitis ſcalis in murum Cordubenſis ſignifer vexillum extulit, ita vndique vrbe capta, fuſis Genuenſibus, vulnerato & capto Nicolao Fregoſio prætoriæ cohortis præfecto, ad prædam diſcurritur. Conſtat Philippinum Auriam tribus cohortibus præfectum, qui nuper Cæſariam claſſem cæſo Vgone Moncata nauali prælio ſuperauit, laboranti Nicolao Fregoſio ſubſidiarias cohortes ab ipſius quieta ſtatione per nuncios obtuliſſe, quòd tota Hiſpanorum moles in vnum illius locum verſa eſſe nunciaretur. Sed Nicolaum ob priuatas ſimultates, ne æmuli beneficio hoſtium impetum ſuſtinere videretur, opportunum ſalutareque ſubſidium elato, & contumaci animo repudiaſſe. Quæres ante alias, ſicuti ab vtroque eorum accepimus, nobiliſsimæ eorum patriæ iam fato paratam calamitatem attulerit.

At Piſcarius cum globo familiarium, & eorum quos fors offerebat, ad Vaccarum portam contendit: ea eſt duabus munita turribus vetuſti operis, quum vrbs antiquitùs exigua minore muri circuitu cingeretur: ibi rebatur hoſtes ſummum, vt in extremo periculo præſidium habituros, & cathenatis obſeptiſque regionibus, reparata pugna, pro aris, liberis, ac vxoribus ſupremum, et bellicoſę gentis fama dignum facinus edituros. Sed vbi cuncta incredibili metu perculſis omnibus deſerta comperit, cõuerſus ad Hieronymum effuſo riſu, cꝫ inſulſus, inquit, mihi videtur hic veſter Fregoſius, qui neque vti æquus philoſophus conſilio patriam ſeruare, neque vti fortis miles, manu defendere ſcierit? Inde denſata acie ad prætorium eſt prouectus, vbi clatratis foribus, pauci prætorianorum concluſa area ſe tenebant, multique ex alijs vrbis regionibus milites aggregabant, qui vel mœnibus pulſi, vel integri, ſed timore conſternati, quum vbique hoſtibus occurrerent, varioque euentu dimicarent, ad prætorium demum conuolabant: ibi vti plerunque fit, vt ſemel inclinatis rebus Fortuna vehementer arrideat, pauciſsimi victores, ingentem militum, & ciuium armatorum multitudinem minimo periculo adapertis foribus expulerunt. Piſcarius

carius in prætorium aſcendit, Octauianumque Fregoſium pedibus ægrum in cubiculo rerum euentum expectantem comprehendit: Federicus eius frater triremes elapſus eſt: ſed portum tenentibus Hiſpanis, & Trierarchis fuga & tumultu ſuorum præpeditis ægreque ſeſe explicantibus, dum exceptus ſcapha proſiliret ad puppim, in mare procidit: ſed eo periculo quod natare neſciret ita eripitur, vt multa ore hauſta marina aqua pedibus ſuſpenſus, vt humorem euomeret, diu in triremepependerit. Petrus verò Nauarrus dum ſcaphã in portu quereret, ab Hiſpanis capitur, deductusque ad Piſcarium, propter veterem toties ſpectatæ virtutis gloriam, ſingulari humanitate nequaquam vt hoſtis excipitur. Eodem tempore à Biſamnis porta Proſper et Franciſcus Sforzia introducti, Germanorum cohortes intulerant, omniaque plena erant fœminarum eiulatu, & horribili ſtrepitu militum effringentium fores, et domos opulentas truculento impetu immaniqueauaritia diripientium: & erant qui omiſſa præda, in oblatas fœminas ſæua libidine graſſarentur. Sed Piſcarius in equum ſublatus fœminarum pudorem atroci, ſed præclarè admodum facto peregregiè defendit. quum enim vir Genuenſis aſpectu nobilis ab ipſo tranſeunte tanquam à milite inſigni auxilium poſtularet, quòd vxori à duobus Hiſpanis inter lachrymas vis inferretur, extemplo ad eum ſolus ingreſſus, alterum paxis crinibus matronam attrectantem gladio transfixit: alteri verò per ſcalas euadere conanti immani ictu tempora diſcidit. His interfectis & in publicum è feneſtra præcipitatis, & præcone circumemiſſo, nemo demum vllam ingenuam violauit. Opportunè quoque eius adcurſu orante obteſtanteque Hieronymo Adurnio, Crater ille ex ingenti ac admirabili ſmaragdo, qui in ſacrario templi maximi cuſtoditur, depulſis inde militibus eſt conſeruatus. Sed biduo opulentiſsima ciuitas auaritiæ militum ceſsit: eo minore tamen incommodo, quod Adurnius anteà cùm ab ipſo maximè Piſcario & Proſpero, tum à ſingulis quoque centurionibus impetrarat, vt nemo ciuis captiui ſortem ſubiret, nec ſe pretio redimere cogeretur: & templa, totiusque vrbis negociatorum mercimonia, quæ in publicis vectigalium eſſent officinis, inuiolata ſeruarentur. ciues itaque in vniuerſum domorum ſuarum ſupellectilem à militibus vti quiſque limen occuparat, certa pecunia redemerunt: excruciati tamen nonnulli barbara crudelitate aliquotq; patritij ſenes ab Hiſpanis interfecti, & in his Andreas Cicereius, Thomas Palauicinus, & Antonius Grimaldus: Brachium quoque ſclopetti glande traiectum eſt Auguſtino Iuſtiniano Antiſtiti Nebienſi, variæ doctrinæ laude clariſsimo: inde edictum eſt, vt nemo in alienam domum per vim irrumperet: qui dicto audiens non fuiſſet, laqueo puniretur: atque ita his, qui auidius prædæ hæſerant ſupplicio protinus affectis, prædantium feritas eſt repreſſa. ſed ſingularem afflictæ ac planè ruenti vrbi opem attulit, ne funditus euerteretur, haud ex toto inanis fama de aduentu Gallorum, qui tranſiſſe Alpes, et iam prope adeſſe nunciabantur: quem rumorem Hieronymus excitarat, vt miſeris ciuibus celerrimè parceretur: & eum Piſcarius, & Proſper, & Franciſcus Sforzia ſimulato metu vehementer augebant. His artibus quarto die exercitus cum pretioſiore tantùm præda cohortante cogenteque Piſcario, vrbe eſt eductus: quod propè difficilius fuit, ſi quis licentiam ac auaritiam in victoria militarem eſtimare velit, quam vrbem cepiſſe. Tanta enim in Piſcario authoritas eminebat, quam ſibi ſeueritate, ſo-

lertia, & vna præsertim quæ præclarè militum animos ducit, rerum gestarum fœlicitate parauerat, vt nemo parere eius imperijs, vel oblata præda recusaret. Nauarrus demum iussu Cęsaris Neapoli in carcerem est coniectus: Fregosium in Aenariam Piscarius misit: vbi quum de redemptione summaque pecuniæ repræsentandæ contentiosius ageretur, primò emissus, sed mox ab Auersa vrbe in Ænariam retractus, peracri bilè corpus podagra tabefactum occupante, haud quaquam senex interijt. Vir profectò præcellenti liberoque ingenio, ac inter eius ætatis viros insignes maximè laudando, si nunquam desertis veteribus amicis & socijs, vt sibi ac Italiæ exitium pararet, ad Gallos adeo properè defecisset. At Genuę constitutis magistratibus, lectoque senatu, Aontoniotus Adurnius Hieronymi frater, vir ingenio parum illustri, corporeq; podagris, et intempestiuis voluptatibus eneruato, quòd esset ætate maior, Dux creatur: ita tamen vt Hieronymus, qui arcem summa cum laude tormentis expugnarat, animi sui magnitudine virtuteque fraternam dignitatem sustinere videretur. Eo modo Genua cum tota Liguria in Adurniorum fidem sub nomine Cęsaris redacta, Piscarius ad Subalpina oppida, quæ ad Coctias Alpes Padúmque pertinent, exercitum duxit, vt Gallis si fortè proximis Alpibus transire vellent, quàm maximum ex propinquo timorem incuteret: ac simul in aliena incertę fidei regione, milites paratis oppidatim rerum omnium copijs alerẽtur. Quum esset Cariniano in oppido seueritatem exercuit non modò sibi ac exercitui vtilem, sed postea ad exemplum cęteris ducibus profuturam. Erat in exercitu onusto preda, & propterea scortis & lixis vndequaque plenissimo, equorum incredibilis numerus, & iumentorum, quæ diram vastitatem afferebant agris & oppidis, & ignauum nimioque luxu diffluentem militem reddebant, tanta licentia corruptelaque, vt penè totus exercitus in agmine equestris esse censeretur. Quibus de causis permotus, per præcones edixit, vt singulæ cohortes quaternos tantùm equos alerent, pro præfecto, signiferoque duos, cęteros pro ægris, qui tamen à medicis inspecti equos per syngrapham gemma Ducis obsignatam, ad iter impetrarent. Id quum totis castris pronunciaretur, Vega Bæthicus insolentia militari ore sermoneque turbido in corona militum penè concionari cœpit, professus, si sibi animo iudicioque similes reperiret, se daturum operam, vt milites ea syngrapha non egerent: qui tot bellis atque victorijs effuso sanguine debilitati, non equis modò, sed curribus vehi, virtutis honore mererentur. Id quum resciuisset Piscarius, qui seditiosos milites, etiam vel læuissimæ consternationis authores, supra omne criminosum nomen vehementer oderat, initiaque semper seditionis fortiter opprimenda esse, inter præcipua disciplinæ præcepta didicerat, ad proximum oppidum ipse antecedens castra mutauit: quum itaque armatus exercitus constitisset in foro expectans, vt à magistro castrorum singulis centurijs contubernia præberentur, ipse ante prætoriam domum perblando vultu molliqué sermone, vt iram biduo antè conceptam dissimularet, præfectos appellans, Ioannem imprimis Dorbinum, Salsedumque & Corberiam interrogauit, an Vega ille, qui petulantibus verbis cohortes ad seditionem penè concitasset, videretur esse castigandus. Nec mora, ij pari consensu pœnam illum iure mereri fatentur, sed differendam in aliud tempus censent, q̃ veteranum insignem improbis ac audacibus maximè charum, et centurionum propè omnium familiarem, spectante armato-

armatoque exercitu comprehendere nequaquam opporteret, ne perturbatis omnibus tumultus oriretur. Hæc quanquam verisimilia viderentur, in consilio tamen perseuerauit, vt maiestatis ac imperij nomen nulli esse obnoxium periculo, & seditiosis etiam terribile prorsus ostenderet. Igitur Vegam ad se vocari imperat, aduentantem cum globo militum, quibus siquid durius accideret, salutem suam commendarat, percunctatur, an in corona seditiosè peroraſſet: inanique verborum circuitu sese excusantem, dato lictori signo, transfodi iubet: ipse eodem momento in alios gladios distringit, tanto impetu eos adortus, vt non modò Vegæ satellites cæsi fugatique sint, verum vniuersæ cohortes incredibili metu perculsæ, celeri silentique agmine toto excedentes foro, ad hospitia nondum designata defugerint. Id factum sicuti plerisque inopinatum, vehemens, & maximè seuerum apparuit: ita Piscario authoritatem mirum in modum accumulauit, quum eum milites vti in ipsa seueritate iustissimum extra odij nomen omnino metuerent, & contrà vti facilem sine contemptione plurimum adamarent, quum in summa etiam benigni & clementis animi tranquillitate grauissimus haberetur. Tantis reb. gestis Piscarius, quum in ore omnium præclara nominis fama frueretur, & aliqua spectatæ virtutis præmia tacitus expectaret, comperit Vincentium Cossam Prosperi familiarem castrorumq; magistrum, ex Hispania codicillos in amplissimis membranis retulisse, quib. Prosper cum summa rerum gestarum commendatione Imperator à Cæsare fuerat appellatus. Ea res animum eius ab recenti præsertim gloria ad honores amplissimos anhelantem vehementer perculit, et iusta quadam ira succendit: sperabat enim sicuti pari semper potestate, diuisum ex æquo imperium in castris exercuisset, vt nunquam sibi Prosper anteferretur: quando suis, & peditum præsertim spectatis operibus strenuè pugnando parandòque insignes victorias, non æquare modò eum authoritate, & florenti laude, sed illo inuicti & pugnacis animi vigore plurimum anteire videretur: propterea existimabat obtrectatorum verbis ac literis, rerum ab se gestarum famam malignè eleuari ac imminui apud Cæsarem: qui vti planè iuuenis, neque vllis adhuc interfuisset bellis, neque vnquam Italiam vidisset: in qua propter varias, & inexplicabiles principum voluntates, & factiones ciuitatum, non modò magnis opibus, sed summis etiam artib. ciuilis, & militaris prudentiæ, singularique animi magnitudine fuerat bellandum. Quibus de rebus in Hispaniam proficisci, & Cæsarem coràm adire constituit. Itaque accitis ad se cohortium omnium præfectis atque signiferis, qui iam diffusi per Galliam Cisalpinam in hyberna concesserant, docuit quàm sibi necesse foret ad retinendam dignitatem, vel brumali tempestate in Hispaniam ad Cæsarem nauigare: rogat vt se absente, vti Cæsar iuberet, Prospero pareant, neq; ob priuatam contumeliam reipublicæ desint. Nec multò post ab Genua conscenso nauigio Tarracona aduehitur, & in vlteriorem Hispaniam ad Valleoletum vbi tum subsederat Cæsar contendit. exceptus est tanto Cæsaris, & procerum omnium studio, vt quum ad euitandam inuidiam, ne officij causa prodeuntes molestè distineret, noctu esset ingressus, singuli totius aulæ reguli ad eum salutandum eadem nocte innumerabilibus accensis funalibus conuolarint. Cæsar lætissimo vultu eum suscepit, & q̃ paucissimis antè concesserat, honoris causa, propter se pari in sella assidere iussit: nec multò post consumptis mollioribus colloquijs, in-

greſſus in grauiſsimos ſermones Cæſar, præoccupata excuſatione Piſcariũ obſecrauit, vt æquo animo ferret, ꝙ primus in exercitu locus Proſpero fuiſſet attributus. Quando id ætati & priſtinæ nobiliſsimi viri dignitati, veteribusq; meritis potius, quàm nouis rebus geſtis omnino tribuiſſet: ſatis ſibi ac omnibus proſpectum eſſe, eas, quas Dij immortales dediſſent victorias, magna ex parte manu atque virtute Piſcarij eſſe comparatas: diuiſaque gloria vtrunque largè atq; feliciter potiri. Ipſum hercle eſſe iuuenem, & Columniæ familiæ affinitate coniunctum, & ob id à Proſpero filium vocari, proinde non eſſe ducendum ignominiæ loco, ſi iuuenis exactę ętatis ſeni, & parenti filius, primum honoris locum concederet: non enim defuturam occaſionem, vt ſumma dignitate honeſtaretur, poſtquam eo ſplendore teſtatæ virtutis ante alios duces omnes eluceret. Piſcarius ad ea reſpondit ſe nequaq̃ inuideri honori Proſperi, ſicuti ille creſcenti virtuti ſuę ſemper inuiderit, non libenter tamen ſe facere honoris exiſtimationisq; iacturam, pro qua vel extrema quæq; forti animo ferre decreuiſſet, verùm ſibi manifeſtè ceſsiſſe dedecori, ꝙ ei, qui ſemper ipſi in imperio fuiſſet exęquatus, tum demum tot editis veræ virtutis operib. parere cogeretur: proinde ſe æquo iure poſtulare vacationem honoris & præfecturæ totius peditatus quam obtineret, quandiu Proſper eſſet imperator: paratum tñ ſe, quum opus foret, priuati militis nomine fortiſsimam operam præſtare, vt alienæ ambitioni potius ceſsiſſe, quàm voluntati ac officio militari defuiſſe videatur. Manſit demum in Hiſpania aliquandiu Cæſari maximè carus, ſingulari verò in honore ab omnib. regulis habitus: nam regio ſumptu atque apparatu epulantem, et nihil vnq̃ niſi cum illuſtri grauitate et liberalitate incredibili, cùm priuatis tum publicis in reb. admittentem, certatim Hiſpani et Belgæ ſtudioſè colebant. Diſcedenti verò id Cęſar indulſit, vt vacatione vteretur: ita tñ, vt ſi periculũ vrgeret vltro extraordinaria cõditione militaret. Conceſsit quoque vt Alfonſus Vaſtius patruelis in hęreditatis oppidorũ ipſi ſuccederet, quãdo nulla ex vxore Victoria proles ſuſciperetur, ipſumq; Vaſtium Cęſar alę cataphractorum equitum, quę M. Serdanij fuerat, prefecit. proſecutus eſt etiam abeuntem decẽ millium aureorum donatiuo, quanq̃ Hiſpania atq; id totum iter ei amplius viginti millib. ſtetiſſet. Piſcario felici nauigatione Neapolim reuerſo, Franciſcus Rex Galliæ renouato vetere equitatu, Heluetijsq; et Germanis mercede conductis, habitisq; tota Gallia peditum delectib. ingẽtes copias comparauit, vt adulta æſtate, ſuccisis ſtatim frumentis in Italiam tranſiret, ratus ducib. ſuis, aut peritiam aut fortunam omnino defuiſſe, cum ipſe vel ſolore gio nomine ſummas opes, ſummamq; authoritatem eo bello ad non dubiam victoriam eſſet allaturus. Sed eum à propoſito cœptoque itinere inopinata defectio Caroli Borbonij deterruit: de quo homine qui Galliæ ac Italiæ dirus & funeſtus extitit, operę pretium eſt, vt ſtrictim aliqua referamus. Is erat Galliæ regulorũ opulentiſsimus, ſanguine coniunctus regiæ domui, Magiſterque equitum à Franciſco fuerat appellatus: qui honos ſicuti militiæ in Gallia ſummus habebat, ita illum vti nimiæ ſupectęq; potentię formidandum, tacita lege ſuperiores reges aboleuerant. Fuit ei pater Gilbertus Mompenſerius, qui Gallorum imperator victus ab Aragonijs, apud Baias interijt. Duxerat vxorem ex ſorore Caroli Regis genitam vnde ei dotali nomine Borbonij principatus acceſſerat; ea morte ſublata, et ob id cum ſocru contracta ſimultate, ad Heleonoram Cæ-

ram Cæsaris sororem oculos adiecit. Interim Ludouica Francisci Regis mater, q̃ ex eadem Borbonia domo maternum genus duceret, non ambiguo iure ea oppida quib. Carolus Borbonius hæreditate creuisset, contestata lite repetebat. Tum verò Borbonius tantam iniuriam depreçari, obsecrari Franciscum vt matrem oppidorum suorum iniqua cupiditate deflagrantem compesceret, quando sibi nihil magis esset absurdum, q̃ in iudicijs cum ambitiosa, & longè potentissima muliere, atque eadem Regis matre ad non dubium litis euentum colluctari. Rex eum vt bono animo esset hortabatur, nec de summa eius litis omnino dubitaret: in eo perseuerabat, vt controuersia senatus iudicio finiretur, ne maternũ animum vlla prorsus offensione perstringeret: quandoquidem inchoata iudicia quæ libera & incorrupta esse vellet, impedire nefas arbitraretur. Cæterùm si oppida matri essent adiudicata ingenti liberalitate se ostensurum pollicebat, quantum virtuti ipsius ac dignitati egregia animi propensione tribueret: veluti qui eadem aut certè multo opulentiora oppida post dijudicatam atq; æstimatam litem, benigna compensatione esset redditurus. Sed Borbonij animo semel alienato, & cuncta æquo grauius æstimanti alia contumelia accessit: nam ea die qua in finib. Neruiorum ad Valeutianum oppidum Francisco regi cum exiguis Cęsaris copijs ad certissimam spem victorię fuit confligendũ, primæ aciei cura quæ magistro equitum debebatur, Alanconio regis sororis marito fuerat attributa: quod adeo iniquo animo Borbonius tulit, vt iam instructa acie, & conspectis hostib. non modò copias suas Scaldã amnem, ponte quo rex anteceſſerat, non traduceret, sed etiam malignè cunctãdo Ludouicum Normaniæ Senescalcum cum ala nobilium equitum impigrè transeuntem in ripa suo importuno consilio retentare conaretur: octo enim millia peditum & peramplam equitum manũ ex Aruernis & Boisclientibus suis armauerat: quibus coactis viríb. elatior factus minimè despiciendus videri posset: nec ideo moderari linguam sciret, q̃ insanus & imbellis in honorem fœminæ sibi præferretur. Nec defuere demum amici & clientes, magnaq; pars equitum insignium singulari studio eius nomini dedita, qui sponte commotum & fluctuantem, turbidis sermonib. exagitarent. Erant herclè in Borbonio multę prędarę virtutes supra regij sanguinis nobilitatem, & decora militiæ, perennis nec astuta liberalitas, militaris vigor, et vultus blanda grauitate ad alliciendos homines accomodatus. Cæterùm ingenium eius repentinũ nulla stabili ratione vel disciplina confirmatum magnopere perturbabat animus immodicus, inter varias spes semper anceps, & nouæ gloriæ appetens, vel si ea turpi facinore pararetur. Ob id in omni consilio æstuosus & præceps euaserat: & quod insaniæ proximum fuit, in tota domesticę disciplinę ratione atq; ordine vsque adeo intempestiuus et dissipatus, vt æmulatione regij splendoris propter inconditos sumptus multo ære alieno premeret. Quibus moribus facilè fiebat, vt primam secundũ Regem in regno Galliæ fortunam fastideret, aut certè contemneret: modò vel leues iniurias etiam cum turpi labe nominis vlcisci videretur. Itaq; nefario suscepto consilio, cum paucis, & ijs quidem leuissimis hominibus coniurat. Cęsari & Henrico Britanniæ regi pollicetur, se Galliæ regnum cùm Franciscus alpes transierit, excitatis ad arma clientibus adiuuantibusque Regulis qui vnà conspirassent, protinus inuasurum. Erat hoc factu nequaq̃ difficile, quoniam Franciscus nihil de fide subdubitans, eum Galliæ prę-

ſidio cum regia poteſtate relinquebat. Sed cum eſſet in itinere Franciſcus, indicante Argutio quodam ex coniuratis, inſidiæ deteguntur. Conſtabat enim, Hadrianum Beurenum Belgam mercatoris habitu per Sequanorum fines in Auernos ad Borbonium penetraſſe, initisque conſilijs Heleonoram Cæſaris ſororem, quæ Emanuelis Luſitaniæ Regis vxor fuerat, in matrimonium deſpondiſſe. Ad eum quoque è Britannia miſſus ab Henrico Rege Roſellus Anglus agreſti habitu venerat, qui initæ coniurationis pacta ſanciret. Nec mora, Franciſcus magnis vndique contractis præſidijs, ad Molinum quod erat Borbonij oppidum ſummæ amœnitatis ad Elauerim amnem contendit. Eum ex egritudine animi, corporis morbis factitio pallore ſimulantem alloquitur: docet quibus de cauſis nihil temerè de ipſius fide ſit ſuſpicandum, quando eius dignitatem longa beneuolentia & ſanguinis neceſsitudine confirmatam, omnibus vel certiſsimis indicijs præferret: nec in animo inducere poſſet in hominem longè nobiliſsimo, in Gallia ſecundum ſe facilè primo, ſummis honoribus prædito, fortunis atque ſtipendijs cumulatè adaucto, perfidiæ ſcelus & proditoris nomẽ poſſe reperiri. quòd ſi eum exiſtimaret tam nefario ſcelere contaminatum, non dubitaturũ quin protinus in eius caput more maiorum animadueterret. Tum verò Borbonius perfidiæ conſcientia commotus, voce tremula Regiam manum ſæpe exoſculans apprehendit: ſupplex orat, vt nihil temerè de ſua fide iudicet, quando obtrectatorum malignitate eſſet circumuentus. Agit demum gratias Dijs immortalibus, quòd talem ſibi regem dederint, qui vel in magnis de ſalute ſuſpicionibus, nihil de naturæ ſuæ lenitate penitus remittat: parceret tum ſibi ſi maieſtatem regij nominis aſperioribus aliquando ſermonibus offendiſſet: ſe enim in officio et fide perpetuò manſurum, neque Regiæ humanitatis & clementiæ magnitudinem vllo vnquam tempore memoria deleturum. Diſcedens ambiguo vultu Franciſcus imperat, vt ſe in Italiam euntem ſubſequatur: ſed Borbonius aliquandiu ſimulato morbo, & mora itidem interiecta, noctu profugit, auijsque tramitibus calonis habitu, comite Pomperano, cui vitam antea ſeruarat, in Sequanos & Cęſaris fines peruenit: atque inde in Italiam eſt profectus. Igitur Franciſcus in Gallia ſibi permanendum exiſtimans, ne ſe abſente, aut nouæ, aut non adhuc planè detectæ coniurationes erumperent, opportunè ſubſtitit: nam nonnulli illuſtres conſcij, ſocijque Borboniani ſceleris prodebantur, & antè alios Vraldus Heduorum epiſcopus, et Pictauius à Sancto Valerio oppidi Regulus, qui nobilium regiæ cuſtodiæ equitum alam ductabat: & Hemarus Prieus vetus equitum præfectus, qui comprehenſi ſunt, quum minores Lorſinius, Aleria, Piſcinus, Peluſius, & Motta Anoierius varijs itineribus Borbonium ſecuti feliciter effugiſſent. Guliermum Gofferium cognomento Boniuettum ſubtili ingenio, ſumma facundia, pacis & belli artibus abundè inſtructum in Italiam mittit: eum à præfecturæ maritimæ nomine quam obtinebat, Ammirantem vocabant. Fuere in eius exercitu triginta millia peditum, equitatus ingens, magnuſque tormentorum numerus. Enimuerò Veneti totius Italiæ præcibus expugnati à Gallorum amicitia diſceſſerant, inierantque fœdus cum Cæſare, quo Ciſalpinam Galliam ab iniuria Gallorum defendere tenebantur. Siquidem Iulius Medices qui Florentinorum rempublicam regebat: ipſeque Hadrianus pontifex firmiſsimo ſtudio Cæſari fauebant: Federicumque Gonzagam prin-

cipem

cipem Mantuanum pontificijs & Florentinis copijs præfecerant. Videbatúrque omnibus defessæ tot bellis Italiæ pax reddi, si Francisco Sfortia Mediolani constituto, Galli qui toties bellum intulissent, ab Italia penitus arcerentur. At Boniuettus ab Alpibus descendens, adeo graui celeriq́ue impetu Nouariensium fines inuasit, vt tormenta nauibus imposita, quæ Sfortiani ex arce Nouariæ detraxerant, ab antecursoribus raperentur, & Galli ponte, ratibus, pluribusq́ue simul vadis amnem transirent, pellerentq́ue Germanos ac Hispanos qui aduersam ripam perpetua custodia se tueri posse crediderant. Prospero enim graui atq; mortifero concepto morbo, lectica vectus, eò vsque castra promouerat, ita vt mox consilio locoq́ue depulsus dum signa conuertit, tardeq́ue gestatur, instantibus Gallis, haud mediocre periculum subiret. Constat Ioannem Medicem qui Iulij cardinalis precibus expugnatus ad Sfortianos superiore anno redierat, cum duabus tantùm alis equitum prima Gallorum agmina sustinuisse, pugnandoq́ue incredibili virtute, & vehementi impetu sæpe hac & illac intercurrendo, spacium Prospero pedestribusq́ue copijs quò se reciperent summa cum laude præbuisse. Prospero intra vrbem Mediolanum coniecto, eoq́ue magis munitionibus mœnia precingente, Boniuettus ad Ticinensem, & Romanam portam castra promouit. Interim & eo fortè die, quo Galli Ticinum traiecerant, Hadrianus pontifex moriť. Grata eius mors Boniuetto extitit, quoniam sum̃ę authoritatis socius & fautor amplissimus Cęsari morte subtractus esse videbatur. Iamq́; ipse Prosper adeo pertinaci valetudine vexatus extabescebat, vt iudicio sensuq́; deficeret, et per Termineum regulũ et Alarconem bellũ administrare cogeret. Cardinales quoq; in factiones diuisi, cum Iulium Medicem qui candidatus ante alios illustris pontificatũ petebat, tanq̃ Cęsarianũ repudiarent, seditiosè comitia in multos dies extrahebant. Cunctabanturq́ue subinde Veneti, neq; auxilia suppeditabant, quum expectarẽt cui nam Cęsarianæ, an Gallicæ factionis Cardinali Pontificatus fortuna deferretur. Quib. de causis, Carolus Lanoius Belga, qui erat Neapoli prorex cum reli quo omni exercitu Mediolanum euocat. Is Piscarium obsecrat, vt secum proficisci velit, causaq́ue Cæsaris, contumeliarum & contentionum omnium obliuiscendum putet: cum ipso iura imperij se liberali animo diuisurum, effectu rumq́; apud Cęsarem, vt perquam maturè nouis honorib. potiretur. Piscarius qui nequaq̃ alienum ab ipsius existimatione fore iudicabat, si Proregi pareret, facilè Lanoio id obnixè petenti atq; imperanti est obsecutus, ob id maximè q̃p Didacus Figarola ab Hispania missus, id vt faceret, nomine Cæsaris postulabat. Sed nihil animo belli & gloriæ maximè cupido grauius accidere poterat, q̃; si id bellum tantis vndique opibus excitatum, ocioſus in segni militię vacatione despectaret. Rebat etiam virtuti suæ militariq́; prudentię confisus cũ imperito externoq́; homine se non modò consortem imperij, sed rerum bellicarũ consiliorumq́; omnium moderatorẽ futurum: Prosperoq́; demum quem sensim ex morbo deficere didicerat, cũ vita excessisset, militari arrepto imperio succeſſurum, quando sibi omnino is honos cùm suopte merito, tum iudicio Cęsaris Lanoijq́; præsentis grauissimo suffragio deberetur. Interea Boniuettus qui Mediolanũ obsidebat, diuiso exercitu Baiardum & Bozolũ ad oppugnãdam Cremonã misit. Ii quũ arcẽ introrsus circumuallatã fuisse reperissẽt, maiora tormẽta mœnib. admouerunt ab ea parte quę arcis turrib. erat subiecta. Sed Cremonẽses administrante et repugnãte Salamonio Siculo, qui Parmã superiore

anno defenderat, ſubitariam munitionem contra arcem nocturnis operibus extruxerunt, tanta altitudine, vt facilè tormenta Gallica vitarentur. Intromiſe rat alam equitum & cohortes Mantuanus, duce Ludouico Firmano, quibus auxilijs confirmati adeo profecerunt, vt Galli deſperata prius cꝫ tentata oppugnatione diſceſſerint. Iam Boniuettus circiter duos menſes in obſidione lutulentiſsimis in locis hæſerat, ſicq; omnia fruſtra tentauerat, vt iam planè ſpe concepta decideret. nam is erat ampliſsimę vrbis circuitus, vt non facilè vno atq; altero exercitu poſſet obſideri. Nec intra vrbem mirificus deerat equitatus, qui ſæpius diuerſis portis erumperet, frumentatores exciperet, & latè ad recipiendos commeatus itinera tueretur: vniusq; ante alios opera Ioan. Medicis emicabat, qui ſępe Gallorum alas frumentatorib. prędio longius à caſtris proue ctas ex inſidijs fuderat. Hiſpani quoq; pedites, quib. tum Piſcarij loco præerat Alarco, ſępe interdiu noctuq; Gallorum caſtra inuadebant. Adulta demũ hyeme, ſupra aſsiduos imbres cœnoſaq; itinera, tanta vis denſiſsimæ niuis caſtra operuit, vt non modò iumenta, ſed homnes fœda illuuie deformati frigore & rerũ omnium inopia conficerent. Quibus de cauſis adductus Boniuettus ſilentio caſtris egreſſus ab obſidione diſceſsit, tanta feſtinatione, vt tabernacula, & magna pars caſtrenſis apparatus egriq; multi calones & pedites in lubricis vijs linquerentur. Summotis hoſtib. Proſper Columna vti ſupremo affectus gaudio migrauit è vita, vir ab innata cunctatione firmitateque iudicij, et perpetua ſemper authoritate grauiſsimi ducis nomen aſſecutus: eo autem cꝫ terrę Patrię fuiſſet amantiſsimus celeberrimis exequijs, & multis Inſubrũ lachrymis funerato, Carolus Lanoius atq; Piſcarius, qui expirantẽ nec adeuntes hebetatis ſenſibus agnoſcentem viderant: exercitũ accipiunt: de bello gerendo in conſilijs deliberatur. Veneti etiam qui cunctatius Cęſarianos adiuuabant, Franciſcum Feltrium Vrbinatem cum iuſto exercitu, vt Gallos bello perſequatur, in Mediolanẽſem agrum mittunt. Hiſdem enim dieb. Iulius Medices Clementis Septimi nomine aſſumpto, Pontifex fuerat creatus, qui Cæſari magnopere fauebat; neq; tum à fœdere, quod Hadrianus inierat multis de cauſis diſcedendũ arbitrabatur. Omnib. igitur aduerſus Gallos intẽtis, Piſcarius non multos dies per brumale frigus in rerum ac tempeſtatũ obſeruatione verſatus, memorabile facinus aggreditur. Erat in Rebecca Vico iuxta emiſſarium ex Ticino amne Baiardus inter Gallos duces pugnaciſsimus cum equitibus vtriuſq; armaturæ circiter mille, et trib. peditum vexillis, quatuor ferè miliariũ interuallo à maiorib. diſiunctus caſtris: nã Boniuettus Abiato in oppido conſedarat. Qua fretus propinquitate caſtrorũ Baiardus per ſe vir impiger et elatus, validoq; innixus prędio, vt plerunq; ſtrenuis accidit, negligẽtius excubabat. Hunc cum opprimere ſtatuiſſet, tria millia Hiſpanorũ delecta Mediolano de prima vigilia educit: ijs imperat, vt tunicas linteas thoracib. ſuperinduant, vt eo cãdore per tenebras ab hoſtib. dignoſcantur. Ioan. Madicem virtuti hominis cõfiſus adiungit. Porrò Carolum Lanoiũ monet, vt inſtructa acie cũ reliquis copijs ad ſextum vſque lapidẽ diluculo ſubſequat, vt ſi Boniuettus Baiardo auxiliũ ferre velit, Hiſpanis ad integrã aciem detur receptus, et iuſto demũ prędio cum ſumma ſpe victoriæ dimicet. Itaque Piſcarius noctu cõfecto itinere, paulò ante lucem Rebeccã peruenit, Ioan. Medicem cũ equitatu vias egreſſusq; omnes ita obſidere iubet, vt ſilẽtio equites ad Abiatũ excurrãt, ne Boniuettus, ſi quid fortaſſe ſenſerit,

ſenſerit, ad ferendam opem improuiſus aduenìat. Ipſe ante alios ſcuto gladioque contentus ſtationem adoritur: Galli ſemiſomnes arma capiunt: ad portam tumultuariæ munitionis Egidius Cortonenſis cum vexillo Corſorum impigrè reſiſtit. Sed dum frænantur equi, dum è ſtratis tuba excitì ſeſe equites eìciunt, et in omnes vici partes diſcurrunt, irrumpente Piſcario, Egidius interficitur: cæduntur Corſi: Galli inermes fœda fuga vndiq; dilabentes capiunt. Baiardus vti erat diſcinctus relictis ſignis militarib. euaſit, reliqui fermè omnes equites, aut in vico capti ſunt, aut in Medices turmas dum profugerent, incìderunt. Nunq̃ tantùm equitum ex alis veteranis minore contentione vel cæde vllo in bello ætate noſtra fuit oppreſſum. Tanta re ſine ſuorum vulnere patrata, Piſcarius ingenti captiuorũ agmine perducto, Mediolanum triumphantis ſimilis eſt inuectus. Per eos quoq; dies Ioan. Medices circiter trecentos Heluetios, cum vina cadis exportarent, in villa deprehenſos, & nequicq̃ ſalutem deprecãtes, quoniam treis inſignes ipſius equites interfeciſſent, feruidiore occupatus ira trucidauit. Oppugnata eſt etiam infelici euentu, magna cum impenſa & cæde multorum, & inter cæteros Pomeroi tormentorũ præfecti Arona oppidũ, quod eſt ad anguſtias Verbani lacus: quum eò miſſus eſſet Rentius Ceres, & contrà à Michaele Corſo impigrè defenderet. Quibus acceptis detrimentis Boniuettus noua auxilia, vt bellũ maiore vi renouaret à Franciſco poſtulauit. Iamq; aliæ atque aliæ cum Heluetiorum tum Rhætorum legiones in Italiam regia pecunia conductæ ab Eporedia, atq; item à Sebino lacu deſcendebant, quum Cæſariani ſuadente Piſcario Ticinum amnem tranſire ſtatuerunt. Diſſerebat enim in conſilio Piſcarius, cunctis adſcitis ducibus, eam eſſe expeditam atq; rectiſsimam conficiendi belli rationem, quando hoſtis tot attritus incommodis, ſpe atq; animo debilitatus, aut prælio confligere, aut omni exutus dignitate relictis impedimentis ſeſe ad Alpes recipere cogeret. Quòd ſi Abiato in oppido operiri auxilia vellet, ipſos traducto exercitu, Nouariam atq; Viglebanum, et amiſſa quæq; oppida recuperaturos: neq; debere exiſtimari Gallis adeo fœdè repulſis tantum animi ſupereſſe, vt Cæſarianis Ticinum tranſeuntibus, Mediolanum, vti præſidio nudatum regredi velint. Quid enim ſtultius aut miſerius illis futurum, cùm protinus premi in tergis & demum intercipi ſi ad portas populoſiſsimæ ac infenſiſsimæ vrbis redirent? Erãt in conſilio duo Caroli Lanoius atq; Borbonius, ad quos imperij ſumma reſpiciebat. Sed Franciſco Feltrio Vrbinati Venetorum duci, propter eximiam rei bellicæ peritiam ſingularis conſilij, exactæque prudentiæ authoritas inerat. Is quum Piſcarij ſententiam omni cum verborum honore laudaſſet, Mediolani relicto præſidio ad Ticinum amnem eſt peruentum, loco quinque millibus paſſuum à Gallorum ponte diſtante, firmiſsimis nauibus biduo pontem efficiunt: eius capita lunatis prægalto aggere propugnaculis cingunt, præſidioq; militum & tormentis diſpoſitis egregiè communiunt. Id vbi Boniuettus certius cognoſcit, Abiatum & ipſe cohortium quatuor præſidio firmat, tranſgreſſusq; amnem in Nouarienſem agrum copias reducit: commeatus in munitiora oppida conuehi iubet: eaque præſidijs impoſitis egregiè communit, omniq; ratione bellum extrahere, & Heluetiorum auxilia expectare conſtituit. Enimuerò fama erat, Heluetios vt propinquis & ciuibus ſuis, quos difficili implicitos bello audiebant, opẽ celeriter afferrẽt, magnis itinerib. aduentare: quib. receptis auxilijs,

Galli prælio demum confligere minimè dubitarent. At Cæsariani vbi sese in hostilem agrum effudere, contraria ratione bellum gerere cœperunt, equestribus etiam prælijs sæpe lacessendo, auertendo commeatus, infesta populatione longè lateque euagando magna detrimenta Gallis inferebant. Accidit enim vt Piscarius turmas duas cataphractorũ equitum, fortissima Ioannis Medicis Pauliq; Luzaschi opera vsus, mirabili arte compulsas iniquum in locum funderet, & ex his supra quadraginta nobiles equites caperet. Nec multò post ea oppida quæ Gallorum præsidijs tenebantur, diuisis copijs sunt adorti. Piscarius Viglebanum manu cepit, quo oppido antea in præmium virtutis à Francisco Sfortia fuerat donatus. Sartiranam quoque Ioannes Dorbinus expugnauit. Garlascum verò profunda fossa & valido præcinctum muro Corso rum cohortibus, duce Baptista Leca inter Corsos nobili regulo, Hieronymóque Matthęo Romano egregiè se tuentibus, quod maioris molis erat ipse Feltrius cum Veneto exercitu sumpsit oppugnandum. Accessit et in partem laboris & laudis Ioannes Medices, summaque vi & tormentis oppugnatum est, & singulari militum audacia captum, maiore tamen cum laude Veneti ducis, quàm lætitia. Nam ibi supra ducentos milites, & in his aliquot nobiles, quiquis descenderant, amisit. Quum enim Feltrius concionabundus vnumquenque nominatim, vt strenuè subiret propositis præmijs accenderet, cunctis certatim adnitentibus, postremæ cohortes adeo primos ordines in tergo irrumpendi studio premebant, vt promptiores qui in fronte erant, desperato recęptu, vehementer impulsi & precipitati in fossas inæqualibus & profundis gurgitibus mergerentur. In his fuere Scipio Pallauicinus, Balthasar Signorellus è Perusia, & Hieronymus Angelius à Patauio alæ Mediceæ vexillifer: & qui Feltrianis cohortibus pręerant Carolus Eugubius, & Sebastus à Narnia honoribus militiæ insignes. Ea res Gallorum animos contudit: nam neque circumsessis oppugnatisque ab hoste prędijs suis opem ferre, nisi (quod erat maximè deuitandum) prælio decertarent, neque tot amissis oppidis re frumentaria, quæ indies erat angustior, satis abundare poterant, vt tantam alerent multitudinem, quæ vel tum erat in castris, vel Alpibus statim aduentura nunciaretur. Igitur Boniuettus iam planè non modò viribus, sed Fortuna etiam inferior Nouariam se recepit, vt milites vrbanis copijs recrearet, donec Heluetiæ legiones aduentarent. Nam vulgus militum calones lixasque præsertim morbus adeo sæuus, & pestilentiæ similis, à corporum illuuie contagiosus inuaserat, vt nihil iam duces solitæ alacritatis in milite conspicerent. Publicæ quoque & priuatæ pecuniæ magna erat inopia: deerant commeatus, & vt sæpe accidit, dum Fortuna belli vertitur, Guelforum etiam studia refrixerant, quorum fideli fortique opera Galli ab initio lætis belli successibus vtebantur.

Gallis intra Nouariæ mœnia compulsis, Piscarius cum esset in concilio, tenemus inquit duces, vt sæpe eis euenit, in cauea Gallos, sed nobis maturè cauendum est, ne protinus euolent: quod certè ab his commodè fieri non potuerit, si inter Nouariam et Vercellas positis castris, fugienti hosti frontem, et terga Alpibus obuertamus. Nec mora, omnium suffragijs probato consilio, Piscarius ad Arcum Marianum medio inter duas vrbes itinere contendit. Is est locus in lata planitiæ C. Marij victoria de Cimbris parta, seruato adhuc vetusto nomine insignis: ita ex opportuno loco quicquid frumenti & reliqui

commeatus

commeatus ad ſubleuandam inopiam ex agro Vercellenſi importari poterat, perpetuis equitum ſtationibus obſeſsis viis eſt interceptum. Interea Heluetij auxiliares ab Alpibus delapſi trans Seſithem amnem in Gatinaria vico conſederunt, eo tamen conſilio, vt amnem nequaq̃ tranſirent, vtpote qui ſuos tantum ciues excipere, et toto eius belli periculo liberare vellent: neq; ſibi tutum fore putarent, ad Boniuettum proficiſci, ſine equitatu & ſine maioribus tormentis. Quibus de cauſis poſtulabant, vt Boniuettus propius accederet. quod ſi faceret, tum demum coniunctis copijs, omnes in vnum de belli ratione conſulturos. Galli auxiliorum aduentu cognito, qui iam inopia commeatus, & planè vulgatis morbis peſtilentia laborabant, eundum ad Heluetios cenſent. paret Boniuettus neceſsitati, quæ mortalibus leges imponit: quantis tamen poteſt ingenij artibus, conſilium & tempus profectionis tegit, ne in itinere præoccupante hoſte, ſibi ſit neceſſe iniquiſsimo tempore dimicare. Nam recentes Gallorum equitum alas, quæ duce Rotelino nobili Regulo per Alpes iam ad Sebuſium oppidum peruenerant, expectandas eſſe cenſebat. Sperabatque ſimul Rentium Ceritem, quem ad Griſonos cum pecunia miſerat, eius gentis auxilia per Bergomatem agrum Laudem pompeiam eſſe perducturum: coniunctisque viribus cum Federico Bozolo, Mediolanenſibus terrorem adeo latum incuſſurum, vt Cęſariani à tergo imperij caput reſpicere, & Sfortiæ opem ferre cogerentur. Sed tarditate equitum Alpinam glaciem, & prærupta niues ægrè ſuperantium, & Griſonorum longiore mora, factum eſt, vt Boniuettus ſua deiectus ſpe, ſecus ac putarat, hoſtium celeritate vinceretur. Itaque præmiſſa impedimentorum parte, diuerſis Subalpinis itineribus, noctu ſilentio egreditur, vt Romagnanum pergat, quod eſt oppidum in citeriori Seſithis amnis ripa contra Gatinariam, vbi pontem faciundum curauerat, quo Heluetij maturè reciperentur, aut ſi id ab his minimè impetraret, ad eos ipſe continuò trajiceret. Vix dum egreſsis Gallis, primus omnium Piſcarius per ſpeculatorem, quem diu in hoſtium caſtris aluerat, de eorum profectione cognoſcit. Duces ſtatim in conſilium aduocantur: docet eos, tametſi hoſtes abeant vrbemque deſerant, nihil ad victoriam omnino profeciſſe, niſi illos celerrimè perſequantur, vt priuſquam nouis auxilijs coniungi poſsint, dignum eius diei occaſione euadentibus inferant detrimentum, quando nihil magis eſſet alienum à negocio conficiendi belli, quàm peruulgatæ inſiſtere rationi, quæ vetere ignobiliq; proloquio ſuaderet, fugienti hoſti pontes argento atque auro conſternendos. Non deerant enim qui nequaquam totis viribus hoſtes laceſſendos putarent, verùm eos iniquitati Fortunæ tantùm permittendos, poſtquam tot aduerſis minutis attriti prælijs, & rerum omnium inopia ſubacti, vel ſola itinerum aſperitate conficerentur. Sed conſenſu militari Piſcarij ſententia probabatur. Itaque per Brioniam vicum, primùm exercitus agmen eduxit, vt rectiore itinere Romagnanum, quò ſe tenebat hoſtis, peruèniret. Boniuettus enim maiore viæ flexu ad dextram Fontanetum perrexerat. Sed oppido atque arce excluſus, & dum ientaret tormento petitus, inde propere diſcedens, altiore via Romagnanum contenderat. Fontanetani etenim Vicecomites amicitia Piſcario coniuncti paucorum Hiſpanorum præſidium facilè receperant. Hæc autem illata Gallis iniuria, vt caſu accidere ſæpe videmus, ſummi beneficij locum impleuit. Nam Boniuettus, qui reficiendo militi, & recreandis equis aliquot horis conquieſcere ſtatuerat,

impoſita demum feſtinandi neceſsitate, Romagnanum prius peruenit, quàm Piſcarius ad Ghemium accederet, quod erat oppidulum Romagnano tribus fermè paſſuum millibus propinquum. Alfonſus quoque Vaſtius Piſcarij iuſſu cum duobus expeditis peditum millibus & trecentis equitib. cataphractis, Fontanetana via abeuntes hoſtes ſubſecutus, vt nouiſsimos inuaderet, & inito cum poſtremis acri certamine, tormentis eorum potiretur, reperit eos paulò antè diſceſsiſſe. Ita nequicquam emenſo itinere alia via, incolis ducibus ad caſtra reuertitur. Eo fortè tempore, quum iam adueſperaſceret, & caſtra ponerentur, Piſcarius Mercadum cum expeditis cohortibus trans colles exploratum miſit. pertinent ij arboribus, & vinetis conſiti perpetuo dorſo à Nouaria ad Seſithem vſq; amnem, eamque planiciem ita interſcindunt, vt quum hinc Cęſariani, illinc verò Galli iter haberent, vtraque agmina ab ijs, qui in ſummis erant collibus ſpectarentur. Igitur tranſcenſo colle, Cæſariani Gallos laceſſunt, tumultuarium prælium exoritur. Boniuettus peditum atque equitum ſubſidia ſummittit. Pelluntur Hiſpani. Ioannes Dorbinus cum ſeptem vexillis Mercado fert opem, magna vndique concurſatione pedites atque equites miſcentur: Galli impigrè tamen reſiſtunt: Dorbino vtrunque femur glande traijcitur: eo vulnerato Piſcarius in primam aciem ita proceſsit, vt gregarij militis habitu ſuis tamen omnibus noto, quam acerrimè dimicaret. Superuenit & Vaſtius cum ea manu quam diximus, à Fontaneto rediens: cuius aduentu adeo certamen exarſit, vt tum, ſi grauis armatura velitibus, & expeditis peditibus acceſsiſſet, vniuerſo prælio dimicari facilè poſſe videretur. Sed Boniuettus non prius Hiſpanorum impetum reprimere potuit, quàm productis tormentis ex ſuperiore colle eos impetere cœperit: eo modo pari euentu nec magno vtrinq; accepto incommodo, dirempta pugna Galli Romagnanum conceſſere, & Piſcarius ſuos ad Ghemium in caſtra reduxit. Erant ea adeo collibus, quos diximus ſubiecta, vt ſi Galli receptis auxilijs, productisque tormentis eos occuparent, Cæſarianos facilè ex præalto loco tormenta dirigendo, magnis detrimentis afficere poſſe viderentur. Erat enim opinio edita in vulgus, Boniuettum coniunctis ſibi nouis Heluetijs, vt collatis ſignis dimicaret, protinus eſſe regreſſurum. Quamobrem Piſcarius ſtatim animaduerſo vicio caſtrorum eos colles præmiſsis viginti peditum vexillis occupauit: iniunxitque Mercado, vt ſi Galli pugnandi conſilio ad occupandos colles retro verterentur, tam diu eorum ſuſtineret impetum, donec ipſe & cæteri duces cum omnibus copijs inſtructa acie ſubuenirent. Ea res Vrbinati mirè placuit: qui vti erat caſtramentandi peritiſsimus, eum locum ab eminenti collium ſupercilio, tormentorũ iniurię valde opportunum, nequaquam probabat, admirabatúrque Piſcarium non modò ſublato periculo caſtra ſumma ſecuritate compleuiſſe, ſed contraria etiam conſilij ratione, præoccupatis collibus hoſti æquiſsimã ad confligendum, ſi accederet, conditionem prærripuiſſe cenſeretur. Cæterùm Boniuettus fruſtra precatus Heluetios, qui erant ad Gatinariam, vt ad ſe tranſirẽt, ſecumque poſtquam eſſet explorata victoria, bellum vno prælio conficere vellent, ad eos ipſe tranſire conſtituit: præmiſsisque aliquot tormentis, & toto fermè equitatu, à media nocte peditatum tranſmittere cœpit, tanta adhibita feſtinandi diligentia, vt cum ſemiſomnes Heluetij dicto non parerent, tectis ſubijci faces, & latè flammam excitari iuberet. Ea re per exploratores equi-

tes nun-

tes nunciata, qui tota nocte per vices, ad Romagnanum excurrebant, Piſcarius, quin ad pontem contenderet, minimè dubitauit, ratus poſtrema hoſtiũ agmina, citra amnem, vt accidit, ſe deprehenſurum, diſiunctaque à ſuis medio amne facilè deleturum. Itaque cum tribus circiter millibus delectorum peditum, aſſumpto ſecum Vaſtio cum trecentis equitibus profectus, quum ſecunda diei hora peruenisſet, quanquam ſerius quàm optarat, nequaquam tamen omnes tranſiſſe reperit. eius aduentu tantus illico timor hoſtibus eſt illatus, vt quum cæſi fugatique ad primum equitum & ſclopettariorum incurſum terga vertiſſent, amentibus ſimiles abiectis armis ſeſe in amnem conijcerent, & vorticibus abſorpti, fœdiſsimo mortis genere mergerentur: alij tormenta deſererent, quæ per amnis alueum in aduerſam ripam extrahebant. Cæſariani enim, mirum dictu, non modò flumen prærupta aquæ gurgitibus, ſed inæquali etiam alueo ac ingentibus petris, quas torrentis impetus prouoluit, impeditum, vt euadentes ſectarentur, minimè formidabant. ad augendum quoque Gallorum cladem fugientium & ſeſe prementium, iniuſto pondere fatiſcentibus nauigijs, pons eſt interruptus, quo perfracto tanta iumentorum, & militum in præceps effuſa eſt multitudo, vt totus fluminis alueus pereuntium ac enatantium turba compleretur. Interim Cęſariani equites repertis vadis, acceptisque in equorum terga conſeſſoribus ſclopettarijs tranſibant: ipſeque Piſcarius & Vaſtius in alteram ripam euaſerant, quum alij atque alij equites extraordinarijq; pedites è caſtris ſuperuenerunt, adeo vt iam firmis planè viribus, & aſpirante Fortuna, pauidos ac in fugam verſos, ex toto perſequi, et cominus adoriri minimè dubitarent. Direxerat in margine ſecundum fluminis ripam aliquot tormenta Boniuettus, hisque præſidio impoſuerat Corſorum & Gallorum cohortes, vt dum ipſe agmina componeret, ab his crebro pilas emittendo hoſtes ab ingreſſu amnis terrerentur. Sed Corſi rebus inclinatis, & planè perditis, enatantium, et vndique incumbentium Cęſarianorum impetum non tulerunt, cadenteq; Triſtano duce, deſertis tormentis, refugere cœperũt. Tum verò Boniuettus ne tantũ dedecus in oculis totius exercitus admitteret, cõuerſus ad duces Gallos, ſequimini me inquit, mei equites, qui ſemper egregiè dimicaſtis, et mecum irrumpite, ne tormentis Gallicis pauci hoſtium cum ſummo noſtro dedecore potiantur: ad id Vandeneſius Paliciæ frater, qui erat inter alarum præfectos longè promptiſsimus, Emoriar ego potius reſpõdit, cum alarijs meis, quàm ea hodie ab hoſte capi conſpiciam: atque ita denſatis alis extemplo procurrerunt, occiſisque, & protritis nonnullis ad tormenta peruenerunt. Sed expediti equites leuis armaturæ, Hiſpaníque agiles, ſicuti repente cædendo, & ſeſe retro diffundendo grauiſsimi equitatus impetum euitabant, ita demum redeuntes in prælium aduentante cohortanteque Piſcario ſeſe turmis hoſtium circumfuderunt: ſclopettisque rem gerendo adeò profecerunt, vt Galli pluribus equis cadentibus, quum à proximis Heluetijs opem impetrare nequiuiſſent, ſignaretro conuerterẽt. Eo congreſſu ipſe Boniuettus imperator, dum præclarè tormenta defendit, leuo brachio pila traiecto grauiſsimum accepit vulnus. Similiter & Vandeneſius paulò infra humerum craſsioris ſclopetti plumbea glãde ictus eſt, quo lethali vulnere aliquot poſt dies interijt. Piſcarius eius viri interitum egrius quàm quiſquam crederet, tulit. Quoniam is hoſtis ſibi priuatim inimicus, peculiari ſuo

triumpho,& ſperatæ gloriæ præreptus eſſe videretur: vtpote qui antea prouocatus,ſingulari certamine cum eo congredi magnoperè cuperet,vt de direptione Comenſium, deſignato iam loco,& delectis equeſtribus armis,in arena vallata pulcherrimo ſpectaculo controuerſia finiretur. At Piſcarius quum iam Sol in veſperam vergeret,& Galli conferto poſtremo agmine iuſtis paſſibus anteirent,non putauit cum ea manu, quæ erat exigua, & continenti totius diei labore fatigata, hoſtes longius eſſe perſequendos. Etenim ſatis magna videbantur,quę milites geſſerant.Ipſe verò plures horas varijs in locis, vt in extraordinaria pugna accidit, egregiè dimicando, ſummam fortitudinis, & iudicij militaris laudem cum alieno dedecore,& tacita multorum inuidia compararat. Itaque reuocatis militib. & ſuperato iterum Seſithe amne, cum ſpolijs & ſeptem Gallicis tormentis in caſtra eſt reuerſus. Quum à Lanoio atque Borbonio,ipſoque Vrbinate cumulata cum laude reciperetur, pauca vti ſolebat de ſe locutus,eximio cum verborum honore ante alios commendauit Ioannem Geuarram Potentianum Regulum Daualæ familiæ ſanguine coniunctum: itemque Paulum Luzaſcum,& Philippum Cerbelionem cohortis præfectum,qui primi omnium in flumine tormenta hoſtium occupaſſent. Cæterùm coeuntibus in vnum ducibus docuit,quantum ſpei ad ſummam victoriam in celeritate eſſet reponendum. Gallos timore occupatos,quòd duobus iam tumultuarijs prælijs victi eſſent: quòd ſegni Heluetiorum opera vterentur: qp grauitur ictus eſſet imperator,facilè poſſe deleri,ſi ipſi motis properè caſtris,& ſuperato amne ſequerentur. Neque eos omnium rerum affectos incommodis tormenta trahentes, & per ſe graui ſemper impedimentorum, & inutilis turbæ agmine retardatos, tantum viæ poſſe conficere, vt ſequenti die leuis armatura conſequi facilè nequeat:& demorari abeuntes, donec reliquæ omnes copiæ ſub ſignis in hoſtium conſpectum adducantur. Nec mora, quum omnes Piſcarij conſilium vti decoris, & bellicæ rationis vndequaque pleniſsimum magnoperè laudarent,Borbonius alacri motu exurgens ſublata voce,te auſpice inquit,fortiſsime Piſcari, dimidiam de hoſte victoriam tenemus:et cras,ſi tibi hodie paremus,reliquam omnino conſequemur. Vnus Vrbinas victoriam morari tardareq; poterat,ſi Seſithem inconſulto ſenatu Veneto tranſire recuſaſſet,quando is amnis Mediolanẽſis imperij finis eſſet,neque vltra copias traducere fas eſſe videretur.Sed is vti æquus, & grauis imperator,quum id è republica,& ſuæ item dignitatis eſſe exiſtimaret,in tanto rerum momento fidem atq; animum ſenatus reſpicere maluit,quàm nimis cautè ea verba interpretari,quæ in preſcriptis mandatis inconſultè ſenatus apposuiſſet: atque ita reiectis malignis, vel importunis monitoribus, vtamur inquit victoria duces, quam nobis diuina ratione Piſcarius oſtendit: & caſtra antequam Sol occidat ad amnem moueamus, vt in albeſcente cœlo traiectis copijs,maturè tergis hoſtium incumbere poſsimus.Ita cum ſumma alacritate militum conclamatis vaſis,quinque inde paſſuum millibus ad amnem caſtra proferuntur,vt equioribus ripis,et certiore quodam vado pertranſirent.Sed Piſcarius coniectura iudicans, hoſtes maximè extentis itineribus ad Eporediam eſſe progreſſuros,vt magis ac magis eos diſtineret,et laceſſendo iter moraretur,eadem nocte perſequi conſtituit.Erat enim in præcipienda victoria, ad quam flagrãti cupiditate ſemper anhelabat,adeo occupatus, vt vix exiguũ cibum,&

cibum, & modicam quietem vel feſſo corpori concederet, & militum corpora ipſa tantùm certa ſpe victoriæ egregiè ſuſtentari poſſe arbitraretur: eo modo alacribus verbis ſingulos ad prędam cohortando, coactis in vnum circiter ducentis equitibus tertiò flumen tranſit, & hiſdem veſtigijs hoſtes perſequitur. Dum iter faceret, multi equites atque item leuis armaturæ pedites, qui diſperſi in varias manus hoſtium impedimentis imminendo atque aberrando vltra amnem remanſerant, modicas ab initio Piſcarij vires plurimum auxerunt. Media autem nocte nouiſsimum hoſtium agmen eſt conſecutus. Heluetij in duo tantùm agmina diuiſi equitatum Gallicum, & tormẽta in medium receperant: Veterani erant in tergo: noui auxiliares antecedebant, tanto ordine tantoq; ſilentio ac diſciplina, vt nihil præter æquorum hinnitus, & aurigarum flagella vel in proximo ſentiretur: nec quiſquam omnino ordine pedem efferret, aut ſe plus æquo ad iter incitaret: quanquam Piſcarius admotis equitibus, qui carperent, magnoq; edito clamore, et in tergo et à lateribus incurſarent, eos perturbare niteretur. Tympana etenim ac tubas, prẽter vnam, omnes compreſſerant, vt equites vniuerſi vnius tantùm tubę cantu, Heluetij verò ingenti buccina regerentur. Quum fruſtra laceſſenti Piſcario in herbida valle circiter duas horas conquieuiſſent, diluculo demum iter intendere cœperunt. Nec deerat Piſcarius, qui continuò inſtaret & premeret, iam tum nouorum militum acceſsione firmior factus: atq; ob id etiam audacior, quoniã in Heluetijs legionibus rari erant ſclopettarij, & ij quidem inepti & rudes: equites verò Galli adeo fatigatis & macie conſumptis equis videbantur, vt neque procurrere alacriter, neque dignum more gentis impetum facere penitus auderent. Interea Borbonius à Piſcario de itinere atque ordine hoſtium certior factus, ſub auroram totum exercitum traduxit: ſed non eam celeritatẽ quam optabat, requirebatq; Piſcarius, duces adhibebant. Videbantur enim hoſtes elabi è manibus, nimia ſubſequentis exercitus tarditate, adeoque ipſe intentus ardẽti ingenio ſubitarum rerum conſilia celeriter agitabat, vt ea vel incredibili momento temporis expediri & perfici poſſe exiſtimaret, vtpote qui naturæ difficultates diligentia et celeritate ſæpiſsimè ſuperaſſet. Per hunc modum, quum Cæſariani Heluetijs & Gallis inſultarent, & irrequieto quodam laceſſendi genere vndiq; circumfuſi abeuntes probroſis nominib. compellarent, res eò erat perducta, vt Galli penè ſubſiſtere, et tueri tormenta cogerẽtur. Tum verò Boniuettus, quoniam ex dolore vulneris lectica vectus munia ducis implere non poterat, Baiardo ſummam imperij tradit, eumque ſupremis precib. per Gallicis nominis decus vehementer obteſtatur, vt tormenta ſignaque eius fidei, et virtuti commendata tueri vellet, poſtquam toto exercitu, nemo eo vel manu vel conſilio melior haberetur. Ad id ille, vellem, inquit Imperator, vt hunc honorẽ in æquiore noſtra Fortuna tribuiſſes: vtcunque tamen caſus feret, ea hercle nauiter tuebor, nec me viuo in hoſtium venient poteſtatem. Nec multò poſt eius promiſsi fidem fortiter impleuit. Nam cum inſultantium inſolentiam repentina eruptione reprimendam arbitraretur, vt longè ſummotis hoſtib. ſeſe demum pugna explicaret, & pedeſtribus copijs antecedenti ſpatium præberet, conglobatis turmis in aduerſos vehementer eſt inuectus. Sed Hiſpani conſuetudine ſua, retro celeriter ſe diffuderunt, & mox imperante dirigenteque Piſcario qui cum paucis huc & illuc di-

ſcurrendo volitabat, in hoſtem redierunt, ita vt non pluſquam ad ſclopetti ictum equitibus appropinquarent. In eo recurſu Baiardus dum alas, vt ſenſim redeat, in gyrum circumflectit, ſub latere pila trajicitur. Cadit etiam Beobo-ſius alæ cataphractorum præfectus, & plures equi conſternuntur. Labentem ex equo Baiardum proximi equites excepere, vt in mediam peditum aciem referrent. Sed ille vbi vitæ finem adeſſe diſruptis præcordijs intellexit, eos eſt obteſtatus, vt ſe in eo quo pugnaſſet campo relinquerent: vt ſicut militari viro dignum foret atq; antea ſemper optauiſſet, armatus occumberet: nec eos, pio certè ſed inutili tamẽ occupatos officio, dum cunctis eſſet properandum, diutius moraretur, atque ita præmiſſo tubicine Piſcario ſe dedidit: admirantibus cunctis eius viri iudicium, qui quum ſuprema militaris imperij iura prę clarè ſciret eſſe penes Lanoium atque Borbonium, Piſcario potius quàm illis ſe dedere voluerit: quaſi militiæ nomen, vera virtute & factis illuſtribus quę-ſitum, multo nobilius atque pręclarius eſſet, quàm id quod arridentis Fortu-næ ludo, vel ſuperba Regum commendatione pararetur. Porrò Piſcarius Ba-iardo recepto, attributisque ei cuſtodibus, qui expiranti ſedulò miniſtrarent, darentque operam ne à quoquam auaro aut ignaro milite violaretur, nec mo mentum quidem temporis intermittebat quin hoſtes perſequeretur, nun-cijsque plurib. ad duces miſsis, eos ad maturandum vehementer accenderet. Iam Gallicus equitatus ſenſim pugna excedendo, in medias acies ſe receperat, et Cęſariani per cateruas rarosque manipulos vndique circumfuſi Heluetios inſolenti & crebra procurſatione fatigabant, quum poſtrema eorum cohors quòd neque iter facere, neque repugnare facilè poterat, abrupta omni diſci-plinæ patientia vti furore percita à nouiſsimo agmine ſe proripuit, & magno impetu ſclopettarios ſimul & equites inuaſit. In eo concurſu Piſcarium acer-rimè dimicantem inſignis & ferox Heluetius ex tranſuerſo ante alios procur-rens elata in caput alabarda penè mactauit, ſed lorica qua iugulum tantùm at-que humeros muniret in tumultuarijs expeditionibus vtebat, nec ſine ea ſom num capere erat ſolitus, tantæ molis ictum in humero facilè ſuſtinuit. Isque Heluetius adcurrente in auxilium Vaſtio, valida prægrauiq; eius dextra pro-tinus eſt interfectus, ea ſorte, vt Vaſtius vno tam felici ictu hoſtili rabie vindi cata, non ciuis modò, ſed fratris & ducis ſeruati decus meruerit. At Heluetij primis facilè pulſis, dum neque animi vim, neque curſus impetum remittunt. & hoſtes ad multum ſpatium temere perſequuntur, adeo longè à ſuis pleno gradu euadentibus ſe diſiungunt, vt trib. amplius ſtadijs à poſtremo eorum agmine diſtarent: id conſpicati Piſcarius & Vaſtius qui ſe retro ab eo tumul-tu celeriter explicarant, paucis & his quidem ex familia, ſtrenuis equitibus in vnam aciem denſatis, tãto impetu in Heluetios irruerunt, vt diſſipatos et per-turbatos admirabili virtute dimicando ad vnum omnes ſemihoræ ſpacio tru cidarint, adeo vt ex quadringentis nemo ſupereſſe, nec ſpectante eam cædem ex propinquo ipſorum poſtrema acie, quiſquam vel Gallus eques vel pedes Heluetius opem ferre auderet, ſed quiſque plenis paſsibus omnino feſtinan-dum arctaretur. Accidit enim ſæpiſsimè in aduerſis rebus, & in fuga præſer-tim, vt inuſitatus pauor omnem miſericordiam ex hominum animis penitus reuellat: nemo ferè tamen fuit ex equitibus, qui non grauiter vulneratus in ea contentio diſceſſerit. Conſtat Heluetios ſi maturè ad ferendam opem ac-

currere

currere voluiſſent, facilè eam cohortem fortiſsimorum hominum ſeruare potuiſſe, quum amplius duodecim ſtadiorum ſpacio Lanoius atque Borbonius quum reliquis ſtatarijs copijs abeſſent. Eius etenim prælij mora exercitu etiam propter grauitatem tormentorum, quæ nemo ſanus Imperator poſt ſe vnquam reliquit, ſerius quàm oportebat appropinquante, Gallis ad Eporediam euadendi ſpacium dedit. Porrò Heluetij Graijs Alpibus in Veragros contendentes tormenta circiter viginti ænea in oppido Celandio propter aſperitates itinerum reliquerunt, quæ omnia Alarco per valles Auguſtæ prætoriæ cum expedita manu abeuntes ſubſecutus eo in oppido cepit, et in caſtra exornatis feſta fronde curribus reduxit. Hunc exitum habuit id bellum quod antè ſeptem menſes Boniuettus Ammiras dux infelix tantis opib. intulerat, nulla hercle iuſta pugna, ſed tumultuarijs tantùm leuis armaturæ prelijs cum præcipua Piſcarij laude confectum. In his enim ipſe ante alios ſemper enituit, quum ardua & aſpera quæque facinora, non ingenio tantùm admirabili, ſed fortiſsima etiam dextra omnium opinione peregiſſet. Hiſdem quoq; diebus Griſonorum auxilia, quæ duce Techano adducente que Rentio Cerite in Bergomatem agrum deſcenderant, Ioannes Medices ad Caprinum vicum improuiſò adortus, nonnullis cęſis, reliquis perturbatis in patriam ita repreſsit, vt Griſoni Rentium captiuum tanquam pecuniæ debitę vadem intra eorum fines retraherent. Nec diu quoque poſt Medices cum iuuentute Inſubrum & veteranis ſuis cohortibus admotis tormentis Abiatum valido defenſum preſidio, magna vi, memorabilique celeritate interfectis defenſoribus expugnauit, vno ferè hoſtium duce Federico Caraffa propter generis nobilitatem conſeruato. Quibus rebus adductus Federicus Bozolus, qui cum præſidio Laudę Pompeię ſe tenebat, & Griſonorum auxilia opperiebatur, certis conditionibus deditionem fecit. Piſcario demum Alexandriæ oppugnandæ munus eſt iniũctum. Sed Galli ſub Foiſſeio adoleſcente, cui Boniuettus erat patruus, nihil expectatis auxilijs, nec tentata quidem defenſione, vt integri milites ſeruatis priuatim rebus in Galliam abirent, validam vrbem pari Cæſarianorum felicitate dediderunt.

LIBER QVARTVS.

TRIBVS bellis, nec vlla quidẽ iuſta acie deuictis Gallis, Cæſariani tantos ſibi ſpiritus deſumpſerunt, vt victricia arma ſuperatis Alpibus, Galliæ veluti metu ſubactæ inferenda protinus exiſtimarent. Addebat animos ipſe Borbonius, præcipuus noui belli concitator, tam cæca libidine impotenter exardens, cẽ inani ſpe vehementer inflatus inuadendi eius regni, quo antea ſceleſta temeritate ſemel affectato, non modò patriam & natale ſolum, ſed regalis etiam opulentiæ patrimonium amiſiſſet. Is per ſe natura præproperus & more exulum cunctationis impatiens, Cæſarem & Henricum Britanniæ regem frequentibus nuncijs ſollicitabat, vt vndique commotis armis bellum oſtentarent, cùm à Pyrenæis, tum ab Oceano Belgico, & à Sequanis atque Burgundis. Se enim ab Italia terra mariq; Prouinciam inuaſurum. aduentante ve-

rò exercitu toties victore, non modò Prouinciam, sed vlteriorem quoq; Galliam audito Borbonij nomine defecturam: orare demum Reges atque obtestari per fidem datam & acceptam, per consilia toties inita, perque eam occasionem, quam Fortuna secundior longè pulcherrimam offerret, ne se ingenti ipsorum beneficio factum extorrem, & atroci edicto hostē iudicatum desererent: tantis præsertim innixum studijs & clientelis, desideratum à nobilissimo quoq; equitum, & in spem regni totius ferè Gallię votis & precib. euocatum: non magna vi, non cædibus, non vrbium expugnationibus opus fore, si repentino transitu prima prę sidia pellerentur, quæ essent exigua, aut ex tyronum equitum alis, aut ex veteranis toties in Italia omni propè bellico apparatu spoliatis & victis. Igitur Cæsar & Henricus aduenisse tempus rati, quo facilè Francisci Regis spiritus cõtunderent, bellum decernunt. Videbant enim propter amplitudinem opum Regem è rediuiua potentia semper indomitũ, & recuperandæ Cisalpinę Gallię cupiditate deflagrantem singulis annis bellum renouare: neq; tantis acceptis detrimentis, pacem petere, vt pote qui speraret continenter bella gerendo, & hostium atterendo facultates, non modò prę terita incommoda facilè resarcire, sed vna demum victoria vindicatis iniurijs cùm sua recipere, tum alienis etiam imperijs latè potiri. Ante omnia Cæsar æquo animo ferre non poterat, quòd Galli consternatis ad arma Hispanię populis, ipso procul in Belgis agente, ad Hiberum vsque amnem arma promouissent. Decreto bello, exercitui Piscarius prę ficitur: Vgo Moncata paran dæ classis negocium suscepit. Ita tamen vt ambo cuncta ad Borbonij nutum ac imperium administrent. Cæsar & Henricus Borbonio, quum in prouincia bellum secundo euentu gerere cœperit, vndique se Gallis illaturos arma pollicentur. At Piscarius quanquam Borbonio cuncta fore facilia pollicenti, multis in reb. minimè credendum esse iudicabat: quoniam probè sciret, eam esse exulum naturam, vt vel exigua spe inuitati difficultates omnes facilè subeant, nec in ipsis rerum initijs vlla pericula ratione metiantur: tñ virtuti militum confisus, & bellum & iter summa sua spe & alacritate militum suscepit. Fuere in exercitu septem millia Germanorum, Hispanorum sex, itemque Italicæ tricenariæ cohortes septem, leuis armaturę equites sexcenti. Sed Lanoius qui in Italia remanserat, mille equites cataphractos continuò se modicis itineribus summissurum promittebat. Vgo Moncata quas adducere onerarias naues putarat obtinere non potuit, quamobrem aliquanto minore cum numero nauium quàm oportebat, cum sexdecim tamen rostratis triremibus, quib. omnem tormentorum apparatum imposuerat, è Genua est profectus: eumq; tenuit cursum vt terrestres copias maritimis Alpibus transeuntes, comitante classe, & nusquam ea temerè à litoribus abscedente intenta cura sequeretur. Non deerant plerique principes vsu rerum periti, qui nequaq̃ eius belli causam probarent, summęq; audacię consilium, quod insanię vel temeritati proximum videretur, damnarent, vel irriderent. Quid enim stultius videri, q̃ exiguis cum copijs, duce exule, atque eo qui perfidiæ nomine publico iudicio esset damnatus, opulentissimum regnum inuadere: in quo Galli homines regio nomini non amore modò naturali, sed seruili propè obsequio dediti, non modò fideles esse, sed regia ora tanquam ab occulto numine augustiora venerari, et prorsus adorare consueuissent, proditoris nomen maximè horrerent,

nec à le-

nec à legitimis Regibus vnquam ab vlla memoria defeciſſent? Quid demum eſſe periculoſius, quàm Regem ingentis ſpiritus & maximarum opum ætatéque florentem domi exagitare, qui nec foris procul à domo pacem pati quiuerit? Non enim defuturã ſuo Regi Galliam: quum non iam pro Inſubrum imperio, ſed pro aris & focis, pro vxoribus et liberis ſit dimicandũ: quando nihil acerbius atque funeſtius foret q̃ ferociam Germanorum & Hiſpanorum auaritiam atque libidinem experiri. Ob eas res Clemens Pontifex, & Veneti, & Franciſcus Sfortia, quanquam Gallos vti nimis infeſtos hoſtes oderant, & arctiſsimo fœdere Cęſari erant coniuncti, veteri tamen, ne bellum temere intempeſtiueque ſuſceptum, aliquam Italiæ cladem importaret: verùm Borbonij tranſitu tacitè omnes lætari, quòd Italia ſuperior diſceſſu exercitus, grauiſſimo legionum onere leuaretur. Quando non tantùm ab hoſte Gallo, quàm ab Hiſpanis gente imperij auida, amœnitateque & copijs Ciſalpinæ Galliæ iampridem capta, timendum eſſe iudicarent: vti poſtea rerum docuit euentus: nam id bellum fatali quodam conſilio potius quàm bellica ratione ſuſceptum, ſicuti maximis Hiſpanos periculis inuoluit, ita eos demum cuncta vertente Fortuna, inuſitatæ victoriæ compotes fecit. At Cæſarianis poſtquam ad Varum flumen qui prouinciam ab Italia diuidit, terra mariq́ue pari curſu peruenere, Andreas Auria Gallicæ præfectus claſsis ab alto in conſpectum ſe dedit: ſecundoq́ue vſus vento, cum valida claſſe Vgonem tormenta in terram exponere properantem eſt adortus: quo ille animaduerſo diſcrimine, quanta potuit celeritate retrò iter auertit. nam onerarijs vti diximus multo erat inferior: tres tamen eius triremes, quæ retardante Euro promontorium ſuperare nequiuerant, vltro in litus ſeſe intulerunt. Nec dubitauit Auria eas perſequi: iamq́; occupatas ſuo milite & rudentibus iniectis alligatas ſpectante exercitu, remulco in altum captiuas pertrahebat: quum id elato perturbatoq́ue animo minimè ferens Piſcarius, aduocato promptiſsimo quoque milite in mare ſe coniecit, ita vt vmbilico tenus per mare peruaderet, contempta omni tormentorum procella, quæ è Gallicis triremibus effundebatur: atque ita felici auſu interfectis & eiectis Gallis, præciſisq́ue funibus, vnam atque alteram triremem ſeruauit: quas demum vacuas omni militari inſtrumento, vti iam dehiſcentes, ne hoſtis earum materia potiretur, concremauit. Audiui ego è pluribus qui interfuerunt, nunquam Piſcarium vehementiore impetu, vel maiore cum periculo, vti in re, quanquam exigua, valde tamen aſpera, improuiſa atque ancipiti dimicaſſe. Acceſsit & aliud incommodum quanquam leue, in ipſis tamen rerum gerendarum initijs importunum. Filibertus enim Aurantius natione Sequanus, qui ad id bellum in Prouinciã ab Hiſpania nauigabat, quum à Cęſarianis latè maria, conſpecta claſſe, teneri crederet, imprudẽter in Aurianas incidit triremes: & ab his circũuento myoparone eſt interceptus. Hic eſt ille Aurantius qui Borbonio ad Romana mœnia tormẽti ictu occiſo in vaſtanda Vrbe capiendoq́; Pontifice Cęſarianis copijs præfuit: & nuper comiſſo cum Florentinis ad Piſtorium prælio, dũ militis potius, q̃ ducis munus implere contẽderet, penè corrupta victoria, fuit interfectus. Nec multò poſt decidentib. aduerſis vẽtis, Vgo triremes totis litorib. admouit, & tormenta magnamq́; armorũ & comeatus vim, vti oportebat in

bat terram expoſuit: atque inde duplici itinere, diuiſo exercitu ad Aquas Sextias eſt peruentum. Quum ſatis lætis Sextienſium animis Borbonius eſſet receptus, multaque caſtella aut leuitate aut metu, quòd præſidijs eſſent nudata, deditionem facerent, nonnulliq́ue equites & veteres Borbonij clientes in caſtra venirent, cupidò inceſsit introrſus ad Auenionem atque Lugdunum penetrandi: vt priuſquam Franciſcus ex Germano Heluetioq́ue pedite iuſtas vires compararet, aliqua opulenta & ad ducendum bellum opportuna vrbe potirentur. Sed Borbonij conſilijs vnus omnium obſtabat Piſcarius diuina quadam prudentia inductus, qui nequaquam à mari temere diſcedendum eſſe differebat, quando nihil magis à ratione belli cenſeretur alienum, q̃ claſſis vſu ſponte priuari: quæ in vtroque rerum ſucceſſu ad omnes caſus terreſtribus copijs ſingulari adiumento futura videretur: proinde tentandam atque oppugnandam omnino eſſe Maſsiliam, & Rhodanus ſtatim ea occupata ſuperandus, vt Cæſar ſumma facultate vti poſſet ad ſuppeditanda terra marique auxilia, vti à Perpenniano, & Salſulis per agrum Narbonenſem ſe miſſurum ad prima cœpti belli initia promiſiſſet. Non eſſe periti Imperatoris, ſummi momenti conſilia quæ victoriam, vel exercitus ſalutem reſpicerent, in dubijs & ſæpe inanibus populorum ſtudijs collocare, relictaq́ue in tergo maritima vrbe atque ea portu inſigni, in mediterraneas Galliæ regiones penetrare, cum exiguo præſertim equitatu, qua parte virium Galli domi & foris maxime valere conſueuiſſent. Proinde tum alacriter eſſe procedendum, quum Cæſar à Pyrenæis incumberet, quum Britanni cum exercitu in Morinos traiecciſſent, quum equitatus, cuius opera plurimum indigerent, à Lanoio Caroloo mitteretur. Quòd ſi in interiora Galliæ peruaderent, & fortè ſtudia Gallorum vti incertæ ferunt hominum voluntates, ſpe ſua minore aut lentiora reperirent, & inſtante Rege qui totius regni vires exciuerit tantulis copijs aliquis durior caſus incideret, quod demum ipſos maria atq; alpibus intercluſos conſilium pro ſalute capturos? Quod porrò maius aut optatius Gallo regibe neficium poſſe conferri, q̃ illum toties de Gallis victorem exercitum in manifeſta pericula hac planè exitiali conſilij temeritate deuocare? vt quod Dij auertant, inquit, eo circumuento de totinijurijs, & cladibus acceptis grauiſſimam Gallorum omnium oculis Rex ſuperbus vindictam ſumat: & ſubinde tota Italia, vti nudata præſidijs, ſine vulnere potiatur? Nihil harum rerum Borbonium magis permouit, quàm ea quæ de Lanoij voluntate nunciabantur. Is enim ſiue quòd Borbonij, Piſcarijq́ue gloriæ obtrectando malignitate quadam inuidebat, ſiue quòd Italiæ præſidio maioribus cum viribus omnino ſibi remanendum arbitrabatur, nequaquam cataphractos vti fuerat pollicitus, ſummittebat, continuisq́ue literis id obnixè flagitantes duces adeo parumprolixè vel impudenter fruſtrabatur, vt Ricardus Paceus Britanni Regis Legatus qui erat in caſtris, pecuniamq́ue attulerat, acerbiſsimis epiſtolis eum apud Regem ſuum & Cæſarem proditionis nomine poſtularet. Igitur relicto ad Aquas Sextias equitum & paucarum cohortium præſidio, quæ rem frumentariam expedirent, ad oppugnandam Maſsiliam eſt peruentum. Ex itinere ad Taurentium portum, Tolonæ, arx parua, quæ turrem habet inſignem, terra mariq́ue expugnata eſt, in qua aliquot ingentis magnitudinis tormenta fuere capta, & in his eximiæ temperaturæ mirabilisque vio-

que violentiæ colubrina Pisano bello celebrata, cui Lacertæ cognomen fuit. Hanc iure belli partam Piscarius in arce Iselana postea constituit, vt hostium nauigia ab accessu vel in triginta stadiorũ distantia deterreret. Cingitur Massilia ferè vndique mari, et præaltis montibus: ab ea parte quà mare per angustas fauces se insinuat, portumque efficit: is duabus vtrinque turribus interiecta cathena permunitur intrantibus occurrunt naualia, quæ mœnibus cohærent, pari modo supra ea vrbis murus extenditur, sine fossa vetusto opere fabricatus. Imminet vrbi mons editus diui Victoris templo insignis: quem Galli præsidio impositio propter aditus asperitatem facilè defendebant. ab occidente verò mœnia aliquanto minore diligentia munita videbantur, ad eam præsertim portam, quæ ad sancti Lazari fanum perducit: ab eo loco quũ Piscarius murum quatere statuisset, & in ponendis castris milites essent occupati, paruoque propterea cum præsidio tormenta equorum et boum iugis ad sanctum Lazarum traherentur: id conspicati milites Itali et Galli, qui in muro erant, repente è portu conscensis triremibus in eam partem litoris descenderunt, facileque fuso et dissipato præsidio præcisis funibus, interceptisque iumentis tormenta occuparunt. Res erat subiti pauoris, & inconditi tumultus plena, vtpote quæ non minore cum ignominia, quàm commodo Cæsarianorum audacissimè à Gallis edebatur. eius fugæ deformitate conspecta, Piscarius cum tribus cohortibus ad litus descendit, commissaque vehementissima pugna, recuperatisque tormentis, hostes ad mare vsque tanto impetu est persecutus, vt quum ad triremes se reciperent, & illæ suborta fortè tempestate, quod iniquissima sorte illis accidit, in portum refugere essent coactæ, desperata fuga trepidi in mare sese demergerent, adeo vt nemo ferè, præter ducem Leonatum genere Neapolitanum, qui erat transfuga, & ad supplicium seruatus fuerat, ex quadringentis circiter Italis & Gallis euaserit. Erat in præsidio Massiliæ Philip. Brionius virtute bellica, et gratia Regis maximè insignis: aduenerat que secundo amne Rhodano Rentius Ceres cum Italorum & Corsorum cohortibus, magnoque apparatu tormentorum: nec deerant alæ equitũ, & magna vis commeatus, mareque & Stecades insulas, quæ sunt contra portum valida classe certis stationibus obtinebant: Andreæque Auriæ in re naualí singulari diligentia, & promptitudine expediendis omnibus rebus impugnandisque hostibus vtebantur: nam vbi milites per litus in conspectum se dabant, aut aliqua in castris eminebant tentoria, tum ab alto circumducta per litus classe maioribus tormentis petebantur. Exurgebat etiam ab ipsa media vrbe præaltus collis, vnde erat apertissimus in omnes partes prospectus, quem ingentibus colubrinis instruxerant: nullaque erat pars, vel propugnaculorum, vel mœnium, quæ nouis operibus non esset refecta, ac abundè munita omni genere tormentorum & telorum: ob id interdiu noctuque, vel ad incertos ictus, quum nullis vel inanibus pilarum, & sulphurei pulueris impendijs parcendum putarent, castra ab omnibus ferè partibus infestabant, tanta quidem pilarum frequentia, vt in tabernaculis noctu, ne conspici notariquepossent, lumina passim extinguerentur. Piscarius tamen vnus omnium vel deprecantibus amicis, incredibili constantia, contemptioneque periculi, in mensis lumina semper retinuit, quanquàm non semel crassiores pilæ cum exitio metuque familiæ tentorij lintea detersissent. Existimabat enim non esse viri fortis ea sollicitè pertimere, quæ ab incertis ca-

ſibus omnem vel exactæ prudentiæ diligentiam anteirent: neque eum ducem vel præfectum rectè ſitus caſtrorum poſſe ſpeculari, & motus hoſtium diligenter explorare, qui ad fortuitos tormentorum ictus & ſtrepitus meticulo ſa capitis declinatione terreretur. Quum obliquas foſſas concidi excauariq́ue præciperet, per quas ſubuectis tormentis ſenſim mœnibus appropinquaret, qui in opere verſabantur, ſoli malignitate maximè laborabant. Lapidoſus enim, & ferè ſine gleba ſaxeus ager omnem vim fodientium militum ſingulari contumacia reſpuebat: neque vimineæ caueæ, quæ collocatis tormentis anteponuntur, vti diſciplina requirebat, ſimplici terreno, vel ceſpite repleri poterant. quæ res multis & præſertim libratoribus exitium afferebat: quoniam ad magnos tormentorum hoſtilium ictus caueis ſæpe diſruptis frequentia vndique lapidum fruſtra in obiectos ſpargebantur. Dum hæc ægrè fierent, Maſſilienſes occulta militari portula repente egreſſi, Hiſpanos in opere occupatos inuaſerunt, paucisq́ue occiſis & multis vulneratis, priuſquam à proximis ſubueniri poſſet, foſſa protinus expulerunt, vſqueadeo audacter, vt Gallis nõ modò ferramenta, ſed veſtes & arma, vti erant ſine cura metuq́ue depoſita, deſerere cogerentur. erant ij milites ex cohorte Philippi Cerbellionis, quos Piſcarius aſperioribus verbis caſtigauit, quòd non tantùm ſibi ipſis, ſed præfecto ſummæ virtutis inſigne dedecus attuliſſent: verùm aliquanto vehementius in Rodoricum Corium Ioannis Dorbini ſigniferum eſt inuectus, qui veluti metu prępeditus è proxima ſtatione nequaquam maturè ad ferendam opem accurriſſet. Tum Rodoricus, qui elato animo ignominiam ſuſtinere nõ poterat, faciam, inquit, Imperator, ſi hoſtes iterum eruperint, vt me viuum, aut certè nobili fato functum magnopere commendes. neque promiſſi fidem fefellit. Nam Piſcarius quum hoſtes, vtpote ſecundo eius die ſucceſſu inuitatos, eadem porta erupturos iudicaret, Alfonſum Vaſtium cum delecta veteranorum manu abdito, & opportuno in ſinu circa ædificia collocauit: vt ſi hoſtes erumperent, preciſo itinere intercluſos in tergo cæderet. Nec multò poſt Maſſilienſes duce Vincentio Tibaldeo Romano iuuene longè promptiſſimo audacter eruperunt: progreſſiq́ue audacius ad munitiones peruenerunt. Tum verò à fronte, & in tergo Hiſpani conſurgunt: Rodoricus antè alios fortiſsimè pugnat: reſiſtit impigrè Vincentius, ſed eo cadente cæteri in fugam vertuntur. Fit magna cædes pro numero pugnantium: nonnulli tamen erumpunt, & ad mœnia curſum intendunt: hos quum Rodoricus intemperanter perſequeretur, in ipſa porta traiectus concidit. Vaſtius autem ſuos protinus recepit, vt tormenta quæ è muro diſplodebantur, euitaret. Nec multò poſt Rentius Vincentij cadauer per præconem ad exequias requiſiuit: pariq́ue pietate receptus eſt à Piſcario Rodoricus, oculis & toto oris habitu, exoluti promiſſi non ſine lætitia ferociam adhuc ſpirans, quaſi honeſtiſsima morte totam heſterni flagitij ignominiam egregiè conſumpſiſſet. At Piſcarius, vt hoſtium eruptiones reprimeret, perpetuam munitionem ad mare vſque perduxit: & altiore propugnaculo in quo præſidium poſuerat, communiuit. Tum verò tanta vi murus tormentis quati cœptus, vt duo ante alia tormenta maiora ad irrequietam diſploſionem, hebetato metallo frangerentur: quibus diſruptis, ea quæ ad Tolonem ceperant, in ſupplementum ſunt perducta. Dum hæc ad Maſſiliam geruntur, Franciſcus

ingenti

ingenti cura anxius, coacta vndique pecunia, ab Heluetijs atq; Germanis auxilia conduxit: equitum octo millia instruxit, partim ex veteribus equitibus, partim ex euocatis et beneficiarijs: tormenta item curulia ex arcibus, et totius Galliæ armamentarijs educta, subiectis innumerabilib. equorum iugis ad Auenionem cõuenire iussit, quò Paliciam cum parte copiarum paulo antè præmiserat. Nemo erat è tota Gallia, qui non libens pecuniam, arma, equos, commeatus, contra Borbonium conferret. Quoniam ad dignitatem Galliæ pertinere videbatur in præclara fide persistere: antiquam inexhaustarum opum et copiarum opinionem tueri, & Regis iniurias defendere: quæ non tam ab hoste, quàm à proditore, & transfuga inferri dicerentur. Iam enim illa vetus inuidia magna ex parte decesserat, qua Franciscus acerbissima pecuniæ conquisitione cum quotannis bella renouaret, nec sacris etiam parceret, antea flagrauisset. Nam quisque procerum, & eorum qui sacerdotijs & opibus valebant, quo nobilior erat & ditior, eò præclarius erga Regem studium ostendebat, vt nihil de Borbonij consilijs sibi communicatum fuisse declararet: quanq; summa clementia Franciscus neminem ex coniuratis percussisset, & ante alios Pictauium à sancto Valerio regulum alæ nobilium regiæ custodiæ præfectum, ingratitudinis atque perfidiæ crimine conuictum, & iam à triumuiris rerum capitalium ad locum supplicij perductum, eius filiæ et liberorũ lachrimis condonasset. Tantis copijs Rhodanum traiectis, Galli Cæsarianis qui erant ad Aquas Sextias negocium facere: castella quæ defecissent, recipere: ex opportunis locis intercipere commeatus: studia hominum, si qui rerum nouarum cupidi Borbonio fauebant, restinguere: & ijs qui frustra in oppugnatione Massiliæ diutius hærerent, supplicia & compedes comminari. At Piscarius, quum muri partem multis ictibus ad satis latum aditum diruissel, reperit introrsus prælto aggere, ad altitudinem septem cubitorum mœnia antiquo opere permunita, nouasque tum ab hoste additas munitiones, vt non peruadere in vrbem nisi ingenti saltu, & incredibili cum periculo milites posse viderentur. Præterea tanta vis tormentorum erat in vrbe, vt vix tutum fore putaret cogere in vnum milites, & eas acies instruere, quas ad murum esset perducturus: multos enim insignes viros tormenta discerpserant, & in his clari nominis Franciscum Cantelmum Italum, atque item Gusmanum et Aloisium Calecum Hispanos: præterea milites omnis generis strenuos circiter ducentos: ob quorum interitum, tametsi viris fortib. nihil erat timendum, respectabant tamen omnes Italiam, & veterani ante alios: qui aduentante Rege, nisi inde sese nihil vlterius lacessita Fortuna integri celeriter explicarent, fame & ferro cunctis pereundum esse iudicabant. Sed vrgebat Borbonius, & vehementer à Piscario postulabat, vt postquam satis muri tormentis esset dirutum, aggredi locum vellet, & vires atque animos hostium periclitari. Quid enim esse fœdius, quàm ausos oppugnare, quum demum summo labore murum apperuerint, cunctari vlterius, nec paratæ victoriæ fructum velle percipere? Non debere eum, qui primis & certissimis consilijs inniti noluerit, in secundis demum, quæ ipse suscepisset, adeo cautè subdubitare, vt quum nihil agendum, sed turpi fuga consulendum putet, reliqua consilia Cæsaris et Henrici penitus euertat: se quidem eo esse animo vt honestè cadere quàm turpiter effugere malit. Tum verò reliqui Galli exules idẽ vociferari, ipseq; Ricardus

Paceus Britannus,& Hadrianus Beurenus Belga quem Cęſar miſerat,vti rei bellicæ parum gnari,contumelioſis propè vocib. petebant,vt pugnę ſignum daretur. Erat in magno æſtu conſilij Piſcarius,ſed cuncta quæ illi loquerentur,ſumma iudicij patientia perferenda exiſtimabat,ne ſalus exercitus imperitorum aut deſperatorum hominum temeritate proderetur. Dicebat enim non ſine ingenti militum clade in vrbem poſſe perrumpi: quòd ſi præſidium atque vrbem expugnarent, vti inuſitato caſu potius quàm certa ratione eſſet ſperandum,non ne extemplò aduenturum Regem cum ingentibus copijs,ac hærentes prædæ milites in vrbe capta protinus obſeſſurum? Poſtquam Cæſar & Henricus ſecus ac ipſi ſperauiſſent non modò arma non inferrent ad diſtinendum Regem Gallum,& eum diuerſis implicandum bellis,ſed nec vlla quidem in finibus præſidia parauiſſent: quòd ſi,vti valde æquum eſſet, temere ſubeuntes milites cum inſigni detrimento pellerentur,quis demum faucia tis & victis,atque ipſa denique tota ſpe deiectis,amiſſa parte virium, animus futurus ad receptum? cum Rex vindictæ auidus tota mole exercitus incumberet,qui iam Rhodanum tranſiſſe nunciaretur, proinde omnem ſpem ſalutis in celeri receptu eſſe reponendam. daturum enim ſe operam, vt non modò tuto expeditoque itinere,ſed ſumma etiam cum laude, poſtquam vana ſpe auxiliorum eſſent decepti,in Italiam regrederentur. Quum Borbonius in ſententia perſeueraret,cui erat parendum,Piſcarius vt periculum,quod erat valde manifeſtum,etiam clarius Gallorum exulum oculis repræſentaret, omnes præfectos,& inſignes centuriones è Germanis ac Hiſpanis & Italis, itemque Gallos qui Borbonij authoritatem ſequebantur,aduocauit,præſenteque Borbonio,ſi repudiatis inquit,cęteris conſilijs, nobis omnino tentanda eſt Fortuna expugnandæ Maſſilię, vti Borbonio videtur,neceſſe eſt,vt aliquos ex numero velocium atque audacium militum ad mœnia præmittamus,qui in munitionem per effracti muri ruinas euolent: quid parauerint hoſtes, quæ natura mœnium ſit introrſus celeriter ſpeculentur, & quà impetum facere nos oporteat certiſsimè doceant,id quum Borbonium & reliqui omnes probarẽt, propoſitis præmijs, ſeptem Hiſpani prodiere, qui ſe alacriter ituros profiterentur.Erat id ſummæ tameritatis, & certi propè exitij munus: ſed exigua erat iactura,quum totius exercitus ſalus paucorum periculo vel interitu redimi poſſe videretur.Sed Hiſpani dum incitati ſinuoſo curſu ad murum ſe proripiunt,& opera hoſtium deſpectant,excitata tormentorũ procella protinus obruuntur. Quatuor interfectis, reliqui feliciter,ſed icti tamen euadunt: renunciant Gallos pedites, & equites in acie poſt munitiones conſiſtere: in eum locum tormenta conuertiſſe: aditum perrupti muri validiſsimis trabibus eſſe præſeptum: cæcasque ibidem ſubeſſe foſſas,quas ſulfureo puluere,& leui materia ad corripiendam flammam multo oleo delibuta diligentiſsimè repleuerint: tantamque demum eſſe eius loci iniquitatem,vt prius prima inuadentium acies tormentis,ferro & flammis ſit peritura, quàm ad manus, haſtasque hoſtium perueniat. Tum verò Piſcarius, vidiſtis, inquit,& audiſtis cõmilitones, quas nobis Maſſilienſes tam bellè inuitatis epulas appararint: proinde ſi qui ſunt quibus vita ſit oneri,et obiter apud inferos cœnare velint, ſine ſigno,ſineque tympano murum inuadant: qui verò ſalui eſſe cupiunt,& Cęſari fortem operam præſtare,tuerique Italiam volunt,me ſequantur. Quo

dicto

dicto cuncti fermè milites mouenda castra, & signa in Italiam referenda censent. Borbonius quanquam vltimam eius consilij necessitatem agnosceret, vehementi tamen dolore percitus discedit: nec aperto ingenio rerum suarum desperationē probè dissimulat, sæpe gemens, se deceptum & proditum queritur. nihil propterea animo se demittit: sed qui cūctis antea imperabat, sponte Piscario paret. Prospera siquidem Fortuna sicuti mortales sæpe facit insolentes, ita aduersa subactis æquitatem moderationemque restituit. Tanta enim Piscarij consilijs & dictis fides inerat, vt nemo vel militum vel minorum ducum, eo auspice, & duce, quicquam incommodi recipi posse existimaret. Diuinus etenim semper vates extiterat, quum ea quæ euenerant de Cæsaris diligentia, Henricique Regis voluntate, & de Lanoij fide constanti omnium opinione eum ab initio prędixisse perspicerent. Antè alios autem Piscario magnopere fauebant Germanorum duces Azornius atque Lodronius. Igitur cum quadraginta dies in oppugnatione frustra consumpsissent, circa finem Septembris cum esset meridies castra mouet: tormenta aliquot maiora onerario nauigio imponuntur, atq; eadem via Niceam versus iter intendit: quoniam Vgo Moncata, nauibus impar, Gallicæ classis metu Monœci portu se tenebat. Is erat agminis ordo, vt leuis armaturæ equitatus cum Italicis cohortibus anteiret: deinde tormenta ac impedimenta, et demum Germani sequerentur: postremi omnium Hispani atque Itali vti magis expediti atque agiles in tergo essent. Discedentes Cæsarianos Aurianæ triremes obuersis ad litus proris, ac emissis identidem tormentis subsequebantur. Nec Massilienses erumpere ac instare postremis audebant, quamuis ad septem millia externorum militum in præsidio essent. Ex itinere autem receptæ sunt in castra eæ copiæ, quæ ad Aquas Sextias in præsidijs substitissent. Iam Franciscus ad Auenionem peruenerat, & proximi quique equites ita sese ad iter effuderant, vt Cæsariani magis ac magis propter inopiam commeatus atq; hostium aduentantium propinquitatem properare cogerentur, cum grauiora tormenta festinantes maximè retardarent, et rotę curruum sępissimè frangerentur. Piscarius in agro maximum tormentorum, ne eo potiretur hostis, apud sancti Maximini oppidum defodit, eiusque rotas alijs curribus suppositit. Vbi verò ad Lucum oppidulum peruenit, Ogulius Gallus cum trecentis leuis armaturæ equitibus nouissimos est adortus. accessit et Sala Vasco cum duabus cohortibus, atque ita lacessendo premendoque magnum tumultum in postremo agmine miscebant, adeo vt Beurenus qui leuis armaturæ equitibus præerat, ęgrè sustineret, & ab Alfonso Vastio qui non longè aberat, opem postularet. Erat in ea planicie tumulus terrenus, quem iam cuncta Cæsarianorum agmina transiuerant. Vastius in insidijs duas turmas & cohortes quatuor collocat, monetque Beurenum, vt se cum simulatione timoris citra collem recipiat, se porrò si intemperantius Galli persequantur, erupturum repente ex insidijs, et impetū in intercluſos vndique facturum. Nec consilio defuit euentus: Ogulius enim et Sala Gallorum more alacriter et cupidè fugientes persecuti, in insidias inciderunt. Itaque Vastius præteruectos adoritur: conuertit se Beurenus consurgentibus vndique Hispanis: Galli equites Ogulio duce metu territi magna ex parte profugiunt: pedites verò deserti ab equitatu ac in medio circumuenti, capto Sala, ad vnum omnes conciduntur. Dum hęc fierent, Me-

morantius cui Rex perſequendi hoſtis cura attribuerat, cum ingenti equitatu in conſpectũ ſe dedit, veluti Ogulio dimicanti auxilio futurus. Is biduo ante Cęſarianos cõſequi potuerat, atq; eorum agmen perpetua vexatione demorari, ſi præſenti opera earum alarum quæ Longauillæ Reguli erant, & iam in Sextienſem agrum peruenerant, vti voluiſſet: ſed turmas proprias & ſibi notas longius à Cabillono euocare expectareque maluerat, qua mora opportunè interiecta, Cæſariani expeditius iter nacti, præter patentiora loca nullis affecti incommodis euaſerunt. Erant cum Memorantio clariſsimi duces Obegninus, Federicus Bozolus, Clietta, Floranges: quos vbi Borbonius eſt conſpicatus, inferri ſigna, et retro peditum agmina conuerti iuſsit. tantus enim ei viro ad cõſerendas manus ardor inerat, vt vel temere, modò ad manus peruenirет, ad multum ſpatium eſſet ſecuturus: iamque Gallis modico paſſu reflexo agmine abeuntibus, aliquantum temporis ad inanem ſpem conſequendi eſſet inſumptũ, niſi Piſcarius ſeueriſsimè reclamaſſet. Conuerſus enim ad Borbonium, quid à nobis inquit, magis hoſtes depoſcunt & exoptãt, quàm vt peditum agmina ab inſtituto itinere conuertamus, & in ipſos ſumma ſtolidita-te deferamur? an' non ipſi equites omnem peditum noſtrorum celeritatem, vel modicis paſſibus eludent? ſcilicet vt paulum diſtinendo noſtrum iter demorentur, & craſtina die adductis regijs copijs, quas obliquis itineribus, vt ſaltus præoccupent, appropinquare audiſtis, nos demum intercluſos & obſeſſos deleant: aut, quod morte ipſa durius foret, exutos armis, ingenti ludibrio ſub iugum tranſmittant. Hæc vbi palam eſt prolocutus, ſigno dato, cunctos qui acie exceſſerant, et contra hoſtes ire pergebant, ad agmina reuocauit, tanta feſtinandi adhibita celeritate, vt tormenta quæ deferre non poterant, multò ſubiecto igne conflaret atque perrumperet & metalli fruſta ſarcinarijs iumentis imponeret. Quum ad Loſarcum eſſet peruentũ, Piſcarius fit certior Germanorum manum in villa ſubſediſſe: neq; coactoribus agminum mouentib. vt cęteros aſſequerentur, parere velle: dicirco ad eos regreditˇ, hortatur vt ſe celeriter ad iter expediant: at quũ illi oſcitantes ſe viæ labore ac æſtu fatigatos ſimularent, nec dicto audientes eſſe vellent, eorum ſegnitiem ſeuerè caſtigandam exiſtimauit: multi enim ad Gallos tranſire certiore cum præmio & minore cum labore cupiebant, ad quos iam magnus Germanorum numerus confluxerat. itaque ædificijs ignes ſubiecit, repenteque multis combuſtis, reliquis iter capientibus, vel ignauiam eorum vel perfidiam opportunè vindicauit. Eo modo paucis diebus ad Nicæam eſt peruentum: neque quiſquam Gallorum Cæſariani agminis terga laceſsiuit. à Nicæa Piſcarius vt itinera expedirent, commeatus pararent, alpinos tramites temporarijs operibus ſeduló munirent, Mercadum præmiſit, & cum eo Villaturellum cum ſclopettarijs: tantaque diligentia & patientia militum iter eſt factum, vt cum omnibus ferè calcei deeſſent, ex recentibus iumentorum corijs attritos pedes communirent. Interea Franciſcus ad Aquas vſque Sextias promotis caſtris, Cæſarianos itinera infeſta atq; aſpera incredibili celeritate emetientes minimè perſequendos ratus, in Italiam magnis itineribus per Coctias & Pœninas alpes tranſire conſtituit, ſcilicet vt eos difficultate itinerum per conciſos calles, nullo præſertim inſtante hoſte retardatos, præcurrendo celeritate ſuperaret: præoccupataque Ciſalpina Gallia, quæ eſſet nudata præſidijs, feſſos demum è Liguria redeuntes

deuntes Padi tranſitu prohiberet. Ferunt, Franciſcum, quum id conſilium ſibi & toti Galliæ fatale ſuſciperet, nequaquam, vti conſueſſet, de re præſertim tanta, ſingulos duces conſuluiſſe, ſed decreto ſtatim in animum inducto, tantùm rogaſſe, vt expeditioni ſuſceptæ impigrè fauerent, cunctisque induſtrię militaris cogitationibus & adiumentis darent operam, vt propoſitas difficultates nauiter enitendo ſuperarent, quando pulcherrima omnium victoria, non multis opibus, non valida vi armorum, ſed vna tantùm celeritate peteretur. Edicta profectione, tantus fuit Gallorum ardor in apparandis ac expediendis ad iter rebus omnibus, vt inſigni ſtudio incitati Regis cupiditatem adæquarent: primaque agmina penè prius in Italiam tranſirent, quam quicquam de Regis conſilio motuque vel à magnis principibus omnino ſentiretur. Primus omnium Nicolaus Campanus antiſtes, qui componendę controuerſiæ cauſa ad Reges miſſus, à Cæſare redibat, in Gallia fuerat retentus, pernici tabellario de Franciſci tranſitu Clementem monuit. Cæterùm Piſcarius qui eadem de regis profectione petendæque Italiæ conſilio fuerat ſuſpicatus, die noctuque per aſpera ſaxa nihil intermiſsis itineribus in Albingaunos Ligures peruenit: atque inde per Finarium & Carniſſarium ſaltum, diuiſo exercitu ad Aquas Statiellas eſt peruentum. Inde ipſe vt de bello conſultaret, mutatis ad celeritatem iumentis, ad Lanoium (is enim ab Aſta Alexandriam atque inde mox Ticinum ſe receperat) contendit. Alfonſus verò Vaſtius, qui Maſsilienſi bello peditatus Imperium Cæſaris voluntate iudicioque ceperat, cum exercitu à Statiellis profectus, tantam peditibus vel perpetuo viginti trium dierum itinere defeſsis, maturandi neceſsitatem impoſuit, vt fluminibus vado ſuperatis, & ſublatis ferè omnibus naturæ deſideriis, quæ vel exiguam quietem requirerent, eodem die ſuperato Pado in ſpatio quadraginta quinque milliarium ad vrbem Ticinum peruenerit, ſingulari hercle totius exercitus felicitate: vt cum ſupra duodecim millia ſarcinariorum iumentorum traheret, nullum omnino militis impedimentum in tam longo infeſtoque itinere reliquerit. Hic eſt ille receptus nequaquam fugæ perſimilis, ſupra omnem militarium operum laudem, maximorum ducum iudicio celebratus: quo vno facinore vti ſummæ admirationis, Piſcarium gloriari ſolitum ferũt: quum alioquin de ſe loquendi parciſsimus, quæ laudẽ adferrent ſingulari modeſtia reticeret: quaſi eo tantùm gloriæ fructu foret contentus, qui præclarè conſcientię eſſet inſitus, nec in proprijs, ſed alienis in labris feliciter efflloreret.

LIBER QVINTVS.

FRANCISCVS ab Alpibus Taurinoque digreſſus ad Ticinum amnem tanta celeritate contendit, vt tormenta quæ Sfortiani ex arce Nouariæ detracta nauigijs impoſuerant, à Gallis in amne deprehenſa raperentur: miſitque caduceatorem antiquorum fecialium more cum liliata prætexta, qui Mediolanenſes ad deditionem hortaretur, & cum eo Michaelem Salaſſum Regulum cum

ala equitum: itemque Ludouicum Balbianum cum Insubrum exulum manu qui vrbis portas occuparent. Iam enim Franciscus Sfortia Cæsarianorum diligentię diffisus, communita arce, relictoque Mediolano trans Abduam ad Pisleonem se receperat. Hieronymusque Moronus qui consiliorum omnium erat arbiter ad populum concionatus, sacrmento ciues exoluerat, & vt perquã maturè se dederent Gallo Regi, ne frustra cunctando patriã in discrimen adducerent, veluti desperata defensione suadebat. Insubres enim ad paucos redacti erant, qꝑ nuper vastante vrbem atroci pestilentia, per agrum in villas ex summo vitæ periculo confugissent: nam paucissimis mensibus ad centum millia hominum ea lue absumpta ferebantur. Propterea neque possessionum fructus, vinaque præsertim non vno in loco, etiam tum pendente vindemia, in vrbem conuehi, neque agricolæ dissipati ac sibi vndique timentes ad opus muniendæ vrbis cogi poterant: & quod maximè intererat, imperandæ exigendæq; pecuniæ facultatem inopinatus tanti hostis aduentus celeritate præripere videbatur. Erant ob id multorum animi metu consternati: sed vigebant tamen præclara studia quorundam optimatium pariter ac infimæ plebis erga Sfortianum nomen, vociferarique iam cœperant noti ignotique homines non esse desperandum: sed Cæsarianos ad vrbis præsidium Ticino protinus euocandos, ne Galli sæui regnatores vrbe reciperentur, qui toties victi, & à mœnibus repulsi, tum demum, nequaquam ab iniusta ira cunctis, & Gibellinis prẽsertim extrema supplicia denunciarent. Itaque duces quum Ticini essent in consilio frequentib. nuncijs Mediolanum accersuntur: ob eamque rem, ne populi studio & tantis optimatium obtestationibus deesse videantur, eundum esse decernunt. Euocat etiam Franciscum Sfortiam Piscarius, oratque vehementer, vt neque suæ, neque publicæ causæ deesse velit: res fore incolumes demonstrat, si se Mediolanensibus ostentet. Sed is quum facilè obtemperaret et Mediolanum esset profecturus, in itinere didicit supra Binascum Gallicas turmas ex Casę Auratę vico excurrentes militarem viam occupasse, quo periculo admonitus substitit: & mox adeo properè nauigio Cremonam est deuectus, vt Cæsariani Lanoiusque præsertim non metu, sed occulto nutantis in fide animi consilio secessisse suspicarentur. Cæterùm relinquitur Ticini prẽsidio Antonius Leua, vir egregiè fortis & impiger. Is quum Hispanos secum quàm Germanos mallet, & contrà Piscarius dissereret Hispanorum cohortes per præsidia nequaquam esse diducendas, sed coniunctas in vnum inuictæ legionis corpus ad incertos belli exitus omnino retinendas, Antonius facilè assensit: Germanosque omnes cum quingentis Hispanis duabusque equitum alis Garcia Manrico duce retinuit. Præmittitur Mediolanum cum expedita manu equitum Alarco, qui ciuium animos confirmet. Ipsi demum duo Caroli Lanoius atque Borbonius cum Piscario subsequuntur. Quorũ aduentu nunciato Araldi atque tubicines Galli vrbe profugiunt. Salassus quoque cum suo atque exulum equitatu ab vrbe retro conuertitur. Quib. de causis Frãciscus de Salassi atq; exulum salute sollicitus, Paliciam quẽ Heluetijs præfecerat cum viginti cohortibus, atque item Ioannem Stuardum Albaniæ Regulum cum trecentis equitibus cataphractis subsidio mittit. Sed ij cum diuersa via noctu iter facerent ad lucem vsque pererrando nec se coniungere, nec maturè Mediolanum petere potuerunt: Albanius tamen ad

portam

portam peruenit. At Cæsariani duces qui singulari ciuium voluntate fuerant recepti, quum signa tantùm tulissent, eaque rari milites tantis fatigati laboribus sequerentur, adesset hostis cum ingenti exercitu, ad Laudem Pompeiam se recipere statuerunt. Quum Romana porta exirent, per Ticinensem & Vercellensem deiectis custodibus prima Gallorum agmina in vrbem se intulerunt. Tum verò milites rubra cruce signati cum Gallis qui candida notabantur, media in vrbe contẽdere, deferri per regiones, ipsi Mediolanenses suspensi nihil se commouere: porrò Cæsariani recipere sese iussi ad Romanam portam verti: Piscarius omnium postremus in tergo versari: temerè inuectos Gallos sæpe reprimere. eoque modo frustra persequentibus Gallis Laudem Pompeiam est peruentum. Ibi Piscarius reliquos milites quos pridie monuerat, vt à Ticino atque ea militari via quæ Binascum perducit, Laudem maturè deflecterent, incolumes recepit: quanquam eos Galli à Rosato vico progressi multis iumentis vetere præda onustis exuissent. Mediolano in potestatem redacto, & ciuibus benignè in fidem receptis, Franciscus ad Cassinum quinto ab vrbe lapide castra ponit. Mediolanensibus per literas magnam spem certę clementiæ atque humanitatis præbet: duces in consilium aduocat: omnium sententias exquirit, an præstet Ticinum oppugnare quàm Laudem. Disputatur in vtranque partem, sed Franciscus ad Ticinum vrgente fato defertur, Boniuetti & quorundam opinionem secutus, qui Germanos longæ & inutiles militiæ tædio affectos, oblata pecunia corrumpi facilè posse dictitabant: aut certè si obstinatè persisterent, eos demum grauissimi belli necessitate imposita, vti in summa auxiliorum & rerum omnium desperatione, deditionem esse facturos. Quibus Cæsari detractis, Hispanum leui armaturæ assuetum, suo certo statarij militis robore nudatum iri: proinde eum libenter accepta conditione Neapolim esse rediturum. Quòd si Laudem oppugnent, non esse dubitandum, quin vrbs exigua bis à Francisco Sfortia Bozoloque munita egregiè atque fortissimè ab acerrimis ac ingeniosissimis veteranis defendatur. Sed in eo Boniuettus & cæteri vehementer erant decepti: nam Piscarius Laudem repererat adeo ineptè munitam, & commeatu apparatuque rerum omnium egentem, vt confecto statim ponte pedites noctu Abduam transirent, & Castriotum tantùm cum ala equitum in speciem præsidij, qui motus hostium exploraret, relinquendum arbitraretur. Itaq; Franciscus Albanium, omnino hostium duces & Hispanos præsertim ad Laudem persequendos & tota mole exercitus oppugnandos esse prædicantem, misso Memorantio qui decreta deferret, ad se in castra Mediolano reuocat. At vbi Piscarius didicit, Regem ad Ticinum oppugnandum conuolasse, vtpote qui cuncta diuino iudicio longissimè prouidebat, Vicimus, inquit, milites, qui victi eramus, postquàm hostis præposteró innixus consilio, nos omittit, & Germanos oppugnat. Galli hercle quo maximè valent impetum amittent, & in longa atque hyberna obsidione vires hebetabunt, dũ cum fortissima et peruicacissima gente nequicquam luctãtur. porro è Germania nobis interim noui auxiliares aduenient: nec erit dubitandum quin si bellum trahatur, illud mox cum summa spe nobilissimæ victoriæ finiamus. Hæc ab ipso tanquam vero vate dicta sæpius fuisse, ab ijs qui consilijs interfuerant cum summa fide didicimus. Nec multò post Lanoio trans Abduam ad Soncinum cum equitatu concedente,

Borbonius in Germaniam vt à Ferdinando Cęſaris fratre auxilia peteret, pro fectus eſt. Ipſe Piſcarius Laudi pompeiq; cum peditatu ſubſtitit, intentus in omnes occaſiones, quibus Antonio Leuæ obſeſſo adeſſe poſſet, & Gallo regi, Tramulioque item, qui Mediolano præerat, maximè noceret. Poſita eſt vrbs Papa (ita à Longobardis Regibus tanquam admirabilis appellata, quum Ticinum de nomine profluentis antiquitùs vocaretur) in decliui ripa Ticini amnis, qui à meridie mœnia alluit, diductusque paulò ſupra vrbem, ne tota aquarum mole mœnibus incumbat, & mox haud magno circuitu ad alueum reductus, inſulam efficit hortorum fertilitate pernobilem. hanc vrbi coniungit pons lapideus eximij operis, perpetua contignatione aduerſus omnes cœli iniurias elegantiſsimè protectus: à Septentrionibus arcem habet inſigni ſtructura, & picturæ iucunditate celeberrimam, quæ ſepta ferarum & regiæ voluptatis viridaria latè proſpicit: ea in ſpacio ſexdecim milliarium ingentes ſyluas continent, opacaque nemora, & campos multis anniculis irriguos ad omnem culturæ varietatẽ, & ferarum paſtiones pulcherrimè diſtinctos. Ab occidente ſunt tẽpla Saluatoris & diui Lanfranchi, inter quæ Franciſcus caſtra poſuit. Ad eam verò partem quæ orientem Solem excipit perpetuus tumulus iuxta ſeptorum murum extenditur, in quo tria eminent templa: ſub læuâ eſt via militaris ad cauæ vallis ſimilitudinem depreſſa, quę Laudem perducit. hoc in loco Palicia caſtrametatus eſt. In inſulâ verò Memorantius traiecit, vt egreſſus à põte pręcideret. primo die in eum munitiones ad caput pontis promouentem Antonius Leua repentinus erupit. Sed commiſſa acriter tumultuaria pugna, & cadente eius ſignifero, dum regrederetur, conſilium ſumpſit abrumpendi pontis: atque ita extremo fornice pręciſo, hinc Antoniani atque illinc Galli, ad teli coniectum oppoſitas munitiones extruxerunt, & perpetuis ſtationibus confirmarunt. Memorantius molas frumentarias quæ erant ſecundum amnem robuſtioribus nauigijs impoſitæ, & tota vlteriore ripa cathenis ferreis alligatæ, directis tormentis perfregit, atque demerſit: turremque lateritiam in ſua ripa in qua Hiſpani excubabant poſitam contra naualia cum exitio defenſorum expugnauit. quo incommodo accepto, Antonius molas truſatiles vicatim parare, & in nobiliſsimo Gymnaſio ſapientiæ ſtudijs dicato piſtrina inſtituere coactus eſt. Memorantius quoq; paulo infra eam quam diximus turrem extra tormenti iactum alterum Ticino pontem impoſuit, vt ad mutuas ferendę opis opportunitates Palicianis caſtris iungeretur, ſicuti ſupra vrbem ab occaſu priore ponte Galli milites ad Regia caſtra pari commoditate permeabant. At Franciſcus vbi cuncta latè proſpexit, et diligenter explorauit, vndique terrorem Ticinenſibus propius admouendum ratus, producto tormentorum apparatu, & à ſuis, & à Paliciæ caſtris murum quatere cœpit. Antonius vti erat ingenio peracri, diligenti, inuicto, militibus non deerat, vt omnibus laboris & patientiæ exemplis ad vrbis defenſionem accenderentur. neque Antonio deerant Papienſes, per ſe Sfortiano nomini maximè dediti, & priuatis de cauſis etiam Gallis infenſi. Vniusque omnium Matthæi Beccariæ excellens ſtudium eminebat, is regnantibus Gallis, vti Gibellinę factionis princeps, per aliquot annos exul fuerat: ob id publicis priuatisque opibus non parcebat: hortabatur ciues, vt cætera omnia contemnerent, modò ſeſe & coniuges ac liberos à ſupplicijs & contumelijs tuerentur:

quando

quando nulla ſalus victis eſſet ſperanda, & nulla deditis ſpes ſalutis relinqueretur apud ſæuiſsimam gentem, quæ vel data fide ſuis commilitonibus tot prælijs & caſibus in Italia cęſis, vno maximè Papienſium ſanguine parentare percuperet. Quibus de cauſis non modò quiſque hoſpites ſuos Germanos pecunia egentes liberaliter alebat, ſed alacriter in muri defenſione atque opere verſabatur. Ita Antonius ſingulari Papienſium ſtudio vſus, Germanis incredibili perſeuerantia, die noctuque in opere & ſtatione verſantibus, tantas introrſus munitiones erexit, vt Galli quanquam proſtrata ingẽti mœnium parte, totis copijs murum inuadere non auderent: ſed tentata tantùm propugnaculi expugnatione, quod erat infra Perticariam portam cum cędemultorum, & in primis Amabilij Centurionis reiecti pellerentur. A' caſtris verò Regijs eodem puncto temporis vehementiſsimè quaſſata eſt quadrata turris, cui Mediæbarbæ nomen erat. ea vtrinque adactis tormentis ſumma vi ab ima parte quaſſata, et ad lineam exciſa eſt. Sed dum corruit, incredibili caſu adeo aptè in frontem prolapſa decubuit, vt quæ ingenti ruina patefacto aditu ingreſſuris Gallis nudare locum debebat, tanta opportunitate præſepſerit, vt cuncti novam ac inſperatam munitionem non ſine tutelarium numinum præſenti ope repente enatam, & appoſitam mirarentur. Ita Franciſcus vbi vno atque altero conatu nihil ſe tormentis proficere poſſe animaduertit, & fortè Longauilla Regulus regij ſanguinis adoleſcens dum incautè ad vineas verſaretur, minore tormento eſſet interfectus, aliud magnæ molis & perdifficile conſilium deſumpſit, Ticini amnis ſcilicet à mœnibus auertendi, vt eo, ſupra inſulæ caput, vbi veluti roſtro diffinditur, in Graualonem deriuato, per ſiccatum demum alueum, promotis tormentis & copijs vrbem aggrederetur. Erat enim ab ea parte murus ad ingentem tractum per ſe debilis & ſimplex vetuſti operis, & ob id etiam maximè neglectus, quòd vrbs ipſa præterfluente amne, nullo alio quàm eo loco munitior eſſe videbatur. Sed magna ad opus conducta hominum multitudine, quum ſublicis phalangis in vado defixis, atque his perpetua cratium ſerie intertextis, non aduerſa ſed obliquę fronte aquam à Ticino ſenſim intercipere, & directis linteis telis, quas ab imo inſutum plũbum diſtendebat, in depreſsiorem Graualonis alueum deriuare contenderent: amnis autumnalibus pluuijs inflatus facilè diſſectis operibus hominum ingenia ſuperauit, ita vt libratores et aquileges dum mirificę artis inſtrumenta picturis & modulis oſtentando ingenioſi Regis animũ oblectant, omnem ſpem conſilij militaris eluſerint. Fuere qui exiſtimarent, Franciſcum nequaq; operis difficultate deterritũ, quã magnis hercle opib. & pertinaci cõſilio planè peruiciſſet, ſed euidenti periculo adductũ ab incœpto deſtitiſſe, ne Antoniani vbi ſiccatũ alueum ſtatim vidiſſent, totis copijs eruptione facta ad opprimẽdas Memorantij copias peruolarent. quib. difficillima ratione nec maturè quidem ſuccurri poterat, quum à Regijs & à Palicianis caſtris ſingulis tantùm in multa diſtantia pontibus inſula peteretur. Interea Clemens pontifex & Veneti cum Franciſco certo fœdere coniunguntur. ſiquidem magnopere metuebant, ne ingentis animi Rex tantis innixus opibus, ſi Ticino potiretur, infeſto demum exercitu veteres iniurias opportunè vindicaret. Ex aduerſo etiam in Cæſarem multorum ſtudia refrixerant. cunctatius enim

Cæſar quàm oporteret, ad promerendas omnium voluntates, cum Franciſco Sfortia agere videbatur: quippe qui nondum codicillos tot legationib. effla-gitatos ei tradiderat, quib. auguſtali poteſtate adiudicati Mediolanenſis im-perij iura petebantur. Quamobrem in ſuſpicioſorum animos cæca, nec aliena ab vſu rerum opinio, non inanibus coniecturis irrepſiſſe videbatur, Cæſarem quum vndique victor foret, eiecto Sfortia Ciſalpinę Gallię principatum pro tinus arrepturum, vt inde duorum demum Regnorum opibus fretus, totius Italiæ imperio potiretur: id etiam Itali principes iniquo animo maximè fere-bant, quòd Cæſariani duces poſt exactos Gallos pace parta, impotenti demũ cupiditate, & planè ſuperba inſolentique audacia inducti, tantulis copijs Gal liæ regnum inuadere auſi fuiſſent, vt exagitatis domi Gallis, atque his pro ſa-lute ad arma excitis, et in Italiam pertractis, conſtitutæ pacis ocium perturba-rent. Non enim eos pro ſocijs, & fœderatis haberi coliq́ue debere dictitabant, qui bella ex bellis ſererent, pacem pati non poſſent, nec vlla conditione quieti eſſe vellent, vt prętextu belli, prouinciarum populationibus alerentur. Si ex-ternos dominos fatali Inſubrum miſeria pati neceſſe foret, præſtare Gallos re cipi quàm Hiſpanos, quando illi Ciſalpinam Galliam vti ſuam regionem ac alteram veluti patriam tueri, & fœcundam maximeq́; florentem efficere con-ſueuiſſent: ſecus ac Hiſpani qui tanquam alienam terram, quam eſſent relictu ri, omnibus auaritiæ & crudelitatis exemplis vexarent, atque diriperent. Po-ſtulabat Rex Gallus à Pontifice, Venetoq́ue Senatu, vt neutri parti adeſſe vel lent: ſpectatores tantùm eſſent, nec tamen commeatus impedirent: ipſum per ſe daturum operam, vt nullius ope ad ſuperandos hoſtes indigeret, ſi illi pari-ter à nemine vlla in re iuuarentur. quæ conditio ſicuti in præſens pulcherri-ma tanquam ſpecie maximè vtilis et tuta Pontifici & Venetis mirè placebat: ita demum dijudicata belli Fortuna, in eo triſti rerum exitu, damnoſa & exi-tiali fuit. Miſerat Clemens ad Franciſcum, & ad Cæſarianos duces, Giber-tum Veronenſem Antiſtitem, qui ſummorum conſiliorum erat arbiter: atq; item Nicolaum Antiſtitem Campanum, qui ab Hiſpania, Galliaq́; redierat: ille Gallis impensè fauere, hic Cęſarianis operam præſtare dicebantur: quan-quam ambo ſummę fidei ſummęq́ue virtutis homines, nihil magis quàm Cle mentis nutus rectiſsima voluntate ſequerentur. Exiſtimabat enim Clemens pacem cum vtraq; parte per idoneos ac amiciſsimos oratores eſſe pertractan-dam, vt ipſe tanquam ex æquo arbiter, quæ petebat, mollius atque facilius impetraret. Inſtabat itaque vt inducię fierent: interim eas vrbes vterque te-neret, quas ab initio belli cepiſſet, aut antea poſſediſſet. Id Franciſcus Sfortia minimè probabat. Nec etiam de Ticino vrbe conuenire poterant, quum Cæſariani qui auxilia propediem expectabant, nihil concedendum arbitra-rentur: nec Franciſcus ſuæ dignitatis eſſe putaret, ab ea vrbe diſcedere, qua ſe omnium potiturum ſperaret. Ita abrupta ſpe concordiæ Gibertus Romam redit. Franciſcus verò poſtq̃ aperta vis minimè proceſſerat, & inopia tormen tarij pulueris pilarumq́ue maximè laborabat, ad obſidendam vrbem conuer titur, ratus Germanos rerum omnium, in dies creſcente penuria, quin ho-neſta accepta conditione domum diſcederent, nequaquam diutius obſi-dionem eſſe toleraturos. neque enim deerant, qui occultè Gallis fauendo Centuriones pecunia corrumpere conarentur; duosq́ue milites Hiſpanum

alterum,

alterum,& alterum Germanum, qui perfidiæ ſcelus de prodenda loci cuſtodia conceperant,deprehẽſos Antonius Leua ſupplicio affecerat, et pœna proditorum in fruſta diſcerpſerat. Fuere etiam qui dicerent Azornium Regulum Germanorum ducem prodendæ vrbis conſilium animo agitaſſe, pellectum ſcilicet magnis muneribus à Rege vt id perficeret: ſed eum ab Antonio fuiſſe præuentum: qui quum non obſcuris indicijs eius rei veſtigia deprehendiſſet,hominem ſummæ authoritatis ad epulas inuitatum veneno ſuſtulerit. Azornio certè vel inſonti ea Antonij cœna omnium fuit ſuprema: verùm de ea re,vti falſa vel turpi, Antonius nullam vnquam poſtea laudem quæſiuit, ſed repentinæ mortis cauſam in vinum liberalius hauſtum reiecit. Erat Antonius ad magnas rei numariæ difficultates redactus. & quoniam ſubueniendum erat egeno militi,poſtquam ciues fermè omnes tantis etiam affectos detrimentis pecunia penitus exhauſiſſet,ex templis donaria detraxerat:amplioraque ex vſu victoriæ Dijs pollicitus,ea conflata,monetæ rudis demum nota percuſſerat: emiſsisque crebro nuncijs pecuniam à Piſcario vehementiſsimè flagitabat. Intromittendæ verò pecuniæ quum nulla omnino via,portis ab hoſtium cuſtodia præſeptis oſtenderetur,modum Piſcarius inuenit,quo militum animos Antonius vel inclinatos ad deditionem,opportunè confirmaret. Transfugerant ad Regem veterani duo milites Hiſpani Ciſnerius atque Romerius ſupplicium veriti,quoniam inimicum notum militem in caſtris interfeciſſent.hos Piſcarius per idoneos homines perpulit, vt eius homicidij noxam inſigni facinore ad certum nauatæ operæ præmium expiarent: credebat transfugis Rex Gallus quos liberaliter ſuſceperat,quum ex captiuis eos perpetrata cæde ſupplicium effugiſſe didiciſſet. ergo illi accepta fide, Piſcario operam pollicentur: & ex nocturna excurſione ad præſtitutum locum à Piſcarianis aurum accipiunt. id tunicis inſutum occultant: & poſtridie,quum à Ticinenſibus porta egreſsis quotidiana exercitatione certaretur, ad pugnę locum procurrunt: ſeſe ſigno dato Ticinenſibus permiſcent, & intra portam cum mutua lætitia recipiuntur. Horum beneficio Antonius ſingulos aureos numos ſingulis Germanis militibus diuiſit: addiditque peramplis promiſsis, auxilia breui ex Germania in Italiam peruentura: quibus nuncijs quum falſa veris abundè permiſceret,milites ſolito alacriores ad ferenda obſidionis incõmoda reddebãtur.Per eos dies Piſcarius,quum adeſſet Gibertus qui de inducijs mandata detulerat, didicit per exploratores Hieronymum Triuultium cum ala Gallica, qui ex Circumabduanis locis rem frumentariam expediret, Moltio in oppido conſidere:confiſumq; loci munitioni,& ſtudio oppidanõrum nihil ab hoſte vereri. Itaq; occaſione vtendum ratus,vt præſente legato Hiſpanis militibus, neq; manus, neq; animos obtorpuiſſe ad præclarè audendum oſtenderet, vrbis portas concludi, & intenta cuſtodia nequis omnino rem efferre poſsit, obſeruari iubet: communicatoque cum paucis conſilio de prima vigilia linteatas cohortes vti noctu conſueuerat, educit: brumalique nocte confecto quindecim milium itinere, ante auroram ad oppidi foſſas peruenit. Vigiles qui in muro erant, quum crebros igniculos ex ſclopettariorum funiculis ſcintillantes à longè conſpicerent, primò rati eſſe volantia inſecta quæ cicindelæ vocantur, Hieronymo rem ſerius ſignificant. Verùm vbi continens agmen apparuit,id renunciant,& toto muro ad arma conclamatur.

Tum verò Piſcarius ad Vaſtium conuerſus: poſtquam aduenimus (inquit) omnino nobis vel reſiſtente hoſte in oppidum eſt euolandum: ſuperate foſſam, & per ſcalas haſtasque conſcendite: ego ab aduerſa porta, ne vnus quidem effugiat, vias obſidebo. Nec mora, in foſſas prçaltas plenas aqua ſe demittunt: ſclopettarij muri coronam crebris ictibus infeſtam reddunt, ne defenſores in ea conſiſtant. Quum Vaſtius ipſe corpore ingens vix ſummo pectore ab aquis extaret, confertæ cohortes certatim ſe demittunt & enatant: pauci ſcalis, plures fraxineis innixi haſtis, & ſubleuati ſuccedentium humeris in murum euadunt, cùm vigilibus deiectis in forum eſſet peruentum, Hieronymus cum paucis è porticu ſine galea erumpit. cum eo Vaſtius vti erat ante primos ſingulari certamine congreditur, adactaque in frontem lancea, ab equo deturbat. in eoque tumultu ſerò nomen profitenti dextra manus deciditur, quibus affectus vulneribus, paulò poſt interijt. Cæteri equites paucis vulneratis capiuntur, oppidumque ſingulari feſtinatione diripitur: nec pluſquam ſeſquihoram Piſcarius quietis & moræ militi concedit. atque ita quum à propinquis Gallis, qui erant in præſidijs oppidorum cauendum putaret, adhibita celeritate Laudem reuertitur. Ea res tam breui ſpatio brumalis diei, per lutulenta itinera à pedite confecta, Gallos vti in pari diſcrimine per vicina oppida diſperſos, vt vigilantius agerent admonuit, vehementerq; conterruit. At Franciſcus vbi Cçſarianos duces ab inducijs atque concordia penitus abhorrere, et è Germania legiones expectare comperiſſet, ſimulque indies certior fieret, obſeſſos non modò frumento vinoque abundare, ſed ſçpe ad omnem vel profundç pacis, ciborũ copiam atque luxuriem epulari, cum valida exercitus parte Albanio duce Neapolitanum regnum inuadere conſtituit, ratus Hiſpanos ad defendendum Italici imperij caput, vbi pleriq; eorum liberos, vxores, domos prædiaque haberent, continuò relicta Gallia Ciſalpina, Neapolim eſſe reuerſuros. Placebat hoc Pontifici & Venetis, vt eo timore iniecto Cæſarianos ad inducias compellerent. Sed nequaquam is erat Italis animus, vt Gallus Neapolitano regno potiretur: vtpote qui opes Italiç libramento quodam exæquare percuperent, ſummam in vno rege potentiam magnoperè formidantes. Nam ſicuti Hiſpanis Mediolanenſe imperium arripientibus, totius Italiç libertas omnium iudicio conclamata videbat: ita ſi Galli nudatum omni prçſidio regnum, Andegauenſib. regulis id maximè optantibus intrarent, nemini dubium erat, quin mox, vti paucis antè annis acciderat, immodicç & ſuperbæ genti foret ſeruiendum. Itaq; pontifex hiſdem de pace conſilijs incumbẽs, Albanium, qui cum Gallico exercitu per Calphurnianos ſaltus à Rhegio Lepidi in Etruriam deſcenderat, Lucenſibusq; & Senenſib. pecuniam, commeatus, tormentaq; & eorum vecturas paſsim imperat, Romæ recipit: ita tñ vt eius impetum quantis maximè poſſet in Cæſarem officijs nequaq̃ offenſa Galli regis amicitia retardaret, ſcilicet, vt Cçſariani imminenti periculo adducti ad eas quas antea repudiaſſent inducíarum & pacis conditiones recurrere cogerent. Interea Borbonius quem in Germaniam profectum diximus, paucis diebus magni roboris auxilia coegit. Neq; enim liberæ ciuitates, quæ Auguſto nomini parent, Cæſari deerant: neq; quiſquam Regulorum Ferdinando Cæſaris fratre in delectib. habendis ornandisq; militibus alacrior & ſumptuoſior erat. à liberis autem fœderatisq; populis miſſus eſt Georgius Franiſpergus

ſpergus cũ viginti cohortibus. Ferdinandi verò copijs præfuit Marcus Sithius clari nominis dux, & Italiæ præſertim bellis aſſuetus. Nicolaus quoque Salma è Norico excellenti virtute regulus, duorum ferè millium equitũ alas adduxit, non robore modò virorum, ſed equorũ et armorũ ſpecie inſignes. Veneti qui ijs legibus cum Gallo Rege in amicitiam redierant, vt Cęſari nihil nocerent, Germanis tranſeuntibus expedita itinera & commeatus abundè præbuerunt: atque ita Borbonius media hyeme, maxima omnium cum lætitia Laudem Pompeiam peruenit. Nec ſegniter à Franciſco poſtquam deſperatis inducijs rem ad vim ſpectare prouidebat, maiora indies præſidia parabantur partim ex Heluetijs atque Griſonis: partim ex Sedunis atque Valeſijs, qui ad Graias alpes pertinent: ſuppleri etiam Italicas cohortes, atque alas refici iubebat. conduxeratq; item Ludouicum Palauicinũ, qui Circumpadanos cõmeatus interciperet, qui à Franciſco Sfortia ad Cęſarianos mittebant. Sed eum temerè tranſgreſſum amnem ad Caſale oppidũ Sfortiani duce Alexãdro Bentiuolo, fuſis eius copijs viuum ceperunt. contrà verò bellicis caſibus illudente Fortuna par vulnus, & nobilitate ducis aliquanto grauius in Liguria Cæſarianis eſt inflictum. Gerebãt Galli bellum duce Salaſſio regulo aduerſus Genuenſes, Sauonamque valida claſſe & firmis præſidijs obtinebant. præfecti claſsium Vgo Moncata & Andreas Auria intenti in omnes occaſiones aderant. fortè per exploratores ad Vgonem defertur, Gallicas cohortes in Varagio oppido ſoluta ſtatione deſidere (id eſt oppidum citra Sauonam ad mare poſitum debili cinctum muro) eas cohortes Vgo ſe facilè opprimere poſſe exiſtimans, vt erat conſilio repentinus noctu triremes Hiſpanicis cohortibus ſilentio complet, è Genuæ portu de ſecunda vigilia educit, & ad Varagium adhibita celeritate, oriente Sole peruenit. Sed dum milites in terram exponuntur, & arduo aſcenſu oppidum circumeunt, Varagiani ad arma conclamant. Interim aduerſus ſuboritur ventus: Trierarchi triremes expediunt: Vgo cum cohortib. in littore deſeritur. erant in præſidio Simon Tibaldeus Romanus, & Gigantes Corſus eximiæ fortitudinis cohortium præfecti; ij capto repente conſilio, haud longa oratione milites cohortati, adaperta porta ſub ſignis erumpunt: nec Cęſariani eorum impetum ſuſtinent, vtpote quib. abrepta in altũ claſſe, & erepta ſpe fugę, animi repente conciderant. Ita Vgo inops conſilij dum fuſis diſſipatisq; militibus fruſtra repugnare contendit, ſine vulnere capitur. Superuenere etiam Aurianæ triremes, quæ fortuna terra marique feliciter aſpirante Cęſarianã claſſem in fugam dederunt. Ea victoria Franciſcus ſingulari lætitia eſt affectus: quoniã in ſpem veniebat Liguſtici belli màturè conficiendi, vt inde mox Salaſſum cum delectis cohortib. ad ſe Ticinum in caſtra reuocaret. Germanorum etenim aduentus fama ingẽs diſperſa per Italiam, de obtinenda Vrbe, ſpes atq; animos Gallis ſenſim minuebat, quũ ex aduerſo Cęſarianis vehementer augeret. Per eos quoque dies Antonius Leua Sedunos, qui ab Occidente in ſuburbanis ędificijs nequaq̃ militari diligentia ſtationem habebant, eruptione facta fuerat adortus: multisq; cæſis & captis, cæteris fugatis, Paulum Syluam eorum ducem inde pepulerat. Quib. de cauſis Clemens pontifex de belli euẽtu maximè timere cogebatur: exiſtimabatq; metum Cęſarianis propius admouẽdum, vt de inducijs impetraret, quod antea poſtulaſſet. Ad ipſius etenim dignitatẽ, qui ad ęquitatis & pietatis nomen

Sacroſanctę authoritati innitebatur, maximè pertinebat, vt vtrique ab armis diſcederent, ipſo diſceptatore atque arbitro controuerſiam componerent: vt ea arma quibus adeo funeſtè inter ſe deſeuirent, aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes verterentur. Sed ante omnia pulchrum erat atq; magnificum ſolo con ſilio, nulla impenſa, Italorum omnium libertati præcauiſſe: ne ſi bellum Mar te iudice victoria finiretur, qui ſuperior euaderet victricib. innixus copijs, vi ctoria & Fortuna vtendum arbitraretur ad perdomandos reliquos hoſtes, ſubigendamq; Italiam: quæ affecta viribus, & diſſociatis principum animis, haud dubiè in præmium laboris atque periculi victoribus ceſſura videretur. Sed Clemens alioqui ab inueterata prudentia circumſpectus, dum fatali quo dam errore inductus neutri parti nocere velle vult videri, vtrunq; tacito ſen ſu vehementer offendens, ſibi ac toti Italiæ graue & planè funeſtum bellum peperit. Erant plerique ex amicorum & familiarium numero, qui recta qua dam ingenij libertate ſuadebant, vt Placentię iuſtum exercitum pararet, con ſilia & vires cum Veneto ad id maximè parato, opportunè commiſceret: vt qui inermis dum pacis conditiones armatis proponit, eſſet deſpectus, vim de mum haberet ad compellendum, ſi Cæſariani vel rex ipſe ab inducijs atque concordia pertinacius atque inſolentius abhorrerent. Quid enim Italo prin cipe, atque eo præſertim qui ſummæ pietatis atque prudentiæ perſonam ſu ſtineret, tutius ac honeſtius eſſe poterat, quàm parato exercitu firmiſsima vti authoritate: & denunciato vtrique periculo, in eum qui abnueret, diuinis ac humanis armis deferri? atque inde præclariſsimo facto, in Italia pacem atque ocium pararet? ſed fata obſtabant, ne pontifex ea conſilia plena ſecuritatis & laudis protinus expediret, vt ab his mox peccatis ac erroribus noſtro merito diuina humanaq; omnia perderentur. Bellici nanque ſumptus qui exhauſto ærario impenderent, à conſcribendis copijs pontificem maximè deterrebant natura tenacem, & pecuniæ nunquam profuſum, temperantia & cunctatio tione gaudentem, & ex alienis rerum ſucceſsibus conſilia ſua expendere ſoli tum. Quæ artes ſicuti dignæ erant ſancto moderatoque pontifice, qui pecu liari ſtudio veterum more ſacra procuraret, ita ei importunæ, ac exitiales eſſe videbantur, qui generoſo fortique conſilio ad ſalutem omnium excubare vel let, vt Italia validiſsimarum gentium pertinacibus armis vexata ab imminen ti interitu incolumis & libera ſeruaretur. Igitur Clemens cum pro Cæſare ani mus eſſet in officio, & Franciſci, Gallorumque item res ſaluas & florentes eſſe cuperet, vt medium ſe gerere videretur, Albanium monuit, vt ex Romano agro per Sabinos in regni fines maturaret: ſcilicet vt eo metu territi Neapoli tani, qui omni militari præſidio nudati erant, ad defendendam omnium ſalu tem, è caſtris copiarum partem euocarent. Iam Albanius ad Eretum, exercitu Tiberim põte traducto, ſeſe in Aquilanorum fines inſinuare cœperat: & Ren tius Ceres ex his oppidis, quæ Gallis fauebant, cohortes conſcripſerat, totiuſ que Vrſinæ factionis clientelas ad arma ex Spoletinis agris commouebat. Quo timore adductus ſenatus Neapolitanus, ducibus & Carolo Lanoio in primis, in caſtra perſcripſit, Albanium cum iuſto exercitu regni finibus ap propinquare: excitari paſsim in prouincia Præcutina, Aquilæque præſertim, vetera Andegauenſium ſtudia: defecturos eſſe populos, ipſamque Neapolim hoſti ceſſuram, ni maturè ſubueniant, quando omnia hoſti aperta & expoſita videantur.

videantur. Non esse cur prepostera belli ratione vti velint & prius aliena quę-rere quàm propria tueri contendant: quid enim peruersius & stultius, quàm procul à domo contra totius Italiæ consensum de alieno imperio dimicare? vt interim ab insana animorum obstinatione id regnum quod verè ipsorum sit, & Cæsaris proprium, celeriter amittatur? falli ipsos, aperteque decipi, si sperarent post partam de Gallo Rege victoriam, quę esset incerta & in lubrica Fortunæ manu posita, in tempore perditis propè rebus opem ferre: proinde desinerent cunctari, vnumque succurrendi, maturandique consilium susci-perent, si saluam Cæsari Neapolim esse vellent. His literis Lanoius magnoperè commotus sibi in regnum omnino properandum esse censebat, cum equita-tu præsertim Neapolitano, & expeditis Hispanorum Germanorumque co-hortibus. Erat enim de salute regni, quod eius curæ à Cæsare peculiari mune-re fuerat demandatum, magnoperè sollicitus. Porrò Piscarius veluti iam ex-plorata victoria elatæ grauitatis & diuinæ prudentiæ plenus, hominis tan-quam importuni, & nimium de belli summa diffidentis consilium vehemen-tissimè reprehendere: contestarique res fore perditas, & magnis rationibus in consilio demonstrare, nihil esse periculosius ac alienius à tota belli ratione, quàm si bipartito exercitu, diuisis viribus, dimidiataque spe iam conceptę vi-ctoriæ, duobus simul grauissimis bellis occurrant. Quod maius inquit, bene-ficium Rex Gallus à nobis tanquam ab insanis ducibus poterit expectare, q̄p vt, dum tu Lanoie Carole decerpto omni flore militum, & veterano equita-tu abducto, Albanium media hyeme per totam Italiæ longitudinem conse-ctaris, nos hîc inter ambiguas veterum sociorum volūtates equestri præsidio nudati, & (quod me plurimū angit) demptoroborehominum cum infirmis ac eneruatis legionibus relinquamur? Vincet hercle vbique Rex Gallus, si semel hîc vicerit. nam eò rem, vt video, fortuna deduxit, vt vno mox prælio decernatur, vtrum Cæsar, an Gallus Italiæ leges sit daturus, proinde totis ani mis ac viribus in vnam conserendæ pugnæ occasionem incumbendum esse arbitror, vt tot superiores victorias, quas de hac gente semper tulimus, vno veluti extremo virtutis opere edito, cōfirmemus. Nec dubito postquam non modò numero pares hostibus videmur, sed disciplina recentique hoc & pla-nè inuicto militum robore superiores sumus, quin audendo, & sicuti hacte-nus semper fecimus, fortiter pugnando, aut de cæso Rege superba spolia, aut quod malim, de eo vi capto nobilem triumphum Cæsari referamus. Irrum-pat interim, dum nos hîc vincimus, vt lubet Albanius in Aquilanū agrum, & Interamnates ac Pelignos currat, quem pontifex suspenso studio tantum abest, vt progredi & regno potiri velit, vt eum iniectis morę causis passim re-tentet, scilicet ne spem pacis corrumpat, si à Gallis celeri feliciqueque succesu Nea polis occupetur. Ergo si sapimus omnium iudicio decretum esse debet, vt hinc castra moueamus, & contra Regem coactis in vnum copijs signa profe-rantur. Ille ædepol, aut metu cedet, & cum infamia Ticinum vltro obsidione liberabit, aut certè si obsidere perseueret, iniquissima conditione ancipiti di-stractus cura cum duplici hoste summum dignitatis atque salutis periculum subibit. hanc Piscarij sententiam ipse ante omnes Borbonius maximè proba-uit, nec contrà à Lanoio disputatum est, vtpote qui dempta omni solicitudi-ne, metuque depulso, ea Piscarij oratione alacrior factus esse videbatur. Hęre-

bat tamen Lanoius ac dicebat, se de militum voluntate magnoperè dubitare: quoniam rumor enatus esset in castris, prefectos cohortium signa ex hybernis non prius moturos, quàm militibus vna atq; altera stipendia soluerentur. Erat enim apud duces summa pecuniæ inopia, quòd eam Sfortia tot incommodis circumuentus suppeditare nequiret, & milites quum gratuitò Cremonensis & Laudensis agri copijs alerentur, si propius hostes accederent, commeatus sibi defuturos putabant. Quem enim adeo stultum mercatorem & calonem erant inuenturi necessaria cibaria deferentem ad eos milites, qui rapto viuere magna ex parte essent assueti, nec aliunde pecuniam expectarent? per eos etiam dies acciderat, vt quum Pontifex qui Cæsari ex animo deesse nõ poterat, pecuniam ad Lanoium mitteret: eam Federici Bozoli equites, re per speculatores cognita ad Fidentiolam Placentini agri interciperẽt, & iam Germani stipendium, quod domo discedentes acceperant, consumpsisse dicebantur. equitatus etiam veteranus adeò insigni contumacia sibi debita non mensium modò, sed annorum stipendia flagitabat, vt dicto audiens nequaquam futurus esse videretur. Quib. rerum difficultatibus, quum Piscarius, cùm Lanoij tum quorundam togatorum qui consilijs intererant animos vehementer angi perspiceret, Desinite, inquit, timere, & hoc totum negocium deredimenda militum voluntate mihi vni relinquite. Spero enim, milites vti veri decoris & laudis auidos decet, qui mihi semper fidelem promptamque operam tot asperis prælijs præstiterunt, hoc bello, in paranda insigni victoria neque Cæsari omnino defuturos. Atque ita dimisso consilio ad Hispanos contendit, eosque aduocata concione hortatus est, vt eo animo esse vellent, quo antea semper fuissent, hoc est, egregio, ingenti, inuicto. Auditas etenim esse voces quorundam lixarum potius quàm militum, qui dicerent, Hispanos nisi accepto duplici stipendio, non esse vexilla promoturos: eam rem fortissimorũ hominum nomine indignam, ita se vti falsam in consilio diluisse, vt præclarè etiam receperit, cohortes optima spe ad paratam victoriam anhelantes non modò mansuras in officio, sed cuncta vel iniquissima ad nutum militaris imperij, alacri animo subituras. hoc se de ipsis facilè esse pollicitum, quoniam planè sciret, Hispanos non mercenariorum militum more, vti operarios, stipendia facere, sed pro gloria, pro imperio, pro triumphis, pro dignitate pugnari solitos. Quid enim inanius & importunius quàm à ducibus obæratis & egentibus stipendia postulare? Quasi ærario præsint, & non eis multo plura ac ampliora quàm militi Cæsar debeat: qui tametsi procul absit ab Italia, animos suorum tamen intueatur, quibus ex merito, non multò post cumulatam gratiam sit relaturus. Postremò quid flagitiosius ac insolentius videri, quàm consternatis fœda opinione animos, stipendia in ipso speratæ victoriæ limine flagitare? debere ipsos meminisse, qua spe animi, quo corporis cultu ab Hispanijs aduenerint. In quam demum & opum & honorum, & nominis amplitudinem ante omnia, inopiam fortiter ferendo, ac impigrè parẽdo peruenerint: non enim petulantia, alienatione, stultitiaque esse prouectos: neq; tantas victorias corporis virtute potius quàm animi patientia fuisse consecutos. Proinde secum intenti in ipsum illud pristinæ virtutis decus ad capessendam victoriam animos confirmarent: inuidiam enim, quæ ex felici rerum successu creuerit, omnino esse noua quæsita laude superandam. An etiam ipsos

ignorare,

ignorare, quòd non in Italia modò, verùm & in Africa, illaque penitus ad occasum reposta India pugnacissimarum gẽtium victores euaserint? tantum odiorum vndique esse contractum, vt non plus soli ad salutem libertatemque teneant, q̃ quantum armati vestigijs calcarent, adeo infensos esse omnium animos? Propterea vt sibi tutum atq; præpingue ocium pararent, extremo conatu adniterentur: fore etenim vt superiorum bellorum decora, vnius clarissimi prælij opima victoria penitus obscuraret: non enim siue decus, siue prædam respicerent, omnium Europæ Regum longè opulentissimum cum obscuris aut certè parum illustribus ducibus, quos antea deuicerint, esse comparandum. Quum hunc in modum summa grauitate peroraret, alacri inter milites fremitu exorto, à tota concione conclamatum est, ne de ipsorum voluntate quicquam dubitaret: sed extemplo, quò vellet, signa verteret: se enim continuò secuturos: quando ipso duce, nihil sibi vel in summa rerum difficultate defuturum sperarent, agere se demum gratias quòd tale de singulis iudicium fecisset, & suscepta causa, vti ducem parentemque decuit, vniuersos interposita fide turpissimi flagitij calumnia liberasset. Tum verò Piscarius Hispanis præclarè fauentibus, cohortium præfectos, centuriones atque signiferos ad Germanicas legiones adduxit, vt surdæ feræque eorum mentes extemplo vincerentur: dictitabant enim Hispani, se æquo animo stipendij dilationem esse passuros, vt cõmilitones Germanos, qui Ticini essent, perquam maturè teterrima obsidione liberarent, proinde existimare, legiones non pari modo alacritate, sed ardentiore etiã studio secum venturas, vt consanguineis & fratribus summo periculo implicitis opem ferant, & concordibus animis pugnando pulcherrima victoria potiantur. Ea comitas Hispanorum cum singulari studio belli gerendi coniuncta Gergio imprimis Franispergo mirè placuit: habebat enim Ticini filium nomine Gasparem, Azornio mortuo inter paucos duces non minus sua excellenti virtute, q̃ paterna gloria florentem: huius de salute vehementer sollicitus, alios minores duces & signiferos interrogabat, an fide, studio et alacritate pugnandi ab Hispanis vinci vellent, qui vnam propè quærendæ bellicæ laudis causam sequerentur, quum ipsi Germani præter decus necessitatis etiam & pudoris stimulis incitari deberent, ne tot millia fratrum & commilitonum, cum infamia Germanicæ gentis, inedia absumerentur? illos non esse fallendos, qui in fortibus ipsorum aduentantium dextris summam spem reposuerint, & in posterum singulos qui opem afferrent, vti salutis & vitæ seruatores in cœlum laudibus essent elaturi. Concionantem Franispergum plerique insignes Centuriones varijs & amicitiæ & sanguinis necessitudinibus cum obsessis coniuncti lata manu vt insigne studium significarent, alacriter adiuuabant. Piscarius per interpretes, ex victoria summa præmia pollicendo, integras legiones accendebat. Italicæ quoque cohortes, tametsi ipsis multo plura stipendia debebantur, se Piscarij nutum sequi paratas esse, neque animi liberalitate à quoquam vinci velle profitebantur. Ita contra spem omnium cum summa laude Piscarij non sedatis modò, sed vehementissimè incensis militum animis ad equites est discursum. Hispanicus equitatus quin fidei & laudi satisfaceret, durior est inuentus. Nam quum cataphractorum equitum segnis & stataria opera superioribus bellis extitisset: iamq; Piscarius antiquæ more militiæ, cuncta aspera per pedites ag-

gredi,& equitum leuis armaturæ opera vti eſſet ſolitus, vix ſeneſcentis cataphractorum nominis famam in agmine ſuſtinebant: ita vt pedites cum his ſæpe iocarentur aculeatis verbis interrogando, num feriæ eſſent, quòd adeo compti quietique incederent: conſpectoque aliquo ſtrigoſiore vel annoſo equo illum ab obeſis clunibus bellum pullum,& qui nondum molares dentes emiſiſſet cum riſu paſsim laudabant: quæ contumeliæ equitibus erant deuorandæ, quum in accenſis ſclopettariorũ funiculis iura belli poſita viderentur. His de cauſis Piſcarius vt eos pertinaci duratos obſtinatione ad officium inflecteret, non modò eloquentia, quæ in ipſo expedita erat & admirabilis, ſed pecunia etiam opus fuit, qua eorum ſubleuaret inopiam, pudoremq; diſcuteret, quem tacita & triſti conſcientia ab inertiæ nomine concepiſſent. Eam autem ab opulentis Centurionibus mutuo ſumptam, ipſiusque priuato nomini promptè concreditam, quãquam erat exigua, adeo comiter diuiſit, vt equites non paucorum dierum, ſed totius anni ſtipendia recepiſſe viderentur. Pacato luſtratoq; exercitu caſtra ad Malennianum Piſcarij iudicio ſunt promota: nam tametſi ad iter à propoſito diuerſum erat, id tñ ea de cauſa faciendum cenſebat, vt Tramulio, qui Mediolani in præſidio erat, haud dubius de amittenda vrbe metus incuteretur: non enim Galli arcem ab exteriore parte circumuallarant, vti antea ipſe & Proſper ad impedienda auertendaque externa auxilia, Lotrechij bello paucis diebus perfeciſſent. ac ſimul Regem exiſtimabat, de profectione ipſorum nuncijs acceptis, vti varijs implicitum coniecturis, aliquid de loco, aut de vetere conſilio mutaturum: quæ omnia cum ad perturbandos Gallorum animos minuendamque regij nominis exiſtimationem, tum maximè ad obſeſſos ſpe mirifica recreandos pertinebant. His cognitis Franciſcus à diui Lanfranchi templo totaq; ea occidentali regione diſceſsit,& vt propior hoſti eſſet, in Paliciana caſtra ita ſe contulit, vt ſepta illarum ferarum & viridaria tendentium equitum tabernaculis, lato ambitu, complerentur. Permanſitq; in vetere propoſito, vt ſi hoſtes Mediolanum rectà contenderent, ipſe continuò cum delectis expeditisq; copijs Tramulio opem ferret: ſi ad Ticinum verterent, eos munitiſsimis incluſus caſtris aduentantes exciperet, vt bellum nihil intermiſſa obſidione cum exteriore ac interiore hoſte equiſsima conditione gereret. At Cęſariani vti inſtituerant, à Melẽniano ad lęuam deflectunt, & ſecundum Lambrum amnem Ticinum verſus reuertuntur. Erat ad læuam ſancti Angeli oppidum rerum omnium copijs abundans, & frequenti mercatu celebre, cui præerat Pyrrhus Gonzaga Federici Bozoli frater cum equitibus armatis circiter ducentis,& quatuor peditum vexillis. id Piſcarius omnino cenſuit expugnandum, ne Galli in tergo relicti itinera obſidendo frumentatoribus infeſti eſſent, deterritisq; circumuicinis populis, commeatus intercluderent. At Lanoio Borbonioque & item Germanis ducibus, magis placebat aduerſus Regem rectà proficiſci, neque vllum mora iniecta tempus terere, ne Antoniani diuturna obſidione fatigati animos deſponderent, ſi tantorum auxiliorũ famam in difficili,& ob id in certa oppugnatione oppidorum conſeneſcere conſpexiſſent: quando eo capto oppido,& alterum etiam quod eſſet in proximo nomine Sanctocolumbanũ ſimili ratione videretur oppugnandum: præſtare raptim proficiſci, & ſubitum terrorẽ regijs copijs incutere, vt recentiſsimis viribus, dum milites eſſent

in officio,

in officio, obsidionem soluerent, aut commisso prælio, nobili celeritate bellum finirent. Ad hæc quum Piscarius dixisset, quasi ab admirabili iudicio cæterorum ingenijs imperaret, duces statim in eius sententiam concesserunt. Nec mora, opportuno in loco castra perquam egregiè muniuntur, ipseque retro ad sanctum Angelum duobus inde millibus passuum contendit. De prima vigilia vimineæ caueæ proferuntur: ipse situ oppidi diligenter explorato, tormenta constituit contra quadratam turrim, eamque inalbescente statim cœlo, à fronte & à lateribus quà muro committitur, quassari iubet. In his rebus administrandis Antonius à Capua vir nobilis & Piscario carus tormento est interfectus. quum turris multis tormentorum ictibus à fronte perrupta, & ad magnum hiatum patefacta conspiceretur, Piscarius extemplo virgultorum fascibus fossam compleri iubet: cohortatur milites vt secum contempto hoste in murum euadant. Tum verò Hispani, Italique certatim æmulatione laudis murum aggrediuntur. Repugnatur egregiè à Pyrrhi sclopettarijs: multi vulnerantur, nonnulli cadunt: Marco Antonio Capecio in primis nobili ac impigro iuueni Neapolitano aduersum pectus plumbea glande trajcitur. Quum prælium magis ac magis nouo successu militum augeretur, & Piscarius singulos nominatim accenderet, eum Dij immortales propè temerè ab aperto loco subeuntem haud dubiè protexerunt. nam plumbea glans infra costas adacta miraculo quodam interiore in tunica segnis hæsit, & altera pila crassior ita caligam detersit, vt in crure liuorem tantùm cum graui nota relinqueret: sed nihil eo periculo territus instaurata pugna, deiectisque defensoribus, turrim capit. Quæ vti erat vi tormentorum extrinsecus adaperta, eos qui cum Piscario ascenderãt, ita interiore pariete incolumi protegebat, vt qui in oppido erant, & iam muro depulsi, in secunda munitione constiterant, è caua turre per feneſtellas emissis sclopettis peterentur, neque ipsis vlla tam iniquo quàm inopinato casu contrà feriendi, vel omnino hostis conspiciendi daretur facultas. Eo modo quum Pyrrhi milites ex occulto frequenti pilarum procella sternerentur, & nemo vel strenuus in munitione consistere auderet, timore concepto, non modò animi, sed corporib. fluctuare, & quod erat pauoris signum, respectare itidem cœperunt. Id Piscarius è turre conspicatus, Casadam sclopettariorum præfectum singularis audaciæ hominem perpulit, vt per feneſtram in subiectum murum prosiliret, imperio Casada impigrè paret, saltuque sese ejcentem ipse Piscarius ausu propè insano omnium primus subsequitur. Tum verò clamore vndique sublato, cunctis enitentibus murus occupatur: tantus fuit accurrentium, & certatim incumbentium impetus, vt parum abfuerit, quin Vastium pondere armorum inter fasces depressum dum tumultuariè transcendunt, in fossa milites opprimerẽt. At Pyrrhus suis repentino metu territis, & fœdè locum deserentibus, quum nequicquam increpando proficeret, in arcem profugit. Interfectis paulò minus centum, & cæteris in fugam compulsis, quum ad prædam quisque discurreret. Piscarius ad arcem Vastium misit, qui Pyrrhum ad deditionem hortaretur: ac simul denunciaret, si vim experiri vellet, nullum postea iratis militibus clementiæ locum futurum: si beneficio salutari haud cunctanter vteretur, omnes ad vnum incolumes abituros: quando nihil sibi vel antiquius, vel iucundius foret, quàm Italorum sanguini peperciſſe, & eos liberos seruauiſſe,

qui ſecum affinitatis neceſsitudine eſſent coniuncti. Soror enim Pyrrhi Coli-
ſano Cardonio, is qui prelio ad Bicoccam cecidit Piſcarij auunculo nupta fue
rat: quum Pyrrhus prodeunte loquenteq; Vaſtio ab arce aliquanto grauius
quàm oporteret, reſpondendo, aliquot more militiæ dierum inducias poſtu-
laret, obſtrepentibus a cirridentibus Hiſpanis Vaſtius eum amicè monuit, vt
opem expectare deſineret. Tum verò Pyrrhus eius ſuaſu permotus Piſcarij ar
bitrio deditionem fecit. Ita Vaſtius in arcem receptus, Pyrrho, & Caninio fra
tris filio ſpectatæ indolis adoleſcente, atque item Æmilio Cabrianæ, & non-
nullis equitum & peditum præfectis, ne violarentur in retractiore cubiculo
recluſis arcem adaperta porta militi diripiendam dedit. Pyrrhi loculus cum
mille aureis repertus Caſadæ in præmium occupati muri datus eſt. Ipſe Va-
ſtius Iberico equo, cui Caballæ nomen erat, & quo poſtea vti longè præſtan-
tiſsimo in prelijs vſus eſt, contentus fuit. Milites equis omnibus, qui fuere cir
citer ſeptingenti, & armis exuti, ea lege ſunt dimiſsi, ne antè confectum id bel
lum ſub Gallo rege militarent, ipſosque duces, qui vt libertatem auro redime
rent, iure belli cogi poterant, perhumano liberaliq; iudicio miſſos fecit. Fran-
ciſcus poſtq̃ oppidum ab hoſte captũ didicit, quum iam alacri animo de feren
da ope deliberaret, vehementer in Pyrrhum eſt inuectus, q̃ ille ad minus tri-
duo, ſe hoſtis impetum omnino laturum eſſe prolixè recepiſſet. Inde veteri in
nixus conſilio, totum ſe contulit ad perficiendas munitiones, quæ ab ipſo ſe-
ptorum muro ad Ticinum amnem pertinebant. Eo ambitu quinq; cœnobia,
vt diximus, ita cum latis hortis includebantur, vt Cęſarianis niſi perruptis his
munitionibus ad obſeſſam vrbem peruadendi facultas omnium iudicio prę-
ciſa videreť: ex his caſtris intra munitiones exteriores, quæ ad Orientem ver-
gebant, tribus in locis perfracto muro tres aditus in Parcum patebant: ſepta
enim ferarumq; viuaria vulgari nomine, quod principis edicto parcendum
ſit feris, Parcum appellant: hos aditus veluti ingentes portas ob id rex effici cu
rarat, vt equitatus qui fermè omnis in Parco ad lęuam iuxta nemora tendebat
& magno circuitu his copijs, quæ ad occidentem circa ſancti Lanfranchi tem-
plum in ſtatione remanſiſſent, propter loci propinquitatẽ pręſidio erat, cum
legionibus iungereť. Ita regia caſtra hinc Parci mœnibus illinc, Ticino amne
inter duas munitiones adeo munita erãt, vt multitudine tentoriorũ & ignĩũ
frequentia ingentis vrbis ſpeciẽ prębereť. At Cęſariani recepto in caſtra Piſca-
rio, qui nõ modò celeris ac optimę victorię gloria, ſed quod in duce rariſsimũ
ſemper fuit, muralis etiã coronę laude cõſpicuus aduenerat, extẽplo caſtra mo
uent, & ad Lardiragum oppidũ quinto à regijs caſtris militari inſtructa acie
procedunt: iam enim ab antecurſorib. tumultuariè pugnabať: ipſeque ante o-
mnes Gallos Ioan. Medices cũ expeditis turmis, quib. perniciſsimos pedites
admiſcebat audacter prouectus, adeo magnũ in primo agmine tumultũ ex-
citarat, vt pleriſq; ea die quin vniuerſo prælio certareť, explicari acies minimè
poſſe cenſereť: tormẽta quoq; vno tẽpore à Cęſarianis ſunt diſploſa, vt obſeſsi
auditis bombis, ipſorũ aduentus certiſsima ſpe complerenť. Interim Germa-
ni pugnãdum eſſe rati, quum eos Franiſpergus & Sithius hortarenť, in genua
procubuerunt, & truci murmure quodã carmine enunciato, caua manu, col-
lectum ſolo puluerem in terra ſpargebant: qui mos erat antiquiſsimus eorum
qui ſe pro principe victoriaq; deuouerent, ac iurarẽt, ſe niſi victores domum

non eſſe

non esse redituros. Cęterùm dirempto equestri prælio, rex suos in castra reduxit: Cæsariani verò iuxta Parci muros, ad Pratam & Trelibrerium vicos ignobiles deflexerunt, adeoque in intimum eius angusti agri sinum promota sunt castra, vt minus sex stadijs Gallorum munitiones inde distarent: & tabernacula certis tormentorum ictibus peterentur, adactaque est ferrea pila ingens in Borbonij prętorium cum dudum benigna sorte dimisso consilio, cęteri fermè omnes duces exiuissent. Erat durissimum anni tempus, pluuijs, & frigore fœda hyems, itinera lutulenta, ager omnis pabulo exhaustus, arboribus glaber, quum Galli in trium amplius mẽsium obsidione, nec pomiferis quidem arbusculis, & vitibus pepercissent. hæc omnia Cæsariani fortiter ferebant, & cuncta extrema æquo animo se laturos, vt Gallorum munitiones perrumperent, Antonianis quotidie significabant. porrò Galli maiore rerum omniũ commoditate & copia vtebantur: vtpote qui duobus diuersis pontibus Ticinum iunxissent, & latè frumentarentur: magnaque ex parte sub tectis, & in ampliss imis templorum porticibus hybernarent. Porrò alij cum militum industria ex rerum necessitate magis ac magis acueretur, in linteis & contabulatis tabernaculis, focos cum vaporarijs tubis ad excludendum fumum, elegantissimè fabricarant. Id enim erat regij animi decretum, vt non prius ab obsidione discederet, quàm vrbe foret potitus. Propterea additis nouis operibus munitiones augebat, propugnacula, fossæ, aggeres, castrorum portæ, tormentis instruebantur, vt facilè posset repugnare, si Cæsariani ad oppugnandum accederent, quos non diu sine stipendio contineri posse sperabat: ac simul Venetos, ac pontificios proximarum vrbium prætores, arbitrabatur indies angustius, & lentius commeatus Cæsarianis esse præbituros. Interea omnibus ferè horis, & diuersis in locis certabatur. Antoniani frequenter erumpebant. Ipse Piscarius incredibili vigilantia, assiduitate interdiu noctuque pererrans & circumiens hostium munitiones, dabat operam vt distinctè cognosceret, quæ forma aggerum, qui mos vigilarum, et stationum tenor, quis propius custodię locus Gallo an Italo, Heluetio an Germano militi esset attributus. Nihil enim his quæ milites referrent temerè credendum arbitrabatur, cum per se cuncta oculis spectare, & propius contueri vellet, ne à quoquam imprudenter deciperetur, ita acuratè vt propè solus sæpe in ea loca hosti subiecta procederet, ad quæ vel intrepidi gregarij milites penetrare recusarent. Erant casę humiles inter bina castra paulum extra Gallorum munitiones Parco ita coniunctæ, vt ab his qui introrsus erant, per exigua muri foramina sclopettis appositis facilè defendi possent. In his stationem habebant duæ Germanorum cohortes, ex earum numero quę à Gallis Nigrę appellantur. has Piscarius cum delecta manu sclopettariorũ inopinantes adortus ita perturbauit, vt aliquot interfectis, pluribus vulneratis, quanq̃ acerrimè resistentes, et à legione per muri foramina adiutos, inde cum ignominia spectantiũ Gallorũ depulerit. in eas tñ haud multò post, Germani adiecta noua munitione redierunt, quęres minutis prelijs materiam prębebat, cum Germanis vario euẽtu defendentib. Hispani audaces importuni omnib. propè horis de eius ędificij possessione dimicarẽt. Nec multò post à noua cõtẽtione, paruus ab initio tumultus in pugnam ingentẽ, et cruentã exarsit. Cùm enim grex pecoris paulò extra Gallorũ vallum herbido in solo vagaretur et Hispani pręda inuitati audacius succederent, multisq; in hostem sclopettis repẽte emissis, pecora raperent, clamore

vtrinq; ſublato, adeo prælium ſæpe renouatum, & protractum accurrentibus vtrinq; auxilijs creuit, vt tumultuoſiſsimè, & acerrimè certaret. Vaſtius incli natis primis auxiliũ tulit, eò etiam cum delecta manu Piſcarius accurrit: equi tes turmatim vtrinq; pediti miſcebant: tormenta reboabant: ſed res ſclopettis maximè gerebatur. Erant in parte Gallorum ante omnes Antonij Aurij, & M. Antonij Cuſanij Italicæ cohortes, quæ neque armorum vſu, neque corpo rum agilitate, neque audacia aut pugnandi perſeuerantia Hiſpanis multum cedebant. acceſſerant Heluetij, Vaſcones, ipſique Galli cataphracti, equites & Medicea leuis armatura. Boniuettus in primam aciem prouectus ſuis ade rat: alij quoque duces in pugnæ locum ferebantur: poſtremò etiam Rex ipſe vt prælio intereſſet eò cum globo nobilium equitum accurrit. Ex aduerſo La noius atque Borbonius inſtructis legionibus intenti in æquum locum proce ſerant. Nec in tanto armorum ſtrepitu, tantoque tumultu commotis caſtris, Antonius in muro conquieuit, ſed continuò cohortes atque equites emiſit, qui munitiones adorirentur, et occupatos cum diuerſis hoſtibus timore inie- ęto quammaximè diſtinerent. Sed prælium hunc habuit exitum, vt pari pro- pè illato ac accepto incommodo vtrique ſuos labore & vulneribus defatiga- tos in caſtra reducerent. Alfonſus Caruaial nobilis Hiſpanus, qui alæ præe- rat, interijt. abrepta eſt & dextra manus Guſmano cohortis præfecto: & Pi- ſcarius aliquot viros fortes ſibi maximè fidos amiſit. Eo prælio quanquã ama biguo euentu certatum eſſe videbatur, Franciſcum maximè lætatum ferunt, quoniam vti fuerat omnium virtutis ac ignauiæ ſpectator, ſi non planè victã, egregiè tamen repreſſam Hiſpanorum audaciam pertinaci & iuſto certami- ne conſpexiſſet. At Piſcarius vbi interdiu minus quàm volebat hoſtibus no- ceri poſſe animaduertit, propter tormentorum omnis generis multitudinẽ, quæ peritè à Gallis tota paſsim munitione fuerant collocata: nec ob id quic- quam tutum quod modò conſpici poſſet, medio & communi in ſpacio inter bina caſtra relinquebant, nocti adoriri, & munitiones tentare cõſtituit. Per- duxerant Galli, vt diximus, perpetuum aggerem cum foſſa, ad Ticinum vſq; amnem, eo ſucceſſu operis, vt extra infimam munitionis partem verſus ſancti Lazari templum modicæ domus relinquerentur: in quibus adiecta foſſa Cu- ſanij cohortes ſtationem habebant: eas facilè opprimi poſſe arbitrabatur, quòd longius ab ipſa caſtrorum frequentia diſtarent, & à cæteris, Heluetijsq; præſertim penè, abiuncta viderentur. Itaque vti conſueuerat in nocturnis prælijs, linteas interulas armis ſuperindui iubet. Imperat quatuor centu- rionibus vt diſperſi quatuor ſimul in locis Gallorum vigiles laceſſant: maxi- mo tumultu clamoreque edito hoſtes excitent: ſic vt totis caſtris ad arma con- clametur, vt quum ad ſuperiores caſtrorum partes Galli quid nam potiſsi- mum defendant, incerti per tenebras ſuſpenſis diſtractisque animis feran- tur, ipſe ſilentio cum delectis cohortibus, diuerſo in loco hoſtem protinus in- uadat. His rebus ſingulari ordine cõſtitutis, cùm Borboniumatq; Lanoium oraſſet, vt intenti armatique in caſtrorum cuſtodia conſiſtere vellent, adiun- cto ſibi Vaſtio cohortes educit. & quum centuriones quos antea emiſerat, ſuum munus ſtrenuè implere exaudito clamore perſpiceret, Cuſanianos ado ritur. tantus vndique circumfuſorum Hiſpanorum impetus fuit, atque adeo continẽs ſclopettorum procella, vt quum aliquandiu impigrè repugnaſſent,

neca-

nec aliunde qui opem ferrent opportunè ſuperuenirent, fruſtra imploratis, & mox deſperatis auxilijs, expugnata domo, cæſi fugatique ſint. quum trepidi in propinqua caſtra perfugerent, Piſcarius intra munitiones perrupit, tanta hoſtium perturbatione, vt quum vndique fœda fuga pellerẽtur, capto tormentorum præfecto, cui Caderoſio cognomen fuit, ipſa tormenta occuparet. neque auehi, neque ferreis clauis de more configi potuerunt: quoniam ex inſperato victoriæ ſucceſſu omnibus rebus ad id neceſſarijs imparatus aduenerat: vtpote qui expugnata ea domo profligatisque cohortibus decreuiſſet ſpeculari tantùm, & propius conſiderare hoſtium munimenta, vt ampliore manu ac apparatu ea demum adoriretur, necſe in caſtra adeo facilè penetrare poſſe credidiſſet. Verùm appropinquante Heluetia legione, & Gallis adcurſu ducum vndique ſeſe conglobantibus, receptui cecinit, adeo lætus & alacer, vt ſummam ex eo caſu victoriam præſagiret: quando ab arridente Fortuna, ſupra ſpem bellica ratione conceptam, ſtrenuè audenti auctiora & cumulatiora omnia redderentur. Nemini enim erat dubium, quin ea nocte oblata eſſet occaſio debellandi Regis, & tota Gallica caſtra facilè delendi, ſi paucis & iam planè victoribus, equitatus omnis ac inſtructæ legiones acceſsiſſent. Ea nox incerti metus, periculi ingentis, et cæci tumultus plena Gallorum animos vehementer perculit. Nam Antoniani exaudito prælij tumultu pariter eruperant, & longè ad incertos ictus, vt terrorem augerent è turribus maiores colubrinas emiſerant. Corpora quoque Heluetiorum et Gallorum hyemali frigore, & longa illuuie ſic affecta erant, vt quum vigilijs & crebris nocturnis prælijs ſæpe fruſtra captis armis fatigarentur, iam demum irrequieto labori minimè ſufficerent, ac nihil magis optarent, quàm expedito prælio bellum finire: vt alterutro euentu, corpora atq; animos à tot malis ac ærumnis celerrimè liberarent. Vna enim hac via Piſcarius, tum maximè, & ſæpè aliâs, Gallorum vim ac Heluetiorum impetum, quum alacritate, recentique robore valerent, prudenter euitarat: vt mox per partes carpendo & ſenſim atterendo quæ vehementi conatu vinci non poterant, aſsidua & pertinaci concuſsione frangerentur. Acceſsit & aliud Gallis incommodum: tres cohortes Ioannis Medicis, quum Rex à Sancto Lanfrancho, vt diximus, copias in Paliciana caſtra reduxiſſet, ad occidentem, vbi villa erat, remanſerant, vt ijs frumentatoribus qui à ſuperiore Ticini ponte, & à Mediolano in caſtra venirent, præſidio eſſent: ac ſimul ex opportuno loco Antonianorum egreſſus obſeruarent: & ſignificatione facta, oppoſitisque interim viribus, quantum poſſent, eruptiones cohiberent. Eas Antonius quòd veluti deſertæ ab alijs, & ab equitatu multò ſpacio diſiunctæ erant, adoriri conſtituit, duobusque eductis maioribus tormentis, cum valida manu imparatas, & diuerſi itineris ſimulatione deceptas, ita oppugnauit, vt quanquam fortiter reſiſtentes prius deleuerit, quàm Galli in propinquiore Parci loco tendentes, ad alienæ præſertim gentis periculum inferenda ope admodum ſegnes, ſe commouerent: nec quid nam is tumultus eſſet, niſi à dilabentibus & ſaucijs omnino cognoſcerent. Adiuuit Antonij victoriam abſentia ducis Medicis qui tum forte longius à caſtris, cum alis ſuis ad diuerſos hoſtes excurrerat. Is vbi redijt ira & dolore concitatus, omnibus contumelijs Gallorum equitum (hi erant ex Alanconianis turmis) ignauiam proſcidit, quòd vti fuiſſent polliciti nihil omnino opis in tanta propin-

quitate deſertis & circumuentis cohortibus attuliſſent. Fuerat enim ab initio locum deteſtatus, ita vt niſi Rex, & Alanconius loco proximus de ferenda o-pe egregiè recepiſſent, eas inde vtique extrà periculum omnino eſſet deductu rus. Cæterùm iurauit non prius animo conquieturum, quàm cæſis cohortib. ſuis Germanorum & Hiſpanorum ſanguine parentaret. Nec multò poſt quũ vir ille vehementi acutoque ingenio, & in extraordinarijs prælijs maximè e-xercitato, quando nemo eo melius hoſtem allicere, improuiſo adoriri, inſi-dias tendere, fruſtrari, loco cedere, opportunèq; pugnare didiciſſet, Antonia nos elicuit, ſimulataque fuga ad locum, vbi pedites equitesq; condiderat, ſen-ſim pertraxit. Tum verò conuerſa turma, terribilis & ferox inſtando, cæden-doque adeo effusè eſt perſecutus, vt multis interfectis, cæteros pauidos intra portam compelleret. Sed dum præclarè, quanquam non pari reddita clade cohortes vltus in caſtra reuertitur, ei in itinere Boniuettus fit obuius, æſtuan-tem & hoſtili cruore oblitum, quod nam forti felicique dextra facinus edide-rit percunctatur: narrantem cuncta ordine, orat, vt redire & prælij locum o-ſtendere velit: nec grauatè Medices Boniuetto obtemperat, eo modo dum re centis cædis cadauera contemplantur & enumerant, ab occulta humili caſa plumbea glande dextro in crure grauiſsimè vulneratur. Delatum in caſtra, & vix impotenti animo ſuſtinentem, quod vulnere impeditus à toto militari o-pere ſubtraheretur, Franciſcus vti erat comitate ſingulari ſæpius inuiſit, ac hor tatus eſt, ne ſeſe intemperanter afflictaret: ſed ad plagam rectè atque celeriter obducendam, poſtquam adeo fortis eſſet animum importuna ac inutili mo-leſtia liberare vellet, vt magnitudinis animi famam, patientiæ laude cumula-ret. Nec multò poſt, vt cõmodius conualeſceret, à Piſcario impetrauit, vt Pla centiam ſecundo Pado deueheretur. Id vulnus temere ſuſceptum haud dubiè longè omnium acerrimo & vigilantiſsimo propugnatore Gallica caſtra nu-dauit. nemo enim adeo ignauus vel imbellis erat, qui eius ſigna non libenter ſequeretur, & cum eo in acie conſpici non cuperet: quando illinc certiſsima vel aduerſo etiam euentu veræ virtutis gloria peteretur. Vir enim ille conſtan tis animi & indefeſsi vigoris, ſe tyrones milites non multis annorum ſtipen-dijs, vti cæteri duces ſolerent, ſed paucis tumultuarijs prælijs decora ac vtili di ſciplina veteranos efficere prædicabat. Hiſdem etiam diebus, quaſi à Fortuna ſupra equum Gallis infeſta, in vnum diem cuncta incommoda conferrentur, Griſonorum cohortes domeſtico reuocatę bello, domum ſublatis repente ve xillis abire cœperunt. Ioannes Iacobus enim Mediceus Inſuber, qui ſibi po-ſtea Lario in lacu vi ac armis latum imperium parauit, iubente Franciſco Sfor tia efflagitanteque Piſcario improuiſum bellum Rhætis intulerat: occupatá-que Clauenna oppido, & arce in poteſtatem redacta, proximos Rhætorum populos qui ad Curiam clauſtraque Alpium pertinent terrore compleuerat. Quo periculo per magiſtratus ciuibus in caſtra nunciato, cohortes vllis obte ſtationibus, vel oblato duplici ſtipendio retineri nequiuerunt: & quod in-commodum auxit, nonnulla etiam Heluetiorum ſigna ex his qui Griſonis e-rant fœderati abeuntes ſunt ſubſequuta, quanquam Leſcutus contrà obnite-retur, & Techanum gentis ducem in profectionis ſtudio obſtinatè perſeue-rantem, vti omnibus auaritiæ atque perfidiæ notis infamem, ſuperbo ore pa-làm ad ſingulare certamen prouocaret. Sed ille corruptus pecunia, vt poſtea

comper-

compertum est, quasi neque corpore neque animo vastus & insolenter ferus esset, tanquam publicæ ciuium causæ deseruiret: nec regias preces, nec Lescuti contumelias, astutis & Barbaris auribus admisit.

LIBER SEXTVS.

TRANSIERANT iam plures dies quum castra castris, quod nunquam ætate nostra contigerat, adeo propinqua fronte contulerant, vt mirum esset quod milites tam diu vel perpetui laboris vel durissimę hyemis incommoda perferrent, continuisque vigilijs & pręlijs corpora exercerent, nec tamen (quod esset inusitatum) quum omnia vndique tormentis quaterentur: nihil inclinante fortuna vniuerso prælio certaretur. Sed spes præmiorum & laudis præclara animorum excitatrix vtrinque in æquo posita, & dedecoris metus, qui vel ignauis acerrimus est stimulus, quasi non vi, sed tolerantia vincendum foret, paribus viribus certantes mirificè sustentabant. Quippe rex Gallus animo excelsus suæ dignitatis esse iudicabat, omnia potius aspera perpeti, quàm non egregiæ constantiæ famam tueri, quæ aliena à Gallorum ingenijs esse videret: vtpote qui sicuti feruido vigore potius & celeri impetu q̃ꝑ longa perseuerantia, superiorum temporum victorias essent consecuti: ita demum diuturna Cæsarianorum ducum cunctatione fatigati, fractique longioris militiæ tædio veteris gloriæ nomen amisissent. Sciebat etiam obsessos cum omnium propè rerum, tum vini præsertim, quo Germanorum corpora more gentis erecta & alacria tenerentur, incredibili penuria laborare. Eos verò qui è Germania nuper aduenissent, itemque Hispanos, ac Italos non diu sine stipendijs posse contineri: quando iam propè mensis esset exactus, quo sine pecunia se militaturos exorante Piscario promisissent. Postremò tantis aggeribus tantisq; præsidijs vndique munitis castris nequaq̃ eos vsque adeo timendos putabat, vt ab incœpto cum ignominia discederet: quãdo ij qui tanto impetu tantaq; iactantia elatis animis ad oppugnanda castra succesissent, per viginti dies irrito conatu, non modò commeatus atq; stipendia, sed illam etiam terribilem ferociæ famã ignobili mora consumpsisse videretur. Nihilo secius tamen haud ignarus quantum sibi virium decessisset, enixè dabat operam, vt copias nouis accitis supplementis, magis ac magis augeret. Ante omnia cum Genuensib. inducias pepigit, vt à Sauona per Salassum Regulũ quatuor millia peditum Italici generis in castra protinus adducerent: sed has copias Burmiam amnem in agro Statiellensi transeuntes Gaspar Maynus Insuber cum Sfortianis cohortib. improuiso adortus, ita profligauit, vt duces captiuos & cuncta ferè vexilla Alexandriam retulerit. Hac itaque Sauonensium auxiliorum spe deiectus Tramulium ad se Mediolano accersiuit cum ala equitum, et multò maxima earum cohortium parte qui in arce Sfortianos aliquot iam mẽses obsidebant. Imperauit etiam Memorantio, quem in Insula tertijs castris præesse diximus, vt castra contraheret, ibique Claramontio Regulo in custodia relicto, lectissimum quenque equitum et peditum in maiora castra ponte

traduceret. ſummaque totius Regij conſilij hæc erat, vt partem equitatus ad Sanctum Columbanum emitteret, quo volitante, & tergis hoſtium inhęrente, frumentandi et liberè pabulandi facultas eriperetur, ipſe interim munitionibus ſe teneret, obſideretque iugiter: & quónam euentu Albanius Neapolitanum Regnum ingrederetur, quíd ve Pontifex Venetique pararent, intentus & erectus expectaret. Non deerant tamen viri longo vſu militiæ inſignes, qui ea conſilia ſummi plena periculi libera voce non probarent, fatalisq; ſententiæ decretum ex Regio animo conuellere niterentur: & ante alios Tramuliús, Galeacius Sanſeuerinus, Palicia, & Theodorus Triuultius: dicebant enim decora pariter atque dedecora militiæ nulla alia æſtimatione quàm ſumma victoria diffiniri, ad quam prudens & grauis Imperator cogitationes omnes reuocaret. Quid enim ſtultius fœdiusq; videri rei bellicę peritis, quàm nulla neceſsitate impoſita regium caput in id diſcrimen deuocare, in quo Gallia omnis dignitatis pariter ac ſalutis periculum ſubiret? Poſtremò quid eſſet alienius à ratione, quàm minore cum numero militum, minoreque victoriæ præmio, cum pugnaciſsimis & deſperatis hoſtibus, ancipiti pugna dimicare? ſummam enim hoſtium ſpem in feſtinatione celeritateque verſari, vt priuſq; ab omnium rerum difficultatibus ſuperentur, dum magnis atque recentibus viribus valent, æquiore conditione confligant. An' non acutiſsimi hoſtes, Palicia, inquit, maximè perſpiciunt, noſtras copias ſpacio moraq; valeſcere? contrà, ſuas vehementer attenuari, conſilia porrò ſeneſcere ac in incertum verti, quum propediem ſtipendia, commeatus, hominum ſtudia illis penitus ſint defutura? omnia profectò ſi ſapimus nobis ſecunda, illis aduerſa maturè euenient: explicemus modò nos ex hac indagine, et ad Binaſcum ampliſsima caſtra faciamus, vt euitato prælio, ad non dubiam victoriam, harum ferarum rabiem atque impetum, tota cunctatione fruſtremur. Germani enim niſi fallor, Ticino exeuntes vti ſunt fame enecti, et rerum omnium inopes, quam primum merita ſtipendia ab egentibus ducibus poſtulabunt: nec iam amplius dicendi arte et peramplis pollicitationibus, ſed pręſenti multoque auro opus erit ad pacandos militum animos, quos ſupra innatam ferociam, nauata fortiter opera, haud iniquo iure etiam inſolentes effecerit: atque ita fraudati deluſique aut ſeditionem aliquam miſcebunt, aut domum conſtantiæ gloria contenti protinus reuertentur: adeo vt non deſperem cæteros vti iam conſanguineis obſidione liberatis, poſtquam nulla præſens pecunia numeretur, in Germaniam eſſe redituros. Nobis interea & amici principes apertiore ſtudio, & proxima item Gallia cuncta quæ bellum requiret commodè ac abundè ſuppeditabunt. Viciſti profectò ſi animum inani perſeuerantiæ laude inductum noua & ſalubri ratione peruinces. Non enim ſani & probi Imperatoris eſſe videtur à peruicacia, quæ dedecus & certam penè peſtem afferre poſſit, falſo quodam, vel adumbrato conſtantiæ nomine gloriam quæſiuiſſe. Erant vera hæc, & Paliciæ dictis tanto maior authoritas inerat, quanto ipſe cæteris ducibus pugnacior atque feruidior habebatur. Apparebat enim eum non ambigua et leui, ſed certiſsima ratione adductum à vetere conſuetudine, naturæque iudicio diſceſsiſſe, quum efficacis & ſtrenui potius quàm cunctatoris & cauti ducis nomen antea meruiſſet. In hanc quoque ſententiam quæ ex ore Clementis mitti videbatur Albertus Pius Regis legatus ab Vrbe perſcribebat:

ſcribebat: ſeduloque monebat vt retro ad Binaſcum motis caſtris vniuerſæ pugnæ caſum deuitaret: quòd recentis ferique Germani hoſtis impetus nequaquam vi, ſed opportuna cunctatione frangendus eſſe videretur. Hęc quoque Renato Sabaudio Regis auunculo magnopere placebant: vtpote qui de Regis ſalute ſolicitus, omnem prælij aleam damnaret. Verùm vnus ante omnes Boniuettus, qui ſibi à ſolerti ingenio, multaq; arte & vigilantia apud Regem firmiſsimum gratiæ locum pararat, modeſtè palàm, cęterùm retractiore colloquio eos vehementer inceſſabat, qui ſuaderent ab obſidione diſcedendum. Num, inquit, ad hanc dedecoris ac infamiæ notam tanti animi Rex eximijs diſciplinæ præceptis ac experimentis inſtructus, Tramulio exactæ ætatis ſeni aut Galeacio parebit, quibus ſeptuaginta anni omnẽ expediti vigoris ſenſum habetarint? An in Palicia ille pernobili pugnandi ardor, quo maximè nuper valebat, ingraueſcente ætate penitus non refrixit? Ita eſt profectò, vt mihi hodie videatur ineptus, quum id quod in ipſo nunquam præclarè viguerit, more ſenum, conſilium afferat: nec qua hodie nos indigemus, fortis dextræ operam præſtet qua vti conſueuit, & inter multos fortes eminere facilè poſsit. De Theodoro autem æquum eſt, vt ætatis ac ingenij ſui nutum ſequatur, quum remota quæque, ne incidant, anxiè ſuſpectando & conſultando, cautè ſeſe & Regium exercitum ſeruare, quàm agendo fortiter, & belli caſus ad non certum euentum ſubeundo, vel exploratam victoriam petere malit. Quid ergo impedit cur non opponam his tepidis ſenibus excentos alios virtute animi & rebus geſtis imperatoriam laudem ſæpe meritos? quorum generoſa pectora nullus vnquam metus intrauit. Gallorum enim mos eſt prę clarè vincere quum Rex ipſorum adſit, prælij ſignum proponat, cohortetur, depugnet, vti Carolo duce ad Tarrum, Ludouico ad Abduam, & te ipſo tanta tua cum laude ad Mediolanum fortiter atque feliciter dimicare didicimus. Profectò non ij ſumus, qui ſemper fuimus, hoc eſt, fortes & decoris auidi, ſi timendum arbitremur, ne hi prærupti aggeres quibus includimur, & hæc vallata caſtra noctu tanquam à furibus atque latronibus expugnentur. Sed per Deos non hęc inanis & fœda conſternatio paucorum exanguium ignominię loco cedet. Heluetijs legionibus & Germanis, qui nobiſcum militant, & veteranis equitibus, qui quum vel ęquo campo haſtatorias et ex ſubitarijs delectibus, anguſta mercede conductas hoſtium copias omnino deſpiciant, etiam in Regiæ perſonæ felici nomine, quum vel depoſita maieſtate ante alios ſis pugnaturus, certiſsimę victorię momẽtum reponunt. At Franciſcus quanquàm acri ſuſpenſus cura, ſuorum ducum dicta ex æquo diligenter expenderet, ea tamen inclinante Fortuna conſilia ſequebatur, quę magis decora, & celſiſsimo animo digna videbantur. Is verò apud Cæſarianos animorum erat habitus, vt quiſque non modò dux, ſed gregarius miles exiſtimaret victoriam omnino eſſe in manibus, ſi priuſquam inde ſe Rex hoſtis explicaret, non iniqua ratione prælio certaretur: in quam vnam pugnæ occaſionem inter alios Piſcarius vſqueadeo vehementer erat intentus, vt incredibili patientia cupiditateque, dum interdiu noctuque cuncta ſpeculatur, cum graui valetudinis incommodo, cibi ſomnique deſideria naturæ detraxiſſe diceretur. Quum verò regię munitiones niſi dubio euentu & certa militum iactura expugnari minime poſſe cõſtaret, intra Parcum effracto muro penetrare conſtituit, vt mo-

dico flexu ad Mirabellum peruenirẽt. id eſt ędificiũ medio ferè in Parco ſumꝫ mę amœnitatis aucupijs et venationibus opportunum. Eo in loco Franciſcus digreſſus à prioribus caſtris (vti diximus) equites collocarat, magnamque ibi turbam mercatorum & togatorum hominum reliquerat. Duabus enim de cauſis Piſcarius in eum maximè locum cogitatione ferebatur: quoniam ſi nihil prohibente hoſte Mirabello potiretur, quod erat primum ea expeditione propoſitum, ſumma ſua cum laude & Gallorum infamia, Antonium obſidio ne liberari, hoſtesq; ſimul Mediolano penitus intercludi manifeſtè conſpicie bat. quòd ſi Rex id iter prohibere vellet, et pugnandi cauſa munitione caſtro rum ſigna efferre minimè dubitaret, tum verò opportunè conſerendis manibus facultatem præberi, quam tantopere ardentibus animis deſiderarent, & optare quærereque neceſſe eſſet, poſtquam ſtipendia deficerent, & iam vete rum ſociorum voluntates ad Gallum haud dubiè verterentur. Hęc omnia vti erant ſolerti ingenio excogitata, Piſcarius ad duces detulit, tanta vi & alacrita te ſingula deſcribendo, vt non explorata, ſed parta victoria lætari videretur: ipſi verò Lanoius atq; Borbonius auctiore concepta fiducia ſe viciſſe iam cre derent. Siquidem grauiſsimis argumentis atque proloquijs cuncta compro banti, tanta fides, tantaque authoritas penè ad immenſum creſcebat, vt obtre ctatione ac inuidia, quæ viuidæ virtuti ſemper offecit, penitus vacaret: adeo vt duces vltrò ei præclara conceſsione ad rem gerendam militaris imperij iu ra tribuerent: quod ei propè glorioſius fuit, quàm poſtea viciſſe, vtpote qui hoſtibus ſępe aliàs domitis, id vnum ei operum reliquum omnino ſupererat, vt inuidiam inuſitata gloria ſuperaret: & hercle mirum eſſe videbatur, quòd Lanoius qui vel ambitioſè honoris ac imperij appetens eſſet, & Borbonius penes quem ſumma vigebat bellicarum rerum poteſtas, eum ſubijpſis vti bel lo meliorem non tacito modò, ſed liberali apertoque iudicio prætuliſſent. Erat enim tum Piſcarius poteſtatis ac honoris vacuus, quando iam Maſsilienſi bello peditatus curam Vaſtio patrueli reliquiſſet: ſed ita peculiari munere e rat ſolutus, vt cuncta propè vnus adminiſtraret, incredibilique corporis atq; animi labore ſuſcepto, cùm pediti & equiti, tum commeatibus & tormentis ſemper adeſſet, & perpetua inſpectione, nequid properè aut negligenter, vel imperitè fieret, adhibendam iugem operam arbitraretur. Dicebat enim, ſtre nuum & cautum Imperatorem non alienis ſed proprijs oculis vti debere, eumque ſæpius bello victorem euadere, qui ſuorum diligentiæ diffiſus, vel quæ exigua & minuta viderentur, preſenti manu tractare minimè recuſaret. Hęc tanta etiam officia, quanquam ſumma erant, facilè tamen implebat: nam excellenti memoria diuinoque iudicio fretus, milites, Hiſpanosque præſer tim, non modò de nomine facieque nouerat, ſed quantum quiſque ingenio induſtriaque valeret, connotatis etiam animi vicijs luculenter explorarat: ita per idoneos homines officijs raptim atque celeriter diſtributis, cogitata ab ſe imperataque cuncti facilè exequebantur: nec ſemel inchoatis deerat exitus, quum ipſe præſenti remedio cunctis vel inopinatis rebus occurreret: ac eo e tiam faciliore induſtria, quoniam in omnibus propè ſuſcipiendis conſilijs & gerendis reb. diuerſorum ſpeculatorum, quos occulta largitione apud hoſtes alebat, diligenti opera fruebatur. Affirmabat enim nuſquam à ſano duce v tilius & melius poni ſumptum, quàm quo certi ſpeculatores pace & bello pa

rarentur,

rarentur. Igitur decreto ab omnibus maioribus ducibus comprobato, et ſuſcepto negocio, Piſcarius Arrium equitum præfectum propoſitis præmijs ad Antonium Leuam mittit, vt doceat tum ab vrbe protinus erumpendum, quum duobus ingentium tormentorũ ſcloppis editis, ſtatuto tempore moneretur. Nec Arrio Fortuna defuit: nam concubia nocte profectus magno circuitu ad auerſam vrbis portam incolumis cum turma peruenit, Gallis qui in ſtatione erant felici mendacio deceptis: teſſeram nanque petentibus, ſe ex Mediceis alis eſſe ſimulans, vti erat etiam habitum candida cruce mentitus, excuſauit ſe ideo ſignum more militiæ accipere nequiuiſſe, quòd in excurſione per biduum à Regijs caſtris abfuiſſet. Poſtquam Arrium proſperè peruenisſe ex ignibus ſumma in turre excitatis didicit, Salſedo dat negocium perrumpendi muri, eique trabes more veterum arietum valido præfixas ferro, atque item vectes & dolabras attribuit. Aloiſio autem Viacampo, acitem Herreræ & Gaioſio imperat, vt diſtinctis in locis contra hoſtium munitiones cum ſingulis cohortibus conſiſtant, tota nocte armis ac tympanis perſtrepant, terrendoque & laceſſendo hoſtes quàm maximè diſtineant. Cæterùm quum ſe intra Parcum penetraſſe per nuncios acceperint, ſublatis repentè vexillis reliquas copias conſequantur. Non longè etiam à muro Parci Honofrium Montanum in edito aggere contra Nigram Germanorum legionem excubare iubet: atque ita ſeſe commouere, vt totis caſtris inſtrui cohortes ſuperiorum noctium conſuetudine videantur. Impedimenta quoque totius exercitus cum præſidio alæ leuis armaturæ equitum Laudenſi via, acitem altera quæ eſt ad læuam progredi imperat, vt ſi qui eſſent in caſtris ſpeculutores, tot diuerſis profectionibus, & tam vario rerum omnium apparatu diſtracti, deceptique, nihil Gallis pro comperto renunciarent. At Salſedus qui ad præſcriptum antea locum intempeſta nocte peruenerat, quum diu fruſtra pulſando noctem conſumpſiſſet, aliquanto ſerius quàm Piſcarius volebat, murum prima luce tribus in locis aperuit: is enim è latere coctili veteri ſtructura firmiſsimus, ipſos arietes quanquam integrarum cohortium lacertis adigerentur, ſingulari contumacia reſpuebat. Primus omnium Alfonſus Vaſtius cum promptiſſimis Hiſpanorum et Germanorum peditum et tribus equitum alis à Piſcario immittitur. Statimque pellitur loco Græcus Iuſtinianus Ligur, qui in ſtatione irrumpentibus proximus excubabat. Erant circiter quinque millia hominum quibus iniunctum eſt, vt recto itinere ad Mirabellum pergerent, & locum abſq; vlla ſpe reditus occuparent. Intranti Vaſtio Piſcarius ſeuero, ſed alacri tamen vultu, macte, inquit, virtute frater, hodie tibi fortiter eſt eniten-dum vt locum occupes: quòd ſi dextræ (quod Dij nolint) contra toties victos hoſtes minimè ſuffecerint, age vt corpora, quod fortibus animis debent, honeſtiſsimè cadendo, non inultis hoſtibus egregiè perſoluant. Erat id munus manifeſto & ſingulari plenum periculo quod fratri Piſcarius iniungebat, adeo vt familiares de Vaſtij ſalute ſoliciti, alium potius præficiendum obliquis demiſsisque ſermonibus cenſerent, & magnopere mirarentur, quòd eum cui ſæpè aliàs eius nimiæ alacritati ac audaciæ ſuccenſendo, eximia pietate peperciſſet, tum demum tam diræ aleæ caſibus obiectaret. Valdè enim timere erat ſolitus, quum ipſe iampridem de ſuſcipienda prole deſperaſſet, ne Vaſtius, ſi grauioribus belli periculis offerretur, aliquo infelici caſu Daualæ fami

liæ nomen extingueret. Sed tanta erat in eo decoris cura, & victoriæ cupiditas, vt in ipsa agitatione consilij & rerum administratione, nihil omnino aliud quàm victoriam intentissima ratione respectaret: omniumque rerum quæ ab intempestiua, vel ignobili prudentia viuidæ virtutis neruos elidere possent obliuisci debere virum fortem arbitraretur. Tum enim maximè fratris virtutem vti in celeberrimo rei bellicæ theatro spectari oportere iudicabat, vt quum ille sibi in imperium pedestrium copiarum esset suffectus, tum demum ex fraterna disciplina ad implendam spem certissimæ indolis quantùm vi ingentis corporis ac efficacis animi iudicio valeret, in eo toties exoptato & nobilissimo certamine proferretur. Cæterùm Vastius exultanti ore, dabo iniquit frater strenuè operam, vt hodie me viuo aut mortuo familiæ nostræ decora nouo ac illustri virtutis opere cumulentur: atque ita quadrato agmine irrumpens nemine hostium obuio ad Vernaculam amniculum contendit, eoq; superato ad Mirabellum prouehitur. Ibi propter amplitudinem ædificij mercatorum & calonum, ægrorumque militum & togatorum hominum ingens multitudo confederat, magnaque vis commeatus, & regiæ suppellectilis erat deposita: aderatque ante alios, vt ibi quietius atque salubrius pernoctaret, Clementis Pōtificis apud Regem Legatus Hieronymus Aleander, vir vndequaque doctissimus, & admirabili præcipuè memoria insignis. Itaque quum improuisi hostes aduolassent, omnis ea turba statim opprimitur: cuncta dicto ocius vertuntur in prædam: cogentique in vnum cohortes Vastio, vt Piscarius faciendum præceperat, intra fossam ædificij signa statuuntur. Interim Piscarius reliqua legionum agmina continenter inducit: Lanoius atque Borbonius equitatum immittunt: tormenta boum & equorum iugis intra Parcum, quanquam ægrè, vno tamen tempore prouehuntur. Lin teatis agminibus complentur campi: nam Cæsariani omnes edicto Piscarij tunicas interulas superinduerant, & qui his carebant, Germaniq; præsertim albicanti papyro pectora ita contexerant, vt eo inusitato candore interfulgentibus armis amplioris et terribilioris exercitus species stupentium Gallorum oculis præberetur. Iam enim aurora haud ambiguam lucem inuexerat, crassiorq; nebula superfusa campis sensim euanescebat. Sed Franciscus perpetuò vigil & intentus ea rei nouitate nihil terretur: ac simul vti dignum erat vel excelli animi rege, vel perito & forti imperatore tuba dat signum, vt quisque captis armis ad vexilla consistat: tormenta subditis equis efferri iubet, cunctaque celeriter, nec tamen cum tumultu, vti opus erat, per duces administrat. multò enim antea quid hostes crebrò parci murum pulsando molirent, Græco Iustianiano nunciante didicerat: auditisq; tormentorum hostilium bombis, ad quorum numerum ex composito Antonius Leua respondisset: id procul dubio vel ineundi prælij, vel magnę alicuius rei audendæ signum fore coniectura iudicarat. Quinetiam nonnullos acrius verbis castigasse dicitur, qui per vanitatem adulando, Cæsarianos omnium rerum penuria & necessitate adductos Laudem Pompeiam refugere dictitabant. Itaque vbi liquidò contemplatus est hostium agmina plenis passibus non ad se, sed ad Mirabellum proficisci, non cunctandum ratus, Heluetiorum & Germanorum legiones munitionibus educit: Gallos pedites cum Busiuio Ambosio in castris subsistere iubet: Italicas cohortes sub arce contra eruptiones Antonianorum ido-

neis in

neis in locis relinquit, et instructa acie ad hostes prouehitur: ita vt Heluetios hinc tormenta, hinc equitum alæ paribus & directis frontibus exæquarent, & Nigri Germani non procul ab alijs equitibus atque alijs tormentis conferta acie essent coniuncti. Ferunt, regem quum legiones castris educeret, vultu maximè lætum, nec quicquam de Fortunæ malignitate metuentẽ, ad circumstantes duces dixisse, se nequaquam temerè vel inconsulta ratione, sed recto illustrique iudicio ad prælium proficisci, quando nihil æquissima sorte commodius ad victoriam exoptare potuerit, quam nanciscihostes non intra fossas et munitiones vti sæpe aliàs accidisset, sed patentibus in cãpis, in agmine ac itinere, vbi quid Heluetiorum ac Germanorum statariæ phalanges possent, quid validissimus equitatus valeret, quid expeditis curribus volitantia tormenta proficerent, spectari posset, vt tandem ad non inanem spem optimi euentus de Italiæ possessione certaretur; rectè siquidem Germanis, qui vni omnium maximè metuendi videbantur, Heluetios sicuti disciplina, armis ac animis pares, ita naturali odio semper infensos opponebat: Hispanos verò ne primam quidem impressionem Nigræ legionis ferre posse, si conferta acie ordines seruare vellent: neque si dissipati & procursantes pugnarent, quin ab equitatu proterererentur, euadere posse existimabat. Erant hæc optima quidem prouisa ratione ad parandam victoriam, nisi vt plerunq; accidit insolens Fortuna præclaris infesta consilijs, cuncta confuso ordine præuertisset. Concursum enim est tanta varijs in locis equitum mixtim et peditum concursatione, vt nunquam confusius & dissipatius vllę copiæ dimicarint. Sors nanque in locum militaris prudentiæ statim succesit, casuque inopinato victa est sæpe virtus, quum ipsa temeritas à felici euentu consilij & rationis nomen vsurpare videretur. Erant in postremo Cæsarianorum agmine Italicæ cohortes septem, cum tribus Hispanicis custodię quinque tormentorum muralium prę positę. eę quum vix ingressę Parcum, reliqua antecedentium agmina ęgrè sequerentur, quòd aquoso in loco deuoratis rotis tormenta subsedissent, factũ est, vt qui nouissimi erant, contra spem primi omnium Gallis hostibus occurrerint: eas nanque Frinciscus longè à reliquis copijs disiunctas conspicatus, eò cõfestim mittit Philippum Brionium, & Federicum Bozolum cũ valida cataphractorum equitum manu, expeditisq; aliquot tormentis aggregantibus etiam sese extraordinirijs peditum manipulis. Ii celeriter parent, & hostes sub leuandis tormentis occupatos adoriuntur. Fit prælium atrox: sex cohortes quanquam singulari promptitudine dimicarent, neque tormentorum procellam, neque vim equitatus sustinentes in proximam syluam se recipiunt, vt obiectis arboribus insultantium equitum impetum euitarent. Ita Galli succisis repente iumentorum cruribus, tormentis potiuntur: eodemque impetu peruadunt in syluam: ibi inusitati certaminis iniquitate oppressus Sebastianus Squarcia vir eximiæ virtutis cadit. & cum eo strenui aliquot centuriones atque signiferi, & cohortes quatuor integræ conciduntur. Ea res in oculis omnium prosperè gesta sicuti regis & Gallorum animos vehementer extulit: ita Piscarium qui opem adferre nequiuerat, incredibili dolore affecit. Sed cõtrà vir pugnæ auidus, conspecto regio exercitu quem nequaquam in aciem è castris proditurum sperabat, veluti concepta victoria maximè est lætatus. Nec mora, Falcium notum equitem ad Lanoium mittit, qui admoneat in itinere

ſubſiſtendum, rebusque omnibus poſtpoſitis, & conuerſis in hoſtem ſignis protinus eſſe confligendum: hoc item Borbonio & Nicolao Salmæ ſignificat, ſeſeque ad accerſendum Vaſtium citato equo proripuit: ſed iam ille ex templo cõſpectis hoſtibus, relicto Mirabello ad Vernaculam regreſſus, denſatis copijs in hoſtes ſigna conuerterat, cùm in eo temporis momento nequaquam prioribus mandatis parendum, ſed nouo conſilio quod caſus offerret, maturè vtendum eſſe iudicaſſet. Itaque Piſcarius, rectè, inquit, frater, quòd volebam effeciſti. idcirco ab læua ad hoſtes plenis paſsibus contende, & enitere audacter, vt ab tuo maximè cornu victoria feliciter oriatur. His dictis ad legiones Germanorum conuolauit, in quarum virtute acrobore ſummæ rei gerendæ & totius victoriæ momentum conſtare prouidebat. Interim Cæſarianorum leuis armaturæ equitum manus audacter ad Nigram vſque legionem prouecta, à Germanis facilé ſubmouetur, & in ſubiectam Vernaculę vallem fœda perturbatione detruditur: tormentaque item Gallica citatis equis admirabili ſolertia & celeritate in omnes partes opportunè raptata ita hoſtes petebant, vt Hiſpani demiſsis etiam humi pectoribus vix depreſsioris loci beneficio pilas euitarent, & Lanoius et Alarco pauentes alas ruſticanæ caſæ quę obiectu ipſo fortè protegebat, applicare cogerentur. Tum verò Franciſcus his veluti non dubiæ victoriæ initijs ſuopte ingenio & ſuorum hortatu vehementer incitatus, quin dato pugnæ ſigno procurreret, minimè dubitauit. Idem cæteri faciunt: & ante alios Palicia primi agminis ductor à dextro cornu Cæſarianos equites iam impigrè conuerſos adoritur. Is Gallorum impetus ſicuti Lanoio grauis atque terribilis fuit, ita poſtea multorum opinione viſus eſt victoriam è manibus regis haud dubiè rapuiſſe: nam præcipiti eo diſceſſu non modò Heluetij Nigrique Germani nequaquam pari paſſu ſubſequentes equitum præſidio ſunt nudati, verumetiam tormentorum vſus magna ex parte ſublatus, quum libratores ceſſare cogerentur, ne regij agminis effusè præteruecti, directis ictibus terga ſimul & latera verberarent. Cæterùm ętate noſtra ab equitatu nuſquam alacrius atque validius eſt concurſum, cùm veterani vtrinque duces & equites flagrantibus animis, non de gloria modò quę vna maximè verę virtutis aciem exacuit, ſed de Italię imperio dimicarent. Galli vindictæ auidi vnum ante alios Borbonium vti regis & gentis cum ignominia perfidiæ deſertorem omnibus pugnæ locis fruſtra requirebant, cùm ille ad tutiorem promptitudinem Pomperano familiari traditis inſignibus, tunicati & priuati equitis habitu depugnaret. At rex ipſe argentea in trabea criſtis & ſua maximè proceritate conſpicuus, cohortantis ducis & ſtrenui bellatoris munus implere, hoſtilem aciem concitato equo perrumpere, aggredi obuios, & purpura auroq; præcipuè inſignes. In eo tumultu Ferdinandus Caſtriotus, qui originem à Macedoniæ regibus ducebat, dux illuſtris, regia manu confoſſus cadit: ſternitur & Vgo Cardonius alæ Piſcarianæ legatus: vexilla duo diſcerpuntur, & Noricus equitatus quem Ferdinandus Cæſaris frater auxilio miſerat, dum impigrè pugnam ſubit, & conſtantiſsimè repugnat graui accepta clade profligatur, ita vt iam penè Lanoij atque Borbonij ſigna & agmina nutarent. Nam Gallus vel ea re numero & viribus ſuperabat, quod Cæſariani cataphracti leuis armaturæ equitum ſubſidijs carebant: ſiquidẽ ex tribus agminibus primi cum Vaſtio ad Mirabellum proceſſerant:

ſecunda

ſecunda ala (vt diximus) à Nigris Germanis fœdè repulſa refugerat: tertia autem relicta extra Parcum duce Guidone Guaino, totius exercitus impedimẽta tuebatur. Ala quoque illa mirifica nobilium Italorum & Hiſpanorum ipſi Proregi peculiaris, vt quæ prælio non interfuit, nullo erat adiumento: nam Lanoius Vererium Belgam adoleſcentem conſanguineum ſuum eius alę prę fectum extra Parci murum ſubſidere, nec ſe vllo modo commouere præceperat, donec ab ipſo per certos nuncios conſurgendi & pugnandi ſignum acciperet. Sed commiſſa & ſtatim exardente pugna, cùm Lanoius in re præſenti atque terribili cunctis ſenſibus atque memoria vehementer occupatus, neminem qui accerſeret omnino mitteret, adoleſcens patrui ducis iuſsis & diſcipli næ prę ceptis omnino parendum exiſtimans, vſque ad pugnæ exitum immotus conſtitit, nec vlla equitum obteſtatione vel increpatione potuit adduci, vt in aciem prodiret. His de cauſis laboranti Lanoio, & vix regĩ agminis impetum ſuſtinenti, Piſcarius qui admirabili præſentique prudentia, ac intentis maximè oculis cuncta luſtrando, huc & illuc ſingulis difficultatibus occurrebat: Hiſpanos ſclopettarios circiter octingentos ſubſidio mittit, qui repente circumfuſi à tergo & à lateribus edita terribili pilarum procella, ingentem equorum atque hominum numerum proſternunt. his etiam appropinquat haſtatorum grauis armatura, atque ita certo præſidio tuti audacius plumbeis glandibus inceſſanter rem gerunt. Quo accepto incommodo regĩ dum conſiſtere conferti nequeunt, & expanſis alis minore cum periculo repugnare ſe poſſe exiſtimant, diſſoluta acie diſsipantur. Sed dum huic conſilio Fortuna infeſtior occurrit, ira & pudore conglobati rurſus in ſclopettarios deferuntur. At Hiſpani natura agiles, & leuibus protectis armis, retrò ſeſe celeriter explicant, equorumque impetum tortuoſis diſcurſibus eludunt: auctique numero, vti erant cùm longo vſu, tum nouis Piſcarĩ præceptis edocti, manipulatim toto campo ſine ordine diffunduntur. Erat id pugnę genus per ſe nouum & inuſitatum, ſed in primis ſæuum & miſerabile, quod magna rerum iniquitate præoccupantib. ſclopettariis, prędlaræ virtutis vſus in equite penitus interiret: nec vllæ vel fortiſsimæ dextræ diu proficerent, quin conferti à raris & paucis, plures & clariſsimi ſæpe duces & equites inulta cæde paſsim ab ignobili & gregario pedite ſternerentur. Ab alia quoque parte iam Vaſtius promotis à dextro cornu cohortibus & inducta ala equitum cum Anneo Memorantio proſperè conflixerat, profligatoque per ſclopettarios eius equitatu, ipſe ante alios interfectis libratoribus, tormentis hoſtium fuerat potitus. Accidit autem in eo concurſu (quod non videtur prætermittendum) vt Vaſtius & Memorantius qui poſtea ſummi duces euaſerunt, ſicuti ab vtroque accepimus, peracri ſingularique certamine aliquandiu dimicarint, eo quidem euentu, vt non multò poſt Memorantĩ equus Caſtallĩ manu vulneratus concideret, atque ipſe demum ab Errera centurione caperetur. Eo rerum ſucceſſu Vaſtius factus alacrior, minorem Heluetiorum aciem tormentorum amiſſione & fuga equitum abſterritam, & ob id hæſitantibus animis pugnam capeſſentem adoritur. Tum verò, incredibile dictu, videre licuit gentem paulo antè ab excellenti probataque virtute campeſtri, præſertim in acie formidandam, cùm decoris & diſciplinæ, tum innatę ferocię penitus oblitam, vix inclinatis haſtis pugnam detrectare, & metu mortis egregiæ ab infami fuga turpiſſimum interitum prælto in flumine quæritare, fruſtra eos retentare, confir-

mareque magnis obteſtationibus conante Florantio Sedanio, qui genti fami
liaris et dignitate equitum Mareſcalchus cum peculiari ala cataphractorum
dimiſsis omnium equis, in prima acie ſe pugnaturum profitebatur: adeò vt
priſtinum illum immanium corporum ac animorum vigorem cæleſte ali-
quod infeſtum numen, aut certè fatalis is regi dies eripere videretur. Nec mi-
nori deformitate eundem fuge exitum tulit altera Heluetiorum acies: quæ v-
ti numero cohortium plenior aliquandiu immota conſtiterat, ſed cùm cir-
cumfuſis vndique ſclopettarijs perpetuo quodam pilarum imbre eminus ob-
rueretur, & promptiſsimi centurionum, vt plerunque accidit, in ipſo primo
ordine cecidiſſent, conſpecta demum ſtrage regij equitatus, abiectis haſtis ter
ga vertit. Ferunt, Ioannem Dieſpachium qui ſummam inter Heluetios duces
authoritatem obtinebat, cùm cohortes ne tentato quidem certamine turpi-
ter fugientes intueretur, & obuerſus ac iratus ſigniferos increpando cæden-
doque ſiſtere nequiret, grauiſsimo compulſum dolore tantæ acceptæ cladi ac
ignominiæ ſupereſſe noluiſſe, in eoque præſentis animi decreto peruadentẽ
in confertos hoſtes honeſtiſsimè cecidiſſe. Hanc tamen cladem Heluetij qui
ſuperfuere Alanconio regis ſororio acceptam referebant, quòd ille vti parum
ſtrenuus, & diu inclinantis prælij ſpectator, dum ardente adhuc pugna cum
integro totius poſtremi agminis equitatu in fugam ſe proriperet, Heluetiam
aciem egregiè denſatis ordinibus prælium ſubeuntem, tranſuerſa et præcipi-
ti impulſione perrupiſſet. Cæterùm à dextro Gallorum cornu vni omnium
peditum Nigri Germani, vt in ipſa ſalutis atque victoriæ deſperatione, cum
Germanis acerrimè & conſtantiſsimè depugnarunt: eoque maioribus propè
odijs quàm viribus, quæ ſummæ erant, ſunt congreſsi, quo efferatis diuturna
diſſenſione animis, neutris qui paululum loco pulſi pedem referrent, vlla om
nino ſpes veniæ, aut militaris miſericordia relinqui videretur. Indignaban-
tur Cęſariani, quòd Nigri contempta & irriſa Cęſaris maieſtate, ſpretaque au
thoritate Germanici nominis pro Gallo vetere hoſte mercenarijs armis fra-
tres conſanguineos obſeſſum atque oppugnatum veniſſent. Ex aduerſo Ni-
gri maximè decorum exiſtimabant, pro eo Rege qui multis annis ipſos libera
lib. ſtipendijs aluiſſet, fortiſsimam operam præſtare, tueri ſacramenti fidem,
& nihil omnino admittere, quod veteranis militibus indignum foret. Ne her
cle ex his quiſquam erat in eo haud dubiè ſupremo vitæ actu, conatuque bel-
lici operis, qui inſultantis fortunæ iniuriam inuſitata virtute et decora morte
vindicandam non duceret. Quum appropinquarent acies, & miro ſilentio
gradus inferretur, procedebat ſolus ante Nigrorum aciem Longamantes ab
Auguſta Vindelica nobiliſsimus dux Georgium Franiſpergum & Marcum
Sithium elata manu & clara voce ad ſingulare certamen prouocans. Sed is a-
troci murmure refutatus, & multorum ſimul petitus telis cito concidit, abſcif
ſamque eius cum armillis & annulis manum ouanti ſimilis gregarius miles
oſtendit. Tum verò ſublato clamore à Cæſarianis alacriter eſt procurſum.
Erat in medio campo dum vtræque acies coirent ipſe Piſcarius in equo ſubli-
mis, ſed pedeſtribus armis protectus, ſæpe orans Franiſpergum vt gradum in-
tenderet, eumque commemoratis ſuperioribus prælijs in quibus eius viri vir
tus enituiſſet, ad parandam omnium maximè opimam & memorabilem vi-
ctoriam accendebat. Itaque concurrente vtraq; acie, dum in aduerſos equum

adigit

adigit cuſpide per apertam galeam recepta in facie vulneratur, conſoſſoq; demum equo, ſiniſtrum ei crus alabarda trajicitur. In eo terribili armorum fragore haud dubiè ſuorum pariter atque hoſtium hoſtis fuiſſet oppreſſus, niſi ægrè eluctantem familiaris primò eques, & demum centuriones & ſigniferi propiores magno conatu ereptum ſeruaſſent. Interea Franiſpergus et Sithius admirabili peritia ad includendos hoſtes exporrecta vtrinque acie legionem in medium ſinum exceptam duobus ſtatim expanſis & recuruatis cornibus præcingunt, eamque pertinaciſsimè reſiſtentem in medio totam contruci-dant: ita vt vna tantùm tribus legionibus oppoſita, & ob id infelici virtute re pugnante, nemo penè Nigrorum euaſerit. Periere ibi præter Longamantem antè primos ordines Ricardus Suffolchius regulus, cui Albæ Roſæ cognomen fuit, ad quem plerique & præſertim Galli Britannici Regni iura pertine re prędicabant: & ab his propter Regij nominis dignitatem & bellicarum rerum peritiam, Nigræ legioni fuerat præpoſitus. Franciſcus item Antonij Lothoringiæ Principis frater eximiæ indolis adoleſcens, qui in primo ordine ante alios armis & criſtis conſpicuus locum popoſcerat: duoque item Germani Reguli Hortembergius, atque Loffenius militiæ illuſtres: & Theodoricus Scombergus Nicolai Antiſtitis Campani frater equeſtri dignitate, & propter induſtriam excellentis ingenij legationū etiam honore inſignis. In hunc modum diuerſa in parte dum fugantur Heluetij, & Germani concidunt: eodem fermè tempore regia acies à ſclopettarijs ſimul & ab equitatu haſtatis etiam ſuccedentibus perrumpitur. Tum verò quiſq; dux inſignis & illuſtris eques, ad protegendum eripiendumq; regem concurrit: plerique deſiderio nauandæ in oculis regis ſupremæ operæ locaatque agmina ſua relinquunt. Palicia dum ſuffoſſo equo annis ac armis grauantib. ad Heluetios ægrè ſe recipit, ab equitibus intercipit. Sed eum iam ſuperuenienti Caſtalio deditum Vaſurtes Hiſpanus, quaſi tanti captiui pretium & laudem equitibus inuideret, appoſito ad thoracem craſsiore ſclopetto crudeliter interficit. trajicitur duplici vulnere & ipſe Tramulius multarū palmarum vetus imperator. Galeacius item Sanſeuerinus dum ſingulari peritia huc & illuc adacto equo hoſtes ſubmouet, & prędarè decertat, in conſpectu regis cadendo, quòd regię gratiæ & famę inclyti nominis debebat, honeſto vitę exitu perſoluit: cùm procumbēte equo laberetur, proximum ſibi Guliermum Langeum illuſtrem equitem in ſupremo caſu opem ferre cupientem appellans, ſine me, inquit, fili, fato meo fungi, & q̄ celerrimè potes hinc ad protegendum regem recurre, nominisq; mei & honeſti exitus memoriam, ſi euades, piè amiceque colito. Erat pugna omnium maximè funeſta, & magnopere iniqua Gallis equitibus: nam à circumfuſis & expeditis Hiſpanis in omnem partem ad lethales ictus pilæ plumbeæ ſpargebantur: quæ non iam tenuioribus (vti paulò antè erat ſolitum) ſed grauioribus ſclopettis quos vocant arcabuſios, emiſſæ, non cataphractorum modò, ſed duos ſæpe milites & binos equos tranſuerberabant: ſic vt miſerabili nobilium equitum ſtrage, & morientium equorum cumulis conſtrati campi, & alarum virtuti ſimul officerent, ſi denſato ordine irrumpere conarentur, & paſsim veluti obiectis aggeribus, ſi cui decore vita potior foret, minimè expeditum ad fugam iter præberent. In tanta rerum iniquitate Villermus Boniuettus Amiras aliquandiu diſcurrēdo & cohortando Heluetios,

& equites in fugam inclinatos confirmare conatus, quum haud dubiè aduer-
ſam eius prælij Fortunam agnoſceret, nec tantæ cladi cuius ipſe præcipuus au
thor fuiſſe diceretur, ad pœnam vel ignominiam ſuperſtes eſſe vellet, graui &
obſtinato pudore in medios hoſtes incurrit, atq; ibi quòd aperta galea diſcur-
rentium & imperantium ducum more vteretur, iugulum mucronibus obie-
ctans eſt interfectus. At Franciſcum nudatum omni ferè præſidio alarum cu-
ſtodiæ corporis tot circum interfectis, & cæteris circumquaque palantibus
ſeſe eripientem, mixti ex varijs turmis aliquot equites vti habitu inſignẽ perſe
quuntur. Nec Rex impiger ſeipſum deſerit, quanquam ab equo & à Fortuna
deſerebatur: paſsim inflexo equo cum inſultantibus gladio rem gerit, illatis-
que aliquot & acceptis vulnerib. ſtrenuè repugnat. Sed dum ad proximũ riui
pontẽ contendit, confoſſo et corruente equo, ſternitur. Primi omnium Dida
cus Abila & Ioannes Vrbieta Cantaber, ſupergrauante equo iacentem circũ-
ſiſtunt: nec adhuc planè cognitum intentatis gladijs, vt ſe dedat, ni perire ma-
lit, cohortantur. Interim ſuperuentu Mottæ Anoierij Galli, qui erat Borbo-
nij equitum præfectus, de facie noſcitur, quanquam erat ex vulnere totum os
manante ſanguine fœdatus. Sed dum Motta vt ſe Borbonio dederet, qui non
procul abeſſet hortaretur, Rex ad proditoris nomen indignabundus, acimpe
ranti ſimilis, accerſitote, inquit Lanoium. isque dum Motta ad Borbonium
peruolaret, vndique voce & diſcurſu militum quæſitus, opportunè ſuperue-
nit, ſummotaque incumbentium turba ſubtractum equo exporrecta dextra
ſubleuauit. præoccupanti Abilæ chirotheca ferrea traditur, proximi paluda-
mentum in fruſta diſcerptum abripiunt, alij baltheo & calcaribus potiuntur:
quum quiſque aliquid ex Regijs exuuijs rapere properaret, quod mox ad de-
cus, petendaque præmia non obſcura fide poſſet oſtentari. Capto Rege vndi-
que à Cęſarianis victoria conclamatur: Gallis animus cõcidit: fit fœda fuga in
omnes partes: Heluetij pecorum modo pauentes dum cæduntur, Ticino flu
mini ſe committunt, natandique prorſus imperiti fœda & miſerabili collu-
uione connexi impeditique agminatim gurgitibus rapiuntur: alij ſupplices
proiectis ad terram armis ſalutem petunt. Sed rara eo die niſi in multa cæde
fatigatis, humanitatis & miſericordiæ laus refulſit: ſuperbos enim & imma-
nes ea ingens victoria milites reddebat. & Antoniani qui ab arce & à Noua
porta cunctatius & ſerius eruperãt, ante alios auidiſsimè et crudeliſsimè graſ-
ſabantur: vtpote qui, quum prælio minimè interfuiſſent, poſt partam demũ
victoriam opportunè effuſi, intercepta ſpe fugæ, conſternatis & ſaucijs occur
rerent. Itali quoque & Galli pedites, quos circa arcem & caſtra relictos dixi-
mus, quum Rex eos ſummę victorię diffidens in ſubſidium euocaſſet: et Buſsi
uius Amboſius ad prælium contendens ſecum adduceret, in Germanos, qui
tum Nigrorum legionem deleuerant, inciderunt: et ab his interfecto Ambo-
ſio cæſi fugatique ſunt, multis tamen elabendi ſpatium caſtrorum propinqui
tas præbuit: neque enim vllos Germani extra ordinem ſunt perſequuti: qui
ad extremum pugnæ exitum immoti & erecti in omnem caſum, in acie per-
ſtiterunt: quando ſeuera & maximè nobili diſciplinæ lege, donec debella-
tum foret extra aciem progredi, hoſtem capere, & quæ alij auidè raperent ſpo
lia legere vetarentur. Ob id conſtat, neminem ferè illuſtrem captiuum &
exiguam admodum prædam ad Germanos peruenisſe, quum Hiſpani ſicuti
audaci

audaci præſtantiq́ue opera fuſo equitatu & pulſis Heluetijs haud dubiè victo riam peperiſſent, optimo veluti iure in præmium virtutis precioſiore præda & nobilioribus captiuis potirent̃. Capti ſunt Henricus Rex Nauarrę, et Renatus Baſtardus Sabaudius Regis auunculus, Regiæ domus magiſter: qui non multò poſt dum ſe multo auro redimere cogeretur, ex vulnere exorta febre apud hoſtes interijt: itemq́; Memorantius, Brionius, & Bozolus: ipſeq́; item Obegninus, & Florantius, qui Heluetię legioni erat præpoſitus. Franciſcum è Borbonia familia ſancti Pauli comitem grauiter ſauciatum inter cadauera iacentem, dum ei veluti iam mortuo Hiſpanus digitum abſcinderet vt annulo potiretur, Fortuna ſeruauit. Contraria ſorte Leſcutus coxam craſsiore pila traiectus, quo nemo Gallorum Procerum, corporis atque animi virtute ſuperior fuit, nono die apud hoſtes Ticini extinguitur. Ferunt eum dum læthali vulnere grauatus iaceret, & Cæſariani duces in primisq́ue Vaſtius eum ſæpe inuiſerent, multas diras Boniuetti manibus fuiſſe imprecatum, plurimumq́ue execrando peſtilentis eius hominis ingenium ſubiunxiſſe, ea infelici acie ab ſe illum fuiſſe quæſitum, vt publicum ſcelus infeſto gladio vindicaret: quando is tantam cladem Gallico nomini, & immerenti præſertim Regi peruerſis conſilijs intuliſſet. Periit etiam Toneræus vir illuſtris: deſideratuſq́ue eſt nuſquam reperto cadauere Tornonius, qui cum Aſpareſio Leſcuti fratre Nauarrico bello dux fuerat, quum tumultuantibus Hiſpanis, Galli arma ad Hiberum vſque amnem promouiſſent. Solus Alanconius, vt tantæ cladis nuncium in Gallias deferret cum ingenti cataphractorum agmine intactus effugit. Qui fortaſſe ſingulari prudentiæ laude dignus foret, ſi non potius, vt ſe incruentum & iure imperij equites ſecum trahentem periculo eripere, & ad ſubſidium orbatæ Galliæ fortium virorum alam ſeruare voluiſſe crederetur. Sed Alanconio intra paucos dies ex dolore animi defuncto, eius receptus famam, Humenius Rocha legatus alæ, præclaro teſtimonio defendit, quum vir impiger, & belli peritia ſpectatus deſperata victoria, vel inuito renitenteq́ue duce, neceſsitati parendum eſſe cenſuiſſet. Porrò Claramontius qui in inſula Memorantianis in caſtris præſidio erat relictus, vbi perditis rebus fruſtra auxilium ſeferre poſſe animaduertit, cohortatus ſuos, vt nihil ea rerum aſperitate perturbari vellent, ſed confirmato viriliq́ue animo ad ſalutem, non dubiamq́ue laudem conſtanti receptu ſigna ſequi properarent, militari more copias eduxit, & Graualone ſuperato, conciſisq́ue pontibus ad Mortariam primò oppidum, & nullo demum accepto incommodo in Galliam contendit. Idem fecere Mediolani qui arcem obſidebant: ſuppreſſa etenim acceptæ cladis fama, & vulgato interim falsò victoriæ nomine cum omnibus impedimentis duce Theodoro Triuultio, ad Verbanum lacum incolumes euaſerunt. Cæſa autem eo prælio ad decem millia referuntur. At Rex armatus, vti erat in equo humili aſturcone, quum à Lanoio in caſtra duceretur, Alfonſo Vaſtio fit obuius. Is tum fortè à perſequendis Heluetijs rediebat, vt de Piſcario quem falsò cecidiſſe ferebant, certius agnoſceret. Nec mora, Vaſtius ab equo properè deſilit, & Regiam dextram apprehendens cuſtodientium & aggregantium ſeſe vltro militum coronam late ſummouet, ita vt his pudorem inijceret, qui nullo propè reſpectu maieſtatis, adeo arctè iam captum Regem cuſtodirent. Tum verò Franciſcus haud parum eius conſpectu

recreatus ſilentium exoluit. Eum enim cùm iuuentæ flore & ſpecie corporis, tum virtutis & omnis militaris elegantiæ laude inſignem vti præclarus vel in hoſte excelſę virtutis eſtimator vehementer adamabat. Conſolanti Vaſtio magnitudinemque animi & humanitatem in Carolo Cæſare plurimum attollenti, ſtatueram, Rex inquit, non indecoro caſu inter armatos concidendo animum ab hac tanta rerum mearum acerbitate vendicare, ne tot clariſsimorum meorũ ducum funerib. ſupereſſem: ſed Fortuna iampridẽ nomini noſtro iniquè & peracerbè infenſa, vt vitam inuito ad illudentis fortunæ ſpectaculum reſeruaret, honeſtiſsimam mihi mortem inuidit, hoc vno tamen meme in tantæ cladis memoria conſolabor, quòd nulla mihi in poſterum Fortunæ vis erit pertimenda: quandoquidem illa ſæuiſsimè ſemper furens, nec tot cumulatis cladibus vnquam abundè ſaturata, nunc tandem reliquas ſupremi odij faces in hoc publico totius Galliæ luctu, & ſumma mea ex tanti infortunij caſu iactura reſtinxerit. His verbis non modo ipſis victoribus ſingulari affectis lætitia lachrymas propemodum exciuit: ſed circumfuſorum etiam omnis generis militum animos tantæ victoriæ reputatione vſqueadeo confudit, vt facilè à cædibus, & ab ipſa etiam præda ad tanti Regis capti ſpectaculum vndique verterentur. Ductus eſt in Gallica caſtra ipſo imperante, ne à Ticinenſibus quos ſummis affecerat detrimentis, & à ferociente præſidiario mili te, tanquam diuturnæ obſidionis incommodis vehementer afflicto, adludibrium in ea Fortuna conſpiceretur. Ibi ea vulnera quæ in auerſa parte femoris, & in dextra ſummaque gena, leuia tamen acceperat, facilè curauit: aliquot etiam pilarum ictus duplici thorace adeo egregiè ſuſtinuerat, vt cum Chriſti crucis fruſtulum aurea concluſum bulla collo geſtaret, quòd planè foret ſeruatus, in miraculum à pijs hominibus referretur. Ferunt, Regem Borbonio adgenua prouoluto, & dextram appetenti, nequaquam ſeſe irati, ſed cuncta æquiſsimo animo ferentis habitu præbuiſſe: ipſum verò Borbonium demiſſo vultu haud dubia dediſſe pudori & pœnitentiæ ſigna: vtpote qui non omnium modò tacita cogitatione, ſed liberis etiam ſermonibus ſeſe inuidia plurimùm onerari, & defectionis ſuæ nomen latiſsimæ famæ pandi manifeſtè perſpiceret. Cœnauere cum Rege magnis precibus inuitati Lanoius et Vaſtius: lauanti autem Borbonius honoris cauſa linteum dedit. Sed rex ingreſſus in ſermones de prælij euentu tam graui & tam facundo ore conſiliorum ſuorum rationes explicauit, periti imperatoris more ſingula recenſendo, quæ apud ſe, vel ipſos hoſtes vti potiora prouideri potuerint: vt ſi res in integrum reſtitui poſſent, ſe iterum ea tanquam optima conditione dimicaturum dicere minimè dubitaret: ſed ſe deceptum ab Heluetijs, qui non modò ſuam, ſed omnium etiam opinionem turpiſsimè fefelliſſent: & auarè ab Italis fraudatum, qui in recenſendis cohortibus falſum militum numerum referre eſſent ſoliti: deſertumque demum nimis propere à tertio equitum agmine ſemel inclinatam aciem vlla arte bellicæ virtutis, vlloque præſentis animi conatu reparare nequiuiſſe. atque ita quum omnia ferè in vnum coniurarint, vt fortunæ Cæſaris ſeruirent, fatali ſorte potius quàm errore hominum cuncta ipſis proſpera, ſibi verò aduerſa omnia contigiſſe. Non videtur ſilentio prætereundum quod ad hiſtoriæ pariter ac diligentiæ meæ fidem pertinere arbitror, ea me omnia quæ hoc peculiari volumine continentur, ex ſermone maximorum

principum

principum & ducum accepisse, quorum ferè omnium et si externę linguę durioris que naturæ fuerint, veritatis explicandæ causa amicitiam meruisse profitemur: tanta curiosi ingenij perseuerantia felicitateque, vt non modò mores, consilia, factaque eorum scriptis expressa, sed singulorum quoque ex veris formarum lineamentis depicta ora ad delectationem spectantium in Museo nostro repræsentemus. Verùm in hoc longo atque difficili honesti laboris studio, nemo certè nobis vel liberalius vel disertius Francisco Rege fauit: admirabili enim fretus memoria, ingenueque arcana animi nudare solitus cuncta miro ordine atque integra fide de successu præsertim huius pugnæ nobis enarrauit, primò ad Massiliam, & aliquot post annos ad Nicæam: tanta quidem cum admiratione nostra, vt quæ incerta & obscura erant, collato hostium testimonio liquidissimè deprehendisse fateamur: & tantum Regem immaturo prorsus fato nuper ereptum, tanquam longiore vita dignum meritò celebrandum existimemus. Nec multò post ad Pisleonem in custodiam est deductus. Eò tum demum ipse Piscarius venit, non planè obducta oris cicatrice, Regemque inuisit non in purpurea aureaque veste, vt cęteri qui ab ea victoria in pompæ morem sese Gallicis spolijs exornarant, sed ad singularem animi modestiam, laneo & nigro in sagulo, quasi non victoris, sed victi habitum præferret, & miserari Regiæ conditionis sortem nequaquam ficto dolore videretur. Eum venientem ac insignium ducum turba, veluti prætoria cohorte circumseptum, Franciscus adeo humaniter et auidè complexus est, vt aliquandiu animum atque oculos in eius viri admiratione defixos teneret: & cœptis demum grauioribus sermonibus in hæc verba, non tristi, verùm sublanda gestus & oris grauitate prorumperet. Nunquam inquit, inuicte Piscari, natura fieri posse putaueram, vt eum plenis affectibus amare atque suspicere possem; qui vnus omnium hostium Gallico nomini maximè fuerit infestus, & mihi demum victo captoque longè grauissimum cladis vulnus intulerit: sed profectò eam esse vim præstantissimæ virtutis, vel hoc meo equè nobili ac tristi rerum experimento constanter agnoscimus, vt in seipsam admirabili fulgore latè radiantem omnium oculos, tanquam ad præclarum lumen ab obscuro facilè conuertat, ac ipsis demum animis impotentissimè dominetur. Sed tu Piscari dignum illustri fama tua feceris, si eo tenore veræ virtutis, quo me & meos sæpe duces feliciter vicisti, enixè dederis operam, vt hoc totum singularis victoriæ decus, quod vestra virtus & fortuna Cæsari peperit, ab altitudine eius animi, excelsaq; virtute longè clarissimum reddatur, dum mihi planè victo captoque non iniquis legib. impositis libertatem maximorum regum exemplo restituat. Neque enim vel in hac mea calamitate Cæsari vestro regna ac imperia, aut tam præclarè votis eius arridẽtem Fortunam inuideo: quum hunc potius diuini muneris locum inuideam, quem ei benigna sors ad deferendum in cælum nomen ruina mea patefecit: parari quidem lata imperia vi atque opibus possunt: & fortuna plerunque, quum eam maximè conuersam credas, sua libidine dat terga, & leui momento dilapsa peruertitur: at certè in Cæsaris arbitrio rara felicitate positum est summæ humanitatis & clementię immortali gloria se potiri, et secura manu velle decerpere nobilissimæ laudis fructum, quem herclè nulla vis eripiet, nec ipsa quidem fata vllo vnquam tempore delebunt: quandoquidem post partam victoriam, cu-

ius nomen & decus minores ſæpe duces & milites ſibi vendicant: nullus in regia fortuna clarior eſt triumphus, q̄ ad eximium propriæ virtutis ſpecimen, ab ipſa maximè generoſi animi magnitudine celebrari. Ad ea Piſcarius pauca prę fatus, quæ ad declarandã Cęſaris moderationem et lenitatem pertinebant grauiter & appoſitè reſpondit: addendo quantum ille in omni controuerſia & diſceptatione lenis & ęquus eſſe conſueuiſſet: & quàm procul ab inhumana duritie, omniq́ ſæuitia ſenſus omnes auerteret: vtpote qui ab ineunte ætate propter facilem mitemq́ naturã, nunquam ab immoderatis, atq́ ſuperbis, ſed ab honeſtis decorisq́ conſilijs, virtutis & pacis amore duceretur: non tuliſſe eum ab initio bellum, ſed grauiſſimis laceſſitum iniurijs ita repuliſſe, vt poſt multas victorias locum paci & concordiæ non iniquis conditionibus relinquere videretur: propterea ſe ſperare Cæſarem tanta animi moderatione vſurum ea victoria, vt nihil minus æquũ à victo poſtularet, quod integris rebus repetere eſſet ſolitus: futurumq́ eſſe, vt ipſe non multò poſt ſolicitę matri, et chariſſimis liberis inſigni Cęſaris liberalitate redderetur. Quibus ſermonibus Franciſcus ægrum animum in ſpem haud dubiam maturæ liberatis erexit, ratus Cæſarem ſola victoriæ felicitate contentum fore: nec in ea quicquam impotenter, ſed ſolùm lenitatis & clementiæ nomen eſſe quęſiturum, cuius animi nequaquam atrocis & ſuperbi præclara ſigna dudum oſtendiſſe cognouerat: quum Cæſar qui tum erat Barchinonæ nuncios tantæ victoriæ, quæ ipſo etiam natali eius die parta fuerat, nulla cum hilaritate ſuſcepiſſet: ſed ſingulari pietate indictis tantùm trium dierum ſupplicationibus, vt is ſecundus belli euentus Reipublicæ Chriſtianæ commodo verteretur, publicam lætitiam feſtis ignibus & tormentorum bombis celebrari vetuiſſet.

LIBER SEPTIMVS.

DELETIS ad Ticinum Gallorum copijs, atq; ipſo Franciſco tantì modò nominis Rege capto nemo totius Europæ Regum vel Principum fuit, qui non ſummo metu, aut certè grauiſſimo dolore commoueretur. Nam qui finibus atque periculo proximi erant, non modò opes, tot coactis in vnum regnis in immẽſum auctas, ſed ipſam quoque Cæſaris fortunam horrebant. Apparebat enim eius exercitum in prouincia per Liguſticas cautes fuga elapſum, egentem pecunia Mediolano excluſum, deſtitutumq́ ſociorum auxilijs, incredibili potius aſpirantis Fortunæ munere, quàm vlla conſilij ratione incolumem ac demum victorem euaſiſſe. Nec iam vllas bello rationes Cæſarianis tantam inuſitatæ fortitudinis, tantamq́ felicis diſciplinæ opinionem adſecutis in poſterum conferendas videri, quum ingenti audacia, patenti campo procul inſidijs, veteranum ac ornatiſſimum totius Galliæ equitatum tot clariſſimis ducibus interfectis & captis vnius horæ momento deleuerint. Ipſaq́ue Sicambrorum robora cæteris infeſta Germanis, ac Heluetias legiones inuictas antea, & frequentib. victorijs nobilitatas, aut in acie trucidarint, aut inulto fœdoq́ue interitu perire coegerint. Cæterùm Rex ipſe in arcem ignobilis oppidi conie-

ctus,

ctus,ac ſalutantium turbæ frequenter oſtentatus, omnium animos in ſui miſerationem conuerterat: Fortunaque tum maximè vt impotens,et ſęua,& inſtabilis accuſabatur,quæ florentem belli gloria, ætate atque opibus Regem è ſummo ampliſsimi regni,potentiæque faſtigio,puncto temporis pręcipitem dediſſet. Quippe eius ori atq; oculis,tanta vis,tantusque honos inerat ad promerendos omnium animos, vt non modò ĩj quibus neque beneficio,neq; iniuria fuiſſet cognitus,ſed etiam hoſtes ac inimici ea calamitate indignum exiſtimarent: militarem enim cùm inuicti animi,tum eximĩj corporis habitum, omnib. Regĩjs atq; ciuilibus virtutib. exornarat. Quum pedes ſiue eques tractãdo arma,artem acrobur oſtẽderet,aut de optimis artibus,ac liberalib. ſtudĩjs diſceptare vellet,omnem in id totius ętatis operã contuliſſe crederes. Accedebat pręalto illuſtriq; ingenio bellorũ rerumq; omnium memoria incredibilis,ac inexauſta quędam in his explicãdis nitidi ſermonis eloquẽtia,qua primis ferè congreſsib. abdita ſuorum ſenſuũ liberaliter expromendo,omnes miro ſibi amore deuinciebat. Sed quũ per ocia pacis alacri ſemper comitate,more gentis,ac erudito luxu iocis munditĩjsq; præſtaret, vna maximè liberalitate,quæ in principe optimo præcipua virtus exiſtit, apud omnes longè clariſsimus erat. Iis de cauſis neque in ea arce,totáue Gallia Ciſalpina rectè cuſtodiri: neq; aliò terra marí ue tutò traduci poſſe videbat. Nam Veneti in tergo erant iam planè qp à fœdere defeciſſent, pro hoſtibus habiti: & Alfonſus Ateſtinus Gallorum ſocius,Pontifexque ipſe, & Florentini,qui non modò auxilia non miſiſſe,ſed fœdus cum Gallo percuſsiſſe, repertis ad Ticinum ſuper ea re tabulis,arguebant,cuncta cis Padum ad vltimos Ligurum fines certis pręſidĩjs obtinebant. Milites quoq; Cæſariani quanq; præda diuites merita ſtipendia flagitare,ducibus,ni pecuniam expedirent,ſeditioſè vincula & cædem comminari: alioq; ſubinde atque aliò ad deponendum prędam abſq; commeatu diſcedere,eò inſolentiores atq; ferociores, qp gratuita opera ad retinendam priſtinæ virtutis dignitatem,ſe maximam victoriã ingrato Cęſari peperiſſe prædicabant. & in eos ſæpe de induſtria Franciſcus veluti per luſum aureos nummos diſpergere erat ſolitus, tanta pręſentis fortunæ contemptione, vt Hiſpani milites applaudẽdo,petulanter Deos iucuſarent, qp ad ſubigendum terrarum orbem Franciſcus ipſis non imperaret,aut ipſi omnes ſub eo ſoluti Cæſaris ſacramento militarent: adeo vt duces & ante alios Alarco cuſtodiæ præfectus,& largitiones regias cohibere, & familiaritatem militum nonnunq; abrumpere cogeretur. Interea Clemens quid ad tuendam Pontificiæ maieſtatis æquitatem moderato quidem,ſed periculoſo & parum illuſtri conſilio,ab omni contentione abeſſe,& ſeſe inter certantes,pacis ſequeſtrum profiteri voluerat,diuerſis ſuorum conſultationibus agitabat. Plerique enim ſuadebant, vt Gallicarum partium obliuiſci vellet,& Cæſarianis ducib. quibus cum præclarè atque feliciter bella gerere conſueuiſſet, ſenſus omnes facultatesq; coniungeret. recentes iniurias haud multa expiari pecunia facilè poſſe, & antiquum ſubinde fœdus renouari,ſi ſalutaris ocĩj qp exitiali belli cupidus eſſe malet,& ſacroſanctæ poteſtatis iure,longè lateque ſibi vtendum arbitraret. Alĩj degeneris abiectique animi ea eſſe conſilia dicere: ſi pacem male fidam auro mercaretur, eam propediem Galliæ atque Italiæ ſeruitutem eſſe pariturám: nec ideo Regem in tanta calamitate ac rerum deſperatione deſerẽdum, quem

ipſe in primis, Venetique pernicioſa cunctatione in eas carceris miſerias præcipitaſſent: non ampliore pecunia opus fore ſi Regem inuicti grauiſsimique animi cuſtodia eripere vellent, quàm ea, qua pax ſeruili conſilio emi poſſe videatur. neque meditato facinori dubium proponi euentum, ſi fortiter rem gerere, euocare Heluetiorum expeditam manum, & ſubitarias per Italiam cohortes cogere maturarẽt. Tum enim Pontificem, Rege libertati reſtituto, de vniuerſæ pacis nomine communique concordia tempeſtiuè conſilia initurum: imperijsque Italiæ legitimis poſſeſſorib. adiudicatis, non ſimulatam ac ſtabilem, ſed veram ac diuturnam pacem obſtinatis ab Regib. expreſſurum: vt ipſo authore ac duce, vti ſemper exoptaſſet, impiè tum cõmota arma à Chriſtianis in Turcas verterentur. Sed quantum priori ſententiæ ſecuritatis in poſterum ac dignitatis deerat, tantum huic immoderati & impudentis animi ſupereſſe videbatur. Propterea, hæc vti aliena nimisque atrocia Clementi quietis auido, et incẽrtos belli exitus maximè timenti, mirè diſplicebant, q̃ Cęſarẽ perpetuis maximisque amicitiæ officijs ſibi coniunctum adeo inſigni iniuria affici, & ab ſe propterea Germaniæ Hiſpaniæque populos, & Henricum Britanniæ Regem alienari nolebat. Itaque cum Carolo Lanoio qui pro Cæſare ſummæ rei in Italia præerat, amicitia repetita, ſolemne fœdus percutit, his fermè conditionibus, vt ipſe centum & triginta milia aureorum nummũm Cæſarianis in ſtipendium numeraret: contrà verò Pontifex ab ijs in recuperãdo Regio Lepidi iuuaretur, quòd Alfonſus Ateſtinus vti ſuæ ditionis, Hadriano vita functo, per interregnum cum Ruberia oppido antea recepiſſet: Venetis autem intra certum tempus, fœderi atque amicitię locus foret, ſi centum et ipſi milia nummũm aureorum ſubſidij nomine perſoluiſſent. At Alfonſus cui Clementis cõſilia admodum erant ſuſpecta, & quòd Gallicarum partium ſemper fuiſſet, Cæſarianis ſe meritò inuiſum eſſe meminerat, cum Lanoio pecunia perquàm maturè tranſegit, vt ſibi parceretur. Ita Lanoius repetente Regium Pontifice, atque auxilia ad id depoſcente, alias atque alias moras nectere: & quoniam ea loca antiquitus Cæſaris imperium communi Italiæ iure reſpexiſſent, præiudicare inconſulto Cæſare, nollé dicere: ac demum polliceri ſe medium atque adiutorem fore, vt ex æquo ea controuerſia componeretur. Cęſar enim rata habere noluerat, quę Lanoius ſolemni fœdere pepigiſſet. quę res in Pontificis Italorumque omnium pectus altè deſcendit, quum præbita & fruſtra demum repetita pecunia, mirè eluſus eſſe diceretur. Interim Cæſarianus exercitus fermè totus in Placentinum & Parmenſem agrum inæſtiua ſeſe effudit, tanta rapiendi oblatas atque reconditas fruges, & obuia quæque vexandi licentia, vt ex villis vicisq; afflictorum agreſtium querelis vrbes complerentur: & mox frequentes earum ac oppidorum legationes ad deprecandam agrorum vaſtitatem, Romam vſque peruolarent. Quibus de rebus deceptus Pontifex grauiſsimo animi dolore præmebatur: at tum maximè caſtigabatur à Venetis, qui dudum vllam cum Cæſarianis amicitiam, quæ auro coemeret ſe inituros conſtantiſsimè pernegaſſent: contrà multò ampliorem pecuniæ ſummam Cæſari pollicendo, ſi ad certam rerum tranquillitatem, communi Regum & ciuitatum omnium libertati & paci conſuleretur. Eò enim Cęſarianorum conſilia ſpectare videbantur, vt quum in Italia cunctis ſibi fœdere obſtrictis, pacem atque ocium peperiſſent, totius mox Italiæ innixi opibus in

bus in Galliam rursus penetrarẽt. Nec deerant Borbonius atq; Piscarius eius belli cupidine deflagrantes qui irritos ad Massiliam conatus, atq; ea festinati reditus detrimẽta resarcire nobiliore victoria cupiebant: qui Galliam Rege, ducibus, equitatu penitus orbatam, eamq; exhaustam pecunia, inopem consilij, & cunctis inusitata clade perterritis de salute dubitantem, in prædam vertere, atq; subigere, neque magni neq; diuturni laboris esse iudicarent. Quademum subacta, nemo erat qui non eadem mox cladium et seruitutis incommoda deceptę circumuentęq; Italiæ parari dubitaret. Nec multò pòst Franciscus impatientia carceris, & præsentium rerum necessitate compulsus incredibile alijs & sibi anceps consilium sumpsit, vt in Hispaniam traditis Gallicis triremibus ad Cęsarem perduceretur. Is ab initio cladis acceptæ Pontificem ac Venetos nihil de pristina erga se voluntate remissuros: retentoque in Italia cum copijs Albanio Regulo moturos arma crediderat, qp magni interesse ad salutem libertatemque omnium arbitrarẽt, si illi tandem & concepta consilia, & paratas vires explicassent: suiq; liberandi speciosum in primis, neq; omnino difficile negocium fortiter suscepissent. Ea enim est ægrorum natura mortalium, vt quę sibi remedia salutaria fore prouiderint, non modò factu facilia esse, sed alienis etiam rationibus magnopere conducere credant. Itaque Franciscus inani persuasione deceptus, quum Albanium cum exercitu ad Grauiscas nauibus impositum, & Romæ demum cum Cæsare fœdus publicè ictum esse cognouisset, cogitationes de Italicis auxilijs àbiecit, & relinquam spem omnem in Cæsaris clementia ac humanitate collocauit. Miserat enim paulò antè ad eum Cæsar Hadrianum Beurenum Belgam ipsius gratia maximè florentem cum lenissimis literis, nec omnino pręgrauib. de pace mandatis, ita vt Cęsarem sua spe mitiorem inuenturus esse videretur. Erat tum Franciscus in potestate Lanoij hominis occulto astu contectaq; prudentia valde insignis: quanquam summa militaris imperij penes Borbonium esset, qui id munus liberali & generosa quadam simplicitate Gallico more sensim vsurpari permiserat. Magnis igitur pollicitationib. cum Lanoio Rex egit, vt in cõsilio primorum ducum ac militum doceret, Regem in securiorẽ custodiam Neapolim esse perducendum. Cæterùm ea re facilè impetrata, quum ad mare peruenisset, alijs omnibus deceptis in Hispaniam cursum direxit. Timebat enim Lanoius nisi tantę rei consilium egregia simulatione tegeret, ne Borbonius atq; Piscarius, quorum apud milites summa erat authoritas, institutam profectionem impedirent: adeo vt nullam ex turpi consilio inuidiam vereretur, acillorum offensiones omnino negligeret, modò sibi amplior gratiæ locus apud Cæsarem eo facinore pararet, & Francisci animum in spem ingentium præmiorum singulari beneficio deuinciret: quando nihil Cęsaris animo atq; oculis optatius: nihil gratius, aut speciosius cunctis Hispaniæ populis fore crederet, cp si clarissimum Europæ Regem eius maximæ gentis virtute captum, in Hispaniam ad triumphum ac sempiternam incomparabilis victoriæ memoriam transportaret. Ipse quoq; Franciscus altitudine liberalis animi sui alienæ naturæ spiritus metiri solitus, si in conspectum Cæsaris deueniret, cuncta sibi protinus secunda atque felicia despondebat. In hanc spem & Vgo Moncata, quem in Liguria apud Varagium ab Andrea Auria captum diximus, sine pretio in Hispaniam per Gallias paulò antè fuerat dimissus, vt amicè atque solerter regiam

cauſam tueretur, ſummæque laudis & gloriæ in perpetuum parandæ facultatem Cæſari diuinitùs oblatam eſſe prædicaret. Is enim vir ſubtili iudicio ad amicitiam Lanoij ſe receperat, cæteris fermè omnibus Hiſpaniæ Regulis eam liuore atq; odio refutantibus. Quoniam Lanoius non illuſtri natalium ſplendore, nullaque paulo inſigni virtute, ſed vna tantùm aſsidua fidelis obſequij perſeuerantia, vti peritus & elegans equorum domitor, ludorumque magiſter, totum alienæ gratiæ locum ambitioſius cꝫ deceret, apud Cæſarem occupare videbatur. Interea quum fama eſſet, Regem in cuſtodiam Neapolim claſſe perduci: & iam pars ædium Regiarum in Arce noua validioribus clatris atque repagulis Lanoij iuſſu firmaretur, Franciſcus nobili comitatu Genuam, & mox in proximum Delphini portum deducitur, quò iam Gallicæ triremes ſolis remigibus inſtructæ Regis accitu peruenerant. Andreas quoque Auria cunctis prædonibus, & tum maximè Hiſpanis nauali virtute terribilis, quum ſuas ipſius triremes in alienam poteſtatem, id poſtulante Rege, ſe traditurum negaſſet, fidem obſidesq; dederat, ſe nequaquam Lanoio claſsique eius ea nauigatione nociturum. Itaque fortiſsimorum militum manu, quam ex ſuis cohortibus Salſedus, Corberia, & Sanctacrucius, Centurionesque alij delegerant, Cæſarianæ & Gallicæ triremes complentur: nec multò poſt idoneum nacti ventum ſublatis velis in Hiſpaniam cunctis inopinantibus prouehuntur. Ea re cognita, Borbonius atque Piſcarius ira ac dolore ſimul angi, ſingulare contumeliam iniquiſsimè ferre, neq; linguam moderari, quin palàm omnibus illum probris ac maledictis lacerarent: quòd iura ſummi imperij, quæ penes Borbonium erant, incredibili arrogantia eludere non dubitaſſet: & Piſcarij exiſtimationem lædere minimè fuiſſet veritus, cuius maximè ductu virtuteque Regem prælio ſuperatum omnium opinione conſtitiſſet. Porrò alijs de cauſis ea profectio Clementis Venetorumq; animos commouit. nam quū retento in Italia Rege, de communi pace minimè deſperarēt: tum demum verebantur, ne qui nimis celeri deſperatione ſeſe vltro traditis triremibus ad pedes hoſtium proiecisſet, nouas periculoſi conſilij rationes inſana libertatis cupidine ſequeretur: malignitateq; & ſuperbia inductus propter veteres & recentes offenſiones, cum Cæſare ad exitium Italiæ conſpiraret. At Franciſcus remigio & lenibus ventis in Hiſpaniam delatus Barchinonæ Regali apparatu excipitur: atque inde, Alicanteram, qui Valentinorum eſt portus, legendo oram prouectus eſt: vt maiore demum compēdio terreſtris itineris ad Cęſarem ire pergeret, qui tum apud Toletum vrbem omnium Hiſpaniæ maximè mediterraneam erat in æſtiuis. Ibi Franciſcus ſiniſtro omine accepto, ſummum adijt vitæ periculum, quum milites, qui preſidio triremib. aduenerant, promiſſa ſtipendia flagitarent: conſternatique ad arma Lanoium omnes infeſtis haſtis peterent. Emiſſo namque per tumultum maiore ſclopetto, pila in marmoream columellam feneſtræ coniecta eſt, cui fortè Rex auerſus humeris innitebatur. Lanoius autem in proximos hortos ſe deijciens, celeri fuga & latebris iracundiam militum vitauit. Nec multò poſt conquiſita pecunia, ſedatoque tumultu ad Madritium quod Mantuam Carpentanorum antiquitùs fuiſſe putamus, non longè à Toleto terreſtri itinere paucis diebus eſt peruentum. Erat in eo tractu Didacus Mendocius Infantaſiorum Regulus ſplendore vitæ ac liberalitate magnis Regibus æquatus: is Regem intra fines ditionis iter habentem incredibili apparatu, exornatis paſsim hoſpitijs perpetuis

ſumptibus

ſumptib. excepit & aluit. Ea ſubinde Regali munificentia dona offerens, quę neque Franciſcus à Cæſare expectanda cenſeret: neq; ipſe ſi in Gallia incolumi regni fortuna eſſet aduenæ Regi daturus eſſe videretur. In ijs enim erant complures equi militares longè omnium Hiſpaniæ generoſiſsimi argenteis phaleris, ac ſericis inſtructi ephippijs: mulæ item nobiles purpura conſtratæ: præterea falconum, inſignium canumq; omnis generis venaticorum cum toto venatorio apparatu, ipſiſq; aucupibus, peritiſque venatorib. delecta multitudo: lectorum verò tantum, pictarumq; ſtragularum & auleorum, itemq; vaſorum cœlato argento in menſarum vſum ornatumq; amplioris abaci, quãtum vel non captiuo regi ſatis eſſe crederent. Addidit Mendocius ad eam excelſi animi liberalitatem ſpectaculum nõ modò ſibi & poſteris, ſed toti etiam Hiſpaniæ maximè glorioſum. Populos nanq; imperio ſibi ſubiectos militarib. inſtructos armis indicta die in proximam viæ planiciem euocauit, digeſtosq; in cohortes & turmas decurrere iuſsit. Fuere ſupra duodecim millia peditum & equitum: docuitq; Mendocius admirabundũ regem multos eſſe in Hiſpania regulos ipſo admodum potentiores: vt non eſſet in vltima laude, ſi qui nec ordine primarius, nec opib. ſummus eſſet, nõ modò reliquos omnes ſuperaſſe, ſed ipſum quoq; Cæſarem ad immenſum liberalitatis ſpecimen prouocaſſe cenſeret. Franciſcus tanto in honore vbiq; habitus quum omnia ad benignitatem Cæſaris cogitatione referret, vt iam de ſalute libertateque ſecurus magnopere lętabatur. Madritium autem perueniens, ibi ſubſiſtere recreareq; ſeſe, & Cæſaris opperiri aduentum iubet, quem longinquis intentum venationib. intra paucos dies eò peruenturum eſſe confirmabant. At Cæſar rege in Hiſpaniã perducto, ipſoq; Lanoio incredibili alacritate ſuſcepto, nequaq; ad altitudinem ingenij ſui contrà ac homines rebant, ſed ad alieni iudicij arbitrium conſilia reuocauit, non modò à præſentib. amicis ſententias rogando, ſed à ducibus qui in Italia erant poſtulando, vt perſcriberent, quid nam de captiuo rege ſtatuendũ eſſe arbitrarentur. Sub id tempus Borbonius dolore atque iracundia in Lanoium incitatus ad Cæſarem peruenit: ſed cum acerbius in præſentem inuehendo quereretur, tantã ſibi & Piſcario infidelitatis ſuſpicionem malignitate naturæ illius fuiſſe impoſitam: eumque omnem victoriæ fructum impudenter prærípere conari dictitaret. Cæſar eo vultu vociferantes dririmit, vt quæ Lanoius nimio erga ſe ſtudio feliciter egiſſet, excuſare videretur, tametſi ea victoria ipſius Borbonij auſpicijs Piſcarijque induſtria & ſanguine fatentibus cunctis eſſet comparata. Literæ ſubinde Piſcarij ſunt allatæ, eò Borbonij verbis vehementiores quòd ab graui conſtantiq; ingenio ſingulari extimulato iniurià proficiſcebantur: non modò enim perinique ferebat dignitatem ſuam ingratè maligneque lęſam fuiſſet, ſed ſe in manifeſto ſalutis ac amittendę authoritatis diſcrimine relictum apud ſeditioſos milites merita ſtipendia flagitantes, qui in tanta victoriæ licentia ſibi & quęſtorib. haud obſcurè cędem minarent. Lanoium, qui mederi malis poſſet, quoniam cogendæ pecuniæ certam haberet poteſtatem, cum aſtu parum virili alios eſſet ludificatus: præcurriſſe in Hiſpaniam, vt vnus omnium prędia ferret. Sed ſe nequaquam dubitare, quin ipſe Cęſar vti optimo principe dignum foret, cunctos qui ſibi eo bello fortem operam nauaſſent, præmio afficeret, ignauosq; pariter & infideles vltione et pœna perſequeretur. Cæſar humaniſſimis literis Piſcarium eſt hortatus, quæ Lanoius ſe quidem ignaro, ſed è repu

blica feciſſet, nullo liuore adductum feciſſe, exiſtimare vellet: atque omnia v-
ti præclariſsimis factis meruiſſet, ex ſua laberalitate expectaret. Tanta tum e-
rat vis gratiæ Lanoij cum Cæſare, vt ille non modò conſuetudine iucundio-
ris obſequij, eximioque & ſemper fideli cunctis in rebus officio, ſed occulta
poteſtate benigni ſyderis ei coniunctus eſſe crederetur. Propterea ſicuti per-
amplis honorib. atque diuitijs ante alios exornatus abibat, ita eum vehemen
tes inuidiæ fluctus ſuſtinere: & ſe exquiſitis aulæ artibus ab his quos læſiſſet,
tueri neceſſe erat, vt tum accidit: nam Piſcarius qui animum per ſe excelſum,
& omnis contumeliæ inſolentem gerebat, eum proditionis poſtulare, & fin-
gulari certamine indicto armis controuerſiam finire ſtatuerat. Eum alia quo-
que pariter excruciabant: nam cùm iam à victoria parta quintus menſis efflu-
xiſſet, nihil omnino præter benignas epiſtolas à Cæſare retulerat, quem cæte-
ris præmia ſtatuentem à Lanoio deprauatum fuiſſe exiſtimabat: nam Car-
pum in Mutinenſi agro quod Alberti Pij fuerat, & Soram paternę ditioni fi-
nitimam, haud ſatis digna pro tot ſuſceptis vulnerib. præmia expectabat, po-
tius quàm petebat. Accidit quoque, quòd animum eius acerbiſsimè pupugit,
vt Cæſar Henricum Nauarræ regem ſe redimere prohiberet, quem Piſcarius
bello captum, ac ſe in libertatem oblatis octuaginta millib. aureis vendican-
tem, cuſtodia emittere cupiebat. Iiſdem fermè dieb. in Gallia complures Re-
guli ſummæ authoritatis, & in his præcipui Franciſcus Borbonius, & Clau-
dius Guiſa Lothoringiæ principis frater conſilia inibant, inuita etiam Ludo-
uica Regis matre, vt cum Italis principibus ſeſe conſociarent: & ſi Franciſcus
Sfortia graui oppreſſus morbo naturæ concederet, Maximilianum eius fra-
trem in paternum regnum reducerent: tranſmiſsisque terra ac mari auxilijs
bellum gererent, ad exturbandos Gallia Ciſalpina Cæſarianos, qui non mo-
dò Mediolani, ſed totius etiam Italiæ imperium immodicis animis affecta-
bant. Enimuerò ad Galliæ ſalutem, & ad retinendam rei bellicæ exiſtimatio-
nem tot aduerſis contuſam prælijs pertinere putabant, ſi bellũ, quod ſibi im-
mineret, in alienis potius q̃ ſuis regionibus renouarent: & libertatem Italiæ
quantis maximè poſſent ſtudijs atque opibus tuerentur. Sic enim res in Italia
ſe habebant, vt cunctis ea recens victoria eſſet formidabilis: quippe proximas
quiſq; Germaniæ vires metuebant, quas Ferdinandus Cæſaris frater Medio-
lanenſis imperij cupidus perleui momento exiguaque pecunia impulſu-
rus eſſe videbatur: & Hiſpanorum ingenia imperij auida, maximè ſuſpecta e-
rant, pœnitebatque omnes tanto ſtudio tantisque impenſis incautè atque im
prudenter eas adiuuiſſe partes: à quibus & ſæua imperia & certa demum ſer-
uitus forent expectanda: niſi tot collata beneficia conuerſis repentè animis in
ſummam iniuriam verterentur. Ante alios Franciſcus Sfortia retinendi impe
rij cura anxius multis ſæpe indicijs, & pluribus haud obſcuris coniecturis Cæ
ſarianorum conſilia nudarat: feceratque periculum Cæſaris erga ſe voluntā-
tis, quum per Thomam Maynum legatum ſuum, vti alijs antea acciderat,
fruſtra poſtulaſſet, vt paternum imperium confectis ſuper ea re Auguſtali-
bus tabulis concederetur: ſicuti antea fœderatis Leoniq̃ue præſertim Pon-
tifici ſe omnino daturum eſſe Cæſar promiſiſſet. Paratus erat Sfortia ſexcen-
ta aureorum millia certis penſionibus perſoluere, vrbes, copias, pacis belli-
que conſilia ad authoritatem Cæſaris conferre: ducere inſuper vxorem, quam

Cæſar

Cæſar ex vſu rerum ſuarum probauiſſet. Cæteri quoque Italiæ principes, liberæque ciuitates id maximè præſtari à Cæſare cupiebant, vt ſi nullum in Ciſalpina Gallia præpotentem grauemque accolam haberent, vti antè Gallum ſenſiſſent, libertati Italiæ & rerum omnium quieti, exæquatis omnium viribus opportunè caueretur. Erat eo tempore apud Franciſcum Sfortiam diuturno atque difficili morbo implicitum Hieronymus Moronus conſiliorum rerumque omnium moderator intima familiaritate Piſcario cõiunctus propter eximiam authoritatem ac induſtriam in regendis Inſubribus, cogendáque maximè pecunia ſingularem. Is cùm ſæpius colloquendo Piſcarium his de cauſis quas ſuprà memoraui, animo ægrum eſſe deprehendiſſet, ſibi occaſionem dari exiſtimauit, qua illum à Cæſare penitus alienaret, in partesque traduceret, vt eius demum auſpicijs Italia omnis non modò preſenti metu atque periculo eriperetur, ſed eiectis externis gentibus priſtinæ libertatis decus reciperet. Sic enim Venetorum Florentinorumque & ſummi Pontificis animos habebat exploratos, vt eos quicquid ipſe vel ſuopte ingenio moliretur, modò publicam reſpiceret libertatem probaturos eſſe confideret. Igitur Moronus acri ingenio & erudita facundia fretus, Piſcarium in eos opportunè ingreſſum ſermones remotisque arbitris in penitiorem cubiculi partem deductum, his verbis allocutus eſt: Niſi inuidia veræ virtutis comes, qua nunc inuicte Dauale circumuẽtus opprimeris, ijs qui eam patientius contempſerint ignominiæ & mox exitio foret, nequaquam mihi hoc muneris temerè deſum piſſem, vt conſilium tibi afferrem cùm ſalutare in primis, tum vſu longè ſpecioſiſsimum atq; optimum: id enim perpetui ſtudij ac amoris erga te mei fructum egregijs operibus tuis dignum oſtendet. Neque vereor, quę tua eſt à nobili ingenio prudentia ſingularis, vt conſilium quod amicus cunctis ſpectatæ fidei ac induſtriæ officijs tibi coniunctus, nec omnino rerum imperitus obtulerit, aut ſtatim improbes, aut ſuperbè faſtidias: quando nihil ab homine præſtantius dari poteſt in arduis reb. quàm fidele conſilium recta & exquiſita ratione confirmatum. Illud enim ſępius benigna tractuque facilis Fortuna ſubſequitur, & excellens plerunque virtus alieni conſilij lumine indiget, vt maximè fiat illuſtris. Te tuus ingentis animi vigor, maxime Dauale, vixdum pubeſcentem domo eduxit, cruentiſsimoque ſimul prælio & grauiſsimis obiecit bellis, non modò vt familiæ veſtræ noua adderes decora, æmulationeque virtutis patris, patruiq; memoriam renouares, verùm vt cęteris omnib. quib. arma tractarint perpetua rerũ geſtarum laude ſuperatis omni vel maximo honore dignus habereris. Sed incredibilis diuinęq; virtutis tuę prędia, diuitias, triumphos, imperia, quę tibi nunc meliore fato deſtinamus, fortaſſe in longo victoriarũ curſu percepiſſes, ſi tibi benigniore ſorte, in ipſis Cæſaris oculis, cũ tuo alienoq; ſanguine eſſes conſperſus, vrbes manu capere, magnos fundere exercitus, & deniq; reges virtute tua ſuperatos et captos, alieno in triũpho ducendos prębere cõtigiſſet. At longũ tibi eſt hos expectare fructus, quos iam ęmulorũ inuidia infeſtusq; liuor penitus intercepit. Militaris nanq; virtus tametſi ſuis aliquãdiu floreſcat operibus, celeriter tñ obſoleſcit, niſi ampliſsimis nobilitata prędijs, in prędara honoris ſiſtat luce, & ab ipſa principis liberalitate, quę ſępius imperitorũ iudiciũ, ducis verã commendationẽ accipiat. Falleris ſi eum eſſe Cęſaris captũ exiſtimas, vt ſigillatim intelligat et agnoſcat quę

per quatuordecim annos inter ſummas rerum omnium difficultates eximia fide, felici ductu, & fortiſsima dextra confeciſti. præoccupatum ille, qui Italiã non vidit, à Belgis ſuis, quibus vnis maximè fauet, animum gerit adeò, vt tota gemente Hiſpania, omne quod eſt regio in animo auitæ liberalitatis ſpecimen mille artibus auertant: auari, impotentes, ſuſpicioſi, alienæ ſpei & glorię ex occulto ſemper inſidiantur. Sic tantis rebus geſtis, neque tibi Sora tuis inſinuata oppidis, neque Carpum multo tuorum ſanguine partum dono dantur. Et Rex Nauarræ graui rationum tuarum incommodo, pecunia ſe redimere prohibetur. Cum iam alij Lanoio ſimiles plura quàm cuperent, omnino retulerint. Adhæc clam abducto Rege Gallo tibi ſuſpectæ fidei ignominia barbara fraude conflatur, et ſeditioſis ſubinde militibus deficiente in ſtipendium pecunia, aut trucidãdus, aut antiqua exiſtimatione ſpoliandus obijceris. Neſcio per Deos immortales, quid tibi in altera belli fortuna ſperandum fuerit, poſtquam tot ingentes perpetuæque victoriæ nihil præter grande ęs alienum domi, & nõ mediocrem foris infamiam omnino pepererint. Cum exercitus à Cæſare ſtipendio fraudatos quin ſocias vrbes diriperent, agros crudeliter vaſtarent, prohibere vlla imperij ſeueritate nequiueris, hęc omnino vera eſſe amici tui confitentur: niſi illud os probum ad gloriam multiplici plaga deformatum, & venas in hunc pallorem ſanguine exhauſtas in quota præmiorum parte cenſendas putes. At ſi gloriam vel penitus nudam tanto periculo ſectaris, & vera eſſe exiſtimas quæ poſt mortem de cœleſti pręmio, acinferorum pœnis traduntur, nomen profectò tuum non in ſublimi modò veriſſimę glorię, ſed ampliſsimæ etiam Fortunę faſtigio erit collocatum, ſi in Italia natus, Italicæ liberatis aſſertor glorioſus, quàm in hac luctuoſa ſeruitute exterorum miniſter ignobilis & inuiſus eſſe malueris. Italis nanque principibus in animo ſitum eſt, tueri armis libertatem, quæ iam planè omnibus ſenſim eripitur: excutere externæ gentis iugum, ac vno denique conſenſu feſsis Italię rebus quietem ſecurumq; ocium parare. Te vnum omnes cùm virtutem tuam cum ſumma felicitate coniunctam admirentur, pulcherrimi facti auctorem ducemque depoſcunt. Egregium facinus ſempiterna ſequetur laus. Facilis verò exploratæque victoriæ exitus, & regnum tibi opulentiſsimum, & maximum militię imperium dabit. Te enim Veneti ac Florentini fauentibus Gallis & Heluetijs, Pontifexq; ipſe certiſsimo iure Neapoli Regem conſtituent. Id enim Cæſaris eſſe non poteſt vetante antiqua pontificum lege. Nec Ferdinandus vi fraudeque occupatum nepoti legitimè legauit, quum Ferdinandi Aragonij Federici Regis filij, qui in Hiſpania cuſtoditur, nomen perſonámque reſpiciat. Idcirco quales quantasque voles copias, claſſes, commeatus, pecunias celerrimè comparabunt, ſignaque gentium omnium quondam victricis Italiæ auſpicato in tuam manum virtute fideque præſtantem tradent. Hiſpani quum iam exactis ſtipendijs Cęſaris ſacramento minimè teneantur, magna ex parte tuam ſequentur authoritatem: cęteri Germaniq; præſertim incolumes domum abibunt, niſi vim conſentientis Italiæ, & te hoſtium Imperatorem experiri voluerint. An non te Neapolitani ſummo populorum procerumque ſtudio, Neapoli natum educatumque, & cunctis propè regni Regulis affinitate coniunctum tantæ ſpei tantæque virtutis Regem excipient? Erige illos ingentes ſpiritus, vt omnis inuidia vna animi magnitudine ſupere

tur, &

tur,& de fortuna tua arbiter factus fortiter decerne,ne ſemper inuidiſſe propriæ virtuti videare,poſtquam meritis tuis ad ampliſsimum decus ſecundiora Fata viam inueniunt.Piſcarius vbi hęc audiuit, aliquandiu conſtitit immotus, vtpote qui animum rei nouitate magnitudineque ſuſpenſum huc atque illuc deliberabundus impelleret,non ignarus cunctas virtutum omnium laudes,vno maximè perfidiæ crimine defœdari:neque vulgum vllas demum excuſationes recipere,etiamſi ab honeſtiſsimis cauſis iuſtoque dolore profectæ videantur: quoniam cunctis natura mortalibus perfidiæ nomen inuiſum ſit, & execrandum,nec quiſquam excelſi animi dux quod virtus dare poſſet ſcelere atque perfidia vnquam petiuit. Sed ſpes ampliſsima regni facilè potiundi, ob quam nonnulli plerunque integro pudore humana atque diuina iura violari poſſe arbitrantur, vindicandæque iniuriæ aduerſus ingratos cupido ingens animum ad prȩalta quæque natum magnopere ſtimulabant.Itaq; molli ſermone vultuque ad omnem animi candorem exprimendum valde compoſito,de eius erga ſe inſigni amore nunquam dubitaſſe reſpondit, idq; tum maximè perſpicere,quòd ſpes ſuas inter ſordes inuidiæ,curarumq; proiectas, tanto oblato munere penitus erexiſſet: cæterùm ſe nequaquam ſalutem atque exiſtimationem ſuam in ſummum diſcrimen temerè vocaturum,niſi plànè cognitas ex literarum fide principum haberet voluntates, vt illi eadem ſe præſtaturos pollicerentur,ſi ipſe tantum facinus animo ac manu erigendum ſuſcepiſſet.Sed antè omnia ſe noſſe cupere, qua lege, quoque iuris documento authoritateq; adduci poſſet, vt ſine vlla proditionis infamia ſummæ admirationis negocium ſuſcipiendum putaret, quando nihil vnquam fide antiquius habere eſſet ſolitus: vtpote qui ignominiæ atque dedecoris metu,maximis humanæ fortunæ commodis ingenuè repudiatis ,ſemper gloriæ ac laudi,bello paceque ſtuduerit. At Moronus Piſcarij animum omnino inclinatum ratus,ea quæ agitaret Pontifici & cæteris confeſtim perſcribit: mittiturque Romam Dominicus Saulius Genuenſis graui eruditoque ingenio vir,ac ob id de publica libertate maximè ſolicitus,qui cœpta explicaret conſilia: ipſumque Pontificem & Gibertum vnicum conſiliorum rerumque omnium miniſtrum ad ea audenda vehementer accenderet. Eo audito, Clemens tametſi Cæſarem non oderat,haud mediocri tamen lętitia eſt affectus, quòd occaſionem minimè contemnendam aliena cum inuidia ſibi oblatam videbat, Italiæ in perpetuum liberandæ, poſtquam Piſcarius ampliſsimæ authoritatis atque peritiæ dux, ſibique multis officijs ac amore coniunctus non modò detraheretur Cæſari futuro hoſti, ſed adiunctus præpoſitusque partium copijs celerem atque exoptatum ſuſceptis conſilijs finem daturus eſſe videretur. Tantam enim in eo pugnacis animi vim ineſſe omnes intelligebant, vt nullo alio duce vel Cæſarem totius Italiæ ſeruitutis metu bellum cientis impetum ſuſtinere : vel Italos eiectis externis gentibus ſeſe in libertatem vendicare poſſe exiſtimarent. Quum Pontifex in ea cogitatione verſaretur, Gibertus futura plerunque magnis in rebus diuino animo præſentire ſolitus, nulla ratione adduci poterat, vt de Piſcario ea crederet, quæ illum Moronus & Saulius haud dubiè præſtaturum eſſe confirmabant: monebatque Pontificem,vt eas cogitationes penitus abijceret,ne reliquæ ſpes tutioris conſilij corrumperentur, ſi ſe eò imprudens demitteret, vnde ſi deciperetur, nullus

niſi difficilis aut fœdus omnino receptus foret, quando ipſe ante alios Piſcarij mores abundè noſſet, & quales quantosque is ſpiritus contecto grauique animo gereret, pacis & belli tempore fuiſſet expertus. Placuit vt per ſpectatæ fidei hominem Piſcarij animum certius explorarent. Itaque priuſquam Saulius ab Vrbe proficiſcat, Montebonium Romanum Giberti familiarem malignis itineribus ad Piſcarium mittunt. Eius hæc erant mandata, vt ſecretò illũ aggrederetur: oraretque vt ea conſilia ſibi nudarentur, quæ inita eſſe Moronus & Saulius ſignificaſſent: eundem gerenti animum ſpeique parandi regni fortiter innitenti, omnia ſumma ad id auxilia quæ ab inſigni ſtudio amoreq; expectari poſſent, cumulatè polliceretur. quòd ſi ab his nouandis rebus alienamens eſſet, atque ea, quam teneret, dignitate foret contentus, tum arctiſsimè obſecraret, vt eius intimi conſilij arcanum ſibi ingenuè fatereturidque accepta fide concederet, cùm veteri amicitiæ, tum Pontificiæ maieſtati, ne ſi falſlaci ratione inductus improuidè animum hoſtilem oſtenderet, quod proamplificãda ipſius dignitate maximè eſſet facturus, cum Cęſare inexpiabilis odij ſemina iacerentur. Piſcarius Montebonio Ticini conuento reſpondit, eandem ipſius ac ſummam omnino eſſe voluntatem, vt concordi Italiæ & publicam omnium libertatem ſpectanti, labore induſtriaque non deſit: necſe Regnum in præmium nauatæ operæ, poſtquam id eorum benignitate offerretur, repudiaturum eſſe confirmat: idſe tantùm requirere, vt à peritis iureconſultis doceretur, quibus nam legibus Pontificem Neapolitano in regno iure potiorem eſſe cenſerent: vt qui certa eius regni procerũ conſuetudine in verba Cæſaris antea iurarit, veluti religione ſolutus, ſi leges id iubeant, ſupremi atque auguſtioris domini ſacramentum reſpicere cogatur, quando id ab ipſo Cęſare veluti beneficiariũ annuo tributo agnoſci videatur. His acceptis Montebonius eadem celeritate ad Vrbem recurrit. Piſcarius quòd ſaluti Italiæ dignitatiqueſuæ præclarè conſulat magnopere commendatur. Accoltus Cardinalis, & Angelus Cæſius iuris peritia & forenſi induſtria maximè inſignes excuſsis humani ac diuini iuris authoribus Pontificis iura diſertè perſcribunt, & ad Piſcarium mittunt: & Pontifex cum Venetis Moronoque explicatis eius conſilij rationibus de bello conſultat. Interim Piſcarius generoſo & conſtanti ingenio ſi Cæſarem, contrà autem parum ſincero, ſi Pontificem reſpiceres, rem totam ad Cæſarem perſcribit: nec tamen intermittit, quin multa tractando ac vtrinque conſultando, præclara ſimulatione vſus & Pontificis & cæterorum animos propinqua ſpe patrandæ rei ſemper aleret, vt per eas moras occultè gerendi belli rationes, & penitiora conſilia penitus elicerentur. Nihil enim dedecori ſibi futurum putabat, nec malignitatis infamiam ex tam atroci facto verebatur: tametſi Clementem in altiſsimo ſacroſanctæ authoritatis atque potentiæ gradu poſitum violato amicitiæ iure offenderet, cæteroſque omnes deciperet, modò excellens ipſius fides ac tum maximè eo graui periculo comprobata, & fortis ſimul opera Cæſari præſtaretur. Per hunc modum mirabili aſtu Pontificem atque alios aliquandiu ludificatus, quum interea Germanorum Hiſpanorumq; pręſidia circa vrbes alias effingendo cauſas opportunè diſpoſuiſſet, conſilium ſuum detexit, Moronumque ad ſe Nouariam euocatum, nihil tale ſuſpicantem comprehendit, & Ticinum in carcerem Antonio Leuæ & equitibus ducendum tradit. Eare per tabellarios militibus

litibus in omnes partes celeriter ſignificata, ſingulę vrbes vti conuenerat, ſine vulnere binis cohortibus occupantur. Franciſcus Sfortia, qui Mediolani in arce ægrotabat vti proditionis author aut conſocius accuſatur. Ille ignominiam atque iniuriam deprecaturus ſeſe ægrum de ſalute prope deſperantem vllius flagitioſi conſilij fuiſſe participem negat, vt eius cauſæ iudicium Cæſari relinquatur, petit: & mittendi ad eum legati poteſtatẽ ſibi dari poſtulat. Nec multo poſt vt innocentiam ſuam conſtanti fiducia & liberalitate teſtaretur, totius imperij arces flagitante Piſcario tradit. Porrò Cremonenſem arcem & Mediolanenſem ſibi retenturum dicit, ne ante iudicium à Cæſare peractum indicta cauſa totius imperij poſſeſsione penitus exturbetur. At Piſcarius quod maximum in occupandis his arcib. momentum ad frangendos conſpirantium animos eſſe intelligebat, poſtquam pactione ac minis vllíſue artibus Sfortiæ animus capi nequibat, eas circumuallare atque obſidere conſtituit, exiſtimans in tanta repentini caſus perturbatione neceſſarijs commeatib. repleri atque muniri minimè potuiſſe. Proinde cuſtodes haud multò poſt rerum ſenſuros inopiam, atque ita munitiſsimas arces, inedia coactos, ſine vllo exercitus ſui incommodo facilè dedituros. Dum hæc incredibili ſolertia celeritateque à Piſcario adminiſtrantur, Pontifex & Veneti vix animo dolorem atque ignominiam ſuſtinebant, quòd incautè viri longè prudentiſsimi, ſummi negocij cogitationes incertæ hominis fidei commiſiſſent. Inde enim omnes planè interpretari ſubortas eſſe magnas ſuſpiciones mutuis auctas offenſionibus, quæ nec renouatis etiam fœderibus extingui poſſent: propterea bellum maximè atrox parari, ſi Cæſar & ſuorum omnium hortatu, & recenti contumelia concitatus Italiæ imperium animo agitaret: & Itali libertatem coniunctis opibus tueri niterentur. Sed tum maximè Italiæ circumuentæ miſerabilem, ac ſempiternam imponi ſeruitutem videri, ſi rex Gallus, vt ſeſe in libertatem vendicaret, ad exitium Italiæ conſpirare cogeretur. Quibus ſermonibus fiebat, vt per Italiã Piſcarius in ore omnium alterutra ſui fama frueretur, quũ eas, quas Itali metu ſeruitutis contumelias ingererent, ex aduerſo externarum gentium duces ad pulcherrimi facti decus, & laudem referrent. Sed dum hæc Piſcarius diligenter aduerſus omnes hoſtium inſidias adminiſtraret, Cæſari perſcribebat, nihil ſe pacatum ab infenſis ſibi animis Italiæ Principum expectare poſſe: propterea ſibi in animo eſſe, Placentiam Parmamq; illato repente bello in poteſtatem redigere: nec experiri velle periculoſa atque ignobili mora, an illi ex æquo & iure, aut armis controuerſiam de Mediolanenſi imperio finire vellent: ſe non dubitare quin aliquandp conſociatis viribus magnũ & crudele bellum pararent. Proinde imparatos adoriri, feliciq́ celeritate eos perſequi pręſtare, quàm eorum impetum, qui tarditate conſilij indefeſſóque trahendi belli ſtudio valeſcerent, opperiri. Interim dum Piſcarius Sfortiã obſidet, & de ſummæ rei conſilijs Cęſarem monet, Franciſcum Regem vehemens morbus ex animi dolore conceptus adeò acerbè apud Madritium afflixit, vt in diuina potius ope, quàm in humanis auxilijs eius ſalus poſita videretur. Suſpenſum enim dubia ſpe alienæ clementiæ, & ancipites cœpti conſilij rationes ægro animo volutantem Cæſar amplius duos menſes fuerat fruſtratus, alias atque alias moræ cauſas afferendo: adeo vt eius aduentus nequaquã iuſtis impediri occupationibus, ſed quadam parum benigna cunctatione dif-

ferri videretur. Sperauerat enim Cæsarem liberali ac prorsus regia comitate in colloquium & complexum protinus esse deuenturum: atque vnius horæ momento extinctis veteribus odijs, initurum amicitiam: vltrò etiam quæsita affinitate, adiectoque insuper nouo fœdere, quod honestissimis conditionibus pararetur. Namque sæpe accidit miseris, & graui aliqua afflictis calamitate, vt ad veniam salutemque impetrandam faciles secum ineant rationes: et in æstimatione suæ causæ, alienæque voluntatis magnopere sibi blandiantur. Itaque Cæsar quanto ille animo, spe que deiectus in vitæ periculo versaretur, certior factus, omnibus alijs post positis rebus, ad eum celeriter contendit. Tum verò ex mutuo cõspectu & per humana Cæsaris salutatione videre licuit, quantum animi fomenta ad subleuandas corporis vires, cuncta medicæ artis remedia, præsenti potestate superarent. Nam vbi hylariter assidens Cæsar erigenti sese in puluinar arterias et collapsos artus blanda manu molliq; sermone permulsit, & dubiæ menti certæ libertatis spem dedit, extemplo languentes venæ vitali spiritu repleri sunt visæ: ac os pallidum veluti natiuo colore inuecto, excitatisque oculis, mirum in modum recreari, ita vt sensim depulsis acerbioribus morbi difficultatibus, paulatim haud multo labore sanaretur. Venit etiam peropportunè ad eum è Gallia Margarita soror, vt captiuo & ægrotanti fratri supremum pietatis ac amoris officium præstaret. Ea Alanconio mortuo vidua, sine vlla prole remanserat, ætate formaque & mira altitudine ingenij cùm Regi imprimis tum Gallis omnibus cara & amabilis. Iamq; vulgo eam homines communis concordiæ causa, vxorem Borbonio destinabant, sicuti Eleonora Cæsaris soror, quæ Emanuelis Lusitaniæ Regis vxor fuerat, Francisco Regi in matrimonium despondi videbatur: sed tum Cæsaris animum contraria suorum studia maximè distrahebant, ijs diuersa omnino suadentibus qui magni vsus in consilijs habebantur, ac eximiam fidei atque prudentiæ opinionem apud eum obtinebant. Lanoij Belgarumq; omnium, ipsius præsertim Piscarij, vna atque eadem erat sententia, vt aliquid de grauioribus postulatis Francisco remitteret, eumque sibi fœdere ac amicitia consociaret, vt totius Galliæ facultatibus ad euertendas Italiæ respublicas vteretur. Italos qui eius amplitudini & gloriæ penitus inuiderent, & consilia perfidiæ plena aduersum se malignè semper agitarent, atroci bello perdomandos, vt ab Alpibus ad fretum vsque Siculum cuncta Cæsaris nomen & veteris Romani imperij maiestatem respicerent. Porrò Franciscum Galliæ imperio contentum fore renouati toties improsperè belli pertæsum, nec respecturum Pontificem ac Venetos, quos ipse & infestos hostes, & parum fideles socios omnibus bellis esset expertus. Addebant Italiæ opes infinitas esse priuatim: publicè verò nullas propter incredibilem factionum insaniam: nec opportunè consensuros vnquam Italos, nec eorum vel ingẽtem multitudinem Germanis Hispanisque militibus veteranis peritia atque animis parem fore: his accesserat militum vulgus & præsertim Hispanorum: nam promptissimi quique ex certa propemodum Italici belli victoria vrbium ac oppidorum imperia, ingentemque ex opulentissimis gentibus prædam sibi animis destinabant. Hæc vnus ante alios minimè probabat Mercurinus Epistolarum magister, honesta & salutaria prudenti consilio semper afferre solitus. Is multo honestius ac speciosius Cæsarem dignitati & commodis consulturum ostendit,

si sua

si sua prius quàm aliena appeteret, vt æquum esset, recuperanda censeret. Burgundiam à Gallis fraude potius quàm armis occupatam ante omnia bello aut pactione recipiendam videri, neq; ante imprudenter Gallum Regem quẽ iure belli captum teneat, debere dimitti, quàm totius Burgundiæ vrbes atq; arces in potestatem redigantur: quibus semel receptis finitimam Galliam repentini belli metu perpetuo sibi obnoxiam, & pacis legibus obtemperantem fore: at si inani ac intempestiuo nouæ gloriæ nomine duceretur, Regeque in libertatem restituto, ea omnia ex eius liberalitate se adepturum cõfideret, sensurum illico Gallicas fraudes: ipsumque Franciscum modò Galliæ saluti amplitudinique prospiciat, absque vlla violati iurisiurandi verecundia defecturum. Quòd si Italiam, vti æquissimus atque optimus Cæsar, seruitutis metu liberet, omniumq; suspicionum auctioris spe commodi penitus obliuiscatur, populosque et ciuitates non vi ac impotentibus armis subactas, sed amore naturali, ac libera obligatas fide, sibi fœdere studioque coniungat, tum Gallis omnibus animos illico concasuros. Qui si nihilo secius stolida ac exitiali obstinatione aliena reddere recusarent, tum demum, quod præclarum esset, victoria vteretur, & totius Europæ adiutus auxilijs, binis mari classibus, et terra tripartito exercitu Galliam inuaderet. Tum verò emitti Regem placere, & eum Austriæ domui affinitate nouoque fœdere copulari. Inde demum omni exutus cura, qui solidæ gloriæ ac Dijs atque hominibus abundè satisfecerit, Romam pergeret ad diadema Augustalis imperij de manu Sacrosancti Pontificis accipiendum: per totam longitudinem Italiæ effusuros sese populos omnes coronatos & alacres, vt quem optimum clementemque præsenserint, vt felicem ac inuictum salutent, & de toto victoriarum cumulo triumphantem cupidissimè venerentur: incessura esse Cæsaris agmina, per vias floribus et tapetibus stratas, contectas velis, inductisque passim fontibus irrigatas: Regulos inter se et ciuitates cum proximis splendore, studio, et incredibili maximè hospitiorum benignitate certaturos: iret modò pacatus & lenis, vt cæca formidine natas ad libertatem Italiæ gentes exolueret: animos certè omnium vltrò collatis opibus atque tributis, nomini Cæsaris haud dubiè seruituros, si se in libertate conseruatos eius virtute conspexerint. In hunc fermè modum quum liberè in consilio sæpius esset disceptatum, Cæsar moderatis rationibus cuncta expendens eum consilij cursum tenebat, vt repetita Burgundia et impositis his conditionibus, quæ iure belli capto haud multum iniquæ viderentur, Regem omnino dimitteret, quasi nunquam à solenni sponsione dataque fide discessurum. Nam sicuti eum inhumano carcere perdomare, atq; interim Burgundiæ & Galliæ bellum inferre, propugnante præsertim fœmina, quæ esset ex infelicitate filij perpetuis lachrymis & dolore confecta, neque magni & æqui, sed feri potius ac impotentis animi fore prouidebat: ita summæ stolliditatis arbitrabatur ad commodum parandæ amplissimæ dignitatis atque potentiæ, vti nolle tantæ victoriæ beneficio, quæ grauissimis rerum suarum periculis cum fœda conturbatione & vastitate prouinciarum esset comparata: quando nihil magis quàm sua & Burgundiam in primis repeteret, quam proauo Belgarum Principe a Heluetijs acie cæso, Galli nullo iure inducti armis per occasionem occupassent. Verùm non deerant qui mediam sententiam veterum exemplo prędamnarent, quoniam eo parum salubri temperamento, ne-

neque hoſtem ſatis vehementer vlciſci, neque amicum egregiè parare dicere-
tur. Cæterùm Piſcarius aſsiduè dabat operam vt à Franciſco Sfortia arcis de-
ditionem exprimeret, omni verborum lenitate oſtentando Cæſaris æquita-
tem, ac ſimul operam & ſtudium ſuum prolixè pollicendo. Quaſi Cæſar in-
ſonti & malignè delato, cauſa cognita, non modò redditurus eſſet vrbes et ar-
ces: verumetiam ad firmioris imperij ſpem, ſolennia principatus ornamenta
collaturus, ſi totum eius calumniæ momentum in eius fide & iudicio liberali
quadam fiducia reponendum cenſeret. Sed Sfortia quanquam pertinaci vale
tudine vehementer eſſet afflictus, neque lenioribus verbis neque vlla denun-
ciatione periculi deterreri potuit, quominus ſalutari conſtantia in propoſito
retinendæ arcis permaneret: & ſæpe Deos innocentiæ ſuæ teſtes inuocando
quereretur, ſe inſontem & ſupremo vitæ periculo implicitum, periniquè &
crudeliter obſideri, ac ereptis omnibus diuini ac humani iuris præſidijs acer-
biſsimè, vti iam planè maieſtatis crimine conuictus & prædamnatus, paterni
atque auiti principatus poſſeſsione deturbari: quum nec ſibi communi iure
gentium poteſtas relinqueretur appellandi Cæſaris, & legatos ad deprecan-
dam iniuriam, et dicendã cauſam in Hiſpaniam mittendi. At Piſcarius vbi ob
ſtinatè perſeuerantem vllis pollicitationib. nequit flectere, ad arcem arctiſsi-
mè obſidendam ſe conuertit. Itaque omnes aditus intenta cuſtodia obſeruа-
re, nemini ingreſſum aut exitum præbere: aduocata Mediolanenſium con-
cione hortari principes ciuitatis, vt reum maieſtatis deſererent, & Cæſaris
maximi æquiſsimi principis auſpicia ſequi vellent, donec ipſe collatis indicijs
cauſam præclarè cognoſceret, et tota lis, vti iura poſtularent, Cæſaris arbitrio
finiretur. Hæc agitantem & ex longa tabe tenue corpus immenſo illo animi
vigore vix ſuſtinentem mors oppreſsit aſsiduo aquæ potu, & multis, maxi-
me bellicis laboribus, atque vigilijs quæſita. Eius funus vti vnici Imperatoris
milites graui & diuturno luctu celebrarunt, adeo vt quum vexilla alarum at-
que cohortiũ atrati duces & ſigniferi ornando eius ſepulchro dedicarent, pro
his colore varijs inſignibusque diſtinctis nigra omnia ad ſummi doloris indi-
cium ſumerent. Obijt inuictus in medio ætatis flore, vti iam ſenex multitudi-
ne ac põdere victoriarum feſſus, ea hominũ opinione, vt ſi ei fata iuſtum vitæ
ſpacium amplioresq; exercendi imperij facultates conceſsiſſent, veterum vel
maximorũ ducum gloriam haud dubiè fuerit æquaturus: nemo enim eo gra-
uius atq; prudentius de toto belli genere iudicauit: nemo incerta caſuũ felicius
ad conſiliũ vertit: nemo in acie contẽptius pericula deſpexit, aut omnino pu-
gnauit ardentius. Moriens dum conderet teſtamentũ veluti ad exoluendum
religione animũ ſupremis precib. Cęſarem per literas obſecrauit, vt Moronũ
incolumem carcere emitteret, cp ei ad ſe venire dubitanti recuſantiq; vt omni
no non caperetur per epiſtolam fidẽ dediſſet. Fuere qui exiſtimarent, Piſcariũ
ab initio tãtum facinus non fictis exceptum aurib. ad animũ facilè tranſmiſiſ-
ſe, tantæq; rei indicium aliquanto tardius cp opporteret, ab ipſo ad Cæſarem
fuiſſe delatum, adeo vt inimici eum non obſcuro parum ſinceræ fidei onere
premere conarentur, quaſi id totum ambigui et nutantis animi crimen, quod
ſtatim præclara ac expedita animi probitate exhorreſcere debuerat, ab longa
demum deliberatione propter infamiæ timorem, pœnitentia diluiſſet. Dice-
bant enim, Piſcarium ab tantę rei conſilio ſe tum primùm recepiſſe, quum Si-

giſmun-

gismundus Sanctius Alberti Pij Carpensi familiaris, qui initi inter Principes obsignatique fœderis tabulas deferret, in Galliam mitteretur, veritum scilicet ne Ludouica captiui Regis mater bellum perosa, tanquam Galliæ semper funestum, pietate mollitieque animi inducta, vt maturior filio libertas impertraretur cuncta vti agitata conscriptaque erant, muliebri ingenio per filiam quæ erat in Hispania Cæsari propalaret: atque inde Gallica auxilia inchoato demum bello fœderatis negarentur. Sed Sigismundus ad Rhæticas Alpes contendens in agro Bergomate iuxta Sebinum lacum à latrone hospite eripiendi auri causa crudeliter interfectus, peruenire non potuit. Sed non diu post magno casu, detecto punitoque latrone, bulgæ cum scrinio, & literis incolumes repertæ sunt: quæ transmissæ Venetias, & Senatum & Clementem Pontificem graui solicitudine liberarunt, quum anxijs animis Sigismundum insidijs Cæsarianorum interceptum suspicarentur. Verùm ad refellendam inimicorum calumniam, liquidò constat, cuncta ordine ab ipsis sermonum initijs Cæsari fuisse renunciata, vti mox ipse Piscario iam mortuo publicatis recriminationũ libellis, quibus Pontifici de belli causa respondebat, abundè testatus est. Sed & illud peritos rerum plurimum mouet, vt nihil indignum de Piscarij fide temere credatur, quum Cæsar ad declarandam animi sui propensionem erga Piscarium, ei vti de se benemerito vexillũ & sceptrum supremi militaris imperij cum amplissimis codicillis continuò miserit: quæ profectò si de fide dubia in suspicionem fuisset adductus, nequaquam tribuisset, ne stultissima ratione ei, qui iam animo esset offenso alienatoque, maximam nocendi facultatem in eo rerum discrimine præbuisse videretur. Cæterùm hæc Itali Principes in inuidiam Piscarij facilè spargebant, quum se à viro Italo malignè traductos atq; deceptos magnopere quererentur, quòd commissa eius fidei consilia Cæsari ad Italiæ imperium aspiranti prodere, et ingentis belli semina iacere minimè dubitasset: vt, cum aliena iniuria incorrupti & constantis animi laudem apud externas gentes compararet. Alij æquiore iudicio ferebant, Piscarium quum didicisset Franciscum Sfortiam tenacissimis febribus conflictatum ad multos dies vim morbi non esse toleraturum, nouis consilijs animum adiecisse, vt si Sfortia fato concederet, ipse protinus Mediolanensi imperio Cæsaris nomine potiretur: quoniam multò honestius & tutius foret in procuratione amplissimæ ditionis, cum militari imperio Mediolani præsidere, quàm Neapoli Regem conspici, cum ea apud Hispanos, atque Germanos incertę fidei suspicione, quæ tot præcellentium virtutum decus obscuraret: quum plerique etiam ciues Neapolitani vetustate atque opibus superiores, qui præclaram virtutem in censu minimè numerarent, illud conspicuum nobilissimorum Regum diadema, in insititij ciuis capite nisi malignis & turgentibus oculis vix essent conspecturi. Non videtur hoc loco prætermittendum, quòd de Piscarij vxore Victoria Columna incomparabilis ingenij muliere, certa & constanti multorum fama audiuimus, ne ea scilicet quæ cuncta alia præter decus facilè semper contempsit, merita laude fraudetur. Ad primum enim agitati eius consilij rumorem ita exhorruisse dicitur, vt continuò nequaquam muliebri ambitione, vel tanto regiæ fortunæ titulo pellecta id munus castis auribus repudiaret, virilique prorsus & grauĩ ratione eas spes vti nefarias, vel certè parũ decoras protinus

abiiciendas iudicaret, & subinde vitam aliàs sibi rerum omnium consilia com
municare solitum per literas quas sublimi eruditoque ingenio perscribebat,
etiam atque etiam præcaretur, vt pristinæ virturis memor esse vellet, cuius e-
xistimatione ac laude multorum Regum fortunam & gloriam anteiret. Ne-
que enim regnorum ac opum amplitudine & speciosis titulis, sed illustri fide,
contesta taq; virtute parari decus, quod ad posteros rediuiua cum laude pro-
pagetur. Nec vllum esse tam excelsum regij nominis fastigium, quòd non faci
là vna perfectæ virtutis altitudine superetur. Propterea se nequaquam opta-
re, vt Regis sit vxor, quũ eius Imperatoris esse maluit, qui magnos Reges non
bello tantùm præstanti manu, sed in pace etiam eximio inuicti rectique animi
decore superare didicerit. Nec multò post Piscarius prægrauante morbo eam
ad se ornatissimo comitatu Mediolanum accersiuit, vtpote qui in eius lectissi
mæ fœminæ diligentia & iucundissima familiaritate maximum discutiendi
morbi momentum opportunè collocaret. Sed Victoria Romæ summo cum
honore susceptа, quum Viterbium applicuisset extincti viri nuncium acce-
pit: atque ita ab instituto itinere propemodum exanimata dolore & lachry-
mis in templo sacratarum virginum subsedit. Ferunt, Piscarium integerri-
mis sensibus, quum euanescente vitali spiritu hora fatalis imminеret, summo
cum pondere verborum Victoriam vxorem imprimis, & Hispanos milites
Vastio fratri commendasse: dedisseque præcepta ex arcanis consilijs, quibus
ille militiæ, ac eo præsertim quod tum imminere prouidebat, bello vteretur,
& militum animos in obsequio facilè contineret. In testamenti verò tabulis
nullum Christianę pietatis & humanę beneuolentię erga suos officium præ-
termisit. Nam et templum Neapoli in quo cucullati sacerdotes perpetuo sacra
facerent Diuo Thomæ condi legata pecunia prescripsit, & singulos è familia
exquisito meritorum iudicio ita remuneratus est, vt vestem, arma, equos, ar-
gentum, atque pecuniam accuratissimè, nequaquam vti moriturus dispar-
ret. Funeratus est Mediolani regio sumptu, Pridie Calendas Decembres, An
no à partu Virginis quingentesimo vicesimo quinto supra millesimum. Nec
multò post Neapolim prosequente in atra veste amicorũ & familiarium tur-
ba, deuectus est, vt in templo Diui Dominici ad aram maximam condere-
tur: vbi insigni pompa instauratis exequijs, eum è suggestu Valterius Corbi-
tius orator Mediolanensis disertissimè laudauit. Fuere qui existimarent, eum
tot opulentis vrbibus, atque oppidis castrisque hostium in ipso perpetuo vi-
ctoriarum cursu direptis, magnam auri vim sepositse. Quæ opinio edita in
vulgus extremo demum vitæ exitu falsa & inanis apparuit: nam quum Va-
stium fratrem patruelem bonorum omnium hęredem instituisset, eum etiam
multo ære alieno implicitum reliquit: quando & paterna oppida varijs tem-
poribus oppignerata, nec adhuc redẽpta, apud fœneratores exedẽda reman-
sissent. Ita vt nihil ex tantis victorijs ad eum prꝛeter gloriam & laudẽ omnino
redundarit. Dicere enim solebat, neminem vnquam, ex his qui militiam quę-
stui habendam putarent, magni Imperatoris nomen fuisse consecutum: con-
tra verò, eos semper euasisse inuictos, & longè clarissimos, qui nihil ad se, sed
ad milites ex præda pertinere existimantes, ad vnam tantùm atque eam im-
mortalem veri decoris laudem aspirassent.

FINIS.

EPITA-

EPITAPHIVM PISCARII A LVDOVICO ARIOSTO FERRARIENSI POETA celeberrimo compoſitum.

Quis iacet hoc gelido ſub marmore? maximus ille
Piſcator, belli gloria, pacis honos.
Nunquid & hic piſces cœpit? non: ergo quid? Vrbes,
Magnanimos Reges, Oppida, Regna, Duces.
Dic quibus hæc cœpit piſcator retibus? alto
Conſilio, intrepido corde, alacríque manu.
Qui tantum rapuere ducem? duo numina, Mars, Mors:
Vt raperent quid nam compulit? Inuidia.
Nil nocuere ſibi, viuit nam fama ſuperſtes,
Quæ Martem, & Mortem vincit, & Inuidiam.

Incerti Authoris.

Quid ſceptra ad tumulum, vincti quid compede Reges?
Quídue tot inuicta ſigna relata manu?
Quid galeæ, quid ſcuta nitent, quid gæſa, quid enſes?
Quid viret æternis laurus opaca comis?
Num Mars, num Daualus tumulo iacet? hîc ſitus, hîc eſt
Heu Daualus, quin Mars cum Daualo ipſe iacet.

VITARVM ILLVSTRIVM VIRORVM PAVLI IOVII, TOMI PRIMI

FINIS.

BASILAE,
Ex Perniana officina sumptibus Henrici Petri, & Petri Pernæ.

ANNO
M. D. LXXVI.